MARCI ANNAEI LUCANI
PHARSALIA

CUM
NOTIS SELECTIS HUG. GROTII,
INTEGRIS ET ADAUCTIS RICH. BENTLEII,
DUOBUS SPECIMIN. EZRAE CLERCQUII VAN IEVER,
DUABUS EPIST. INED. FRANC. OUDENDORPII,
QUIBUS
VARIAS LECTIONES MSS. NUNC PRIMUM COLLATORUM,
DISSERTATIONEM DE SPURIIS ET MALE SUSPECTIS
LUCANI VERSIBUS, SCHOLIASTAS INEDITOS,
ADNOTATIONEM SUAM,
NEC NON
INDICES LOCUPLETISSIMOS
ADDIDIT

CAROL. FRED. WEBER,
VIMARIENSIS,
PHILOS. DOCT. CIZENSIS GYMNAS. CONRECTOR.

VOLUMEN PRIMUM
CONTINENS
PRAEFATIONEM ET PHARSALIAE LIB. I—III.

LIPSIAE,
APUD GERHARDUM FLEISCHER.
MDCCCXXI.

LECTORI.

Singulari modo factum est, ut fata, quae Lucano in Pharsalia ad umbilicum perducenda obstitissent, pluribus etiam Pharsaliae Editoribus, quo minus promissis stare possent, fuerint impedimento. Quod iam triumviri illi, saeculo praeterlapso multum de poeta meriti, probare videntur. Cortii enim commentarius satis amplus et copiosus, quem vir doctus, Editione Lucani minore vulgata, maiori futurae paraverat, a

bibliopola, ut videtur, propter operis magnitudinem non editus, diu in scriniis latebat. Post inter alia, a Martyni - Laguna viro in Pharsalia multum versato collecta, proh dolor! in flammas et cineres abiisse fertur. Qui Cortium secutus est Oudendorpius, Editionem quidem absolvit; sed quum ipse sibi in hac re non satisfecisset, additamenta, ut ex duabus epistolis ad Ioannem Schraderum apparet, erat paraturus. Fata vero obstabant; ita reliqua, exceptis illis epistolis, interciderunt. Ambas autem, cum nonnulla bonae frugi contineant, et singula Lucani loca rectius constituant, ex bibliotheca beati Diezii Berolinensis mecum communicatas, hic typis imprimendas curavi.

CELEBERRIMO PRAESTANTISSIMOQUE VIRO

IOANNI SCHRADERO

S. P. D.

FR. V. OUDENDORP.

Tuam ad rogationem ab Clar. Gronovio, publicae Bibliothecae praefecto, MSStos codd. vetustiores expetivi quatuor, quibus vetustissima Scholia ad marginem erant allita. Sed deprehendi variare omnia, sic tamen ut maximam partem eiusdem sint farinae, nec digna mihi videantur, quibus iuvenis perdat tempus oculosque corrumpat. Certe tam minutis exesisve vel evanidis flavescente atramento litteris sunt exarata, ut mihi non licuerit illa satis assequi, nisi post intentissimam oculorum aciem, per aliquod tempus eo dirigendam. Quare seposui et remisi codices, et simul tibi nunc reddo tradita mihi diligentissimi iuvenis excerpta, qui ut ad utiliora se adplicet, voveo. Hanc hiemem destinavi revocandis ad incudem notis meis in Lucanum. Si quae super illo praeter mecum communicata habes, ea impertias quaeso. Iudi-

cium quoque tuum rogare sustineo super v. 51. *iurisque tui Natura relinquet, quomodo sit construendum. Neque enim potest se mihi probare Sulpitii Burmannique expositio. Suppleo natura relinquet vel te vel hoc esse iuris tui, quis etc. Primum firmatur Lib. VI,* 302. *Roma fores iuris tui. Alterum Lib. VII,* 80. *Sit iuris, quocunque velint concurrere campo. Alia mitto. V.* 53. *Arctoo orbe an mutandum censes? i. e.* κύκλῳ *arctico, quem Manilius Aquilonis orbem vocavit Lib. I,* 572. *Nec oppositus Austri polus est ipse axis, sed coeli pars meridionalis. Hinc calidum ait; eum si axem intellexisset, frigidus dici aeque deberet. Vid. ipsum Burmannum. Quis nescit, polum dici de omni coeli parte vel toto coelo? Novistine alia loca, ubi ultima in duo producatur, quam Virgilii Ecl. V,* 68. *et vide meeum Cortianum v.* 111. *Non cepit Fortuna duo. Sed manum de tabula. Haec sufficiant te provocando. Vale plurimum et me in tuis habere perge. Leidae pridie Kal. Novembr. MDCCLIV.*

CELEBERRIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

IOANNI SCHRADERO

S. P. D.

FR. V. OUDENDORP.

Laetus gratusque accepi emendationes coniecturasque tuas in Lucano. Quas animi mei adfectiones ut certissimo tibi probarem argumento, responsum dare protinus decrevi, quamvis et publica et privata negotia me plus satis distringant. Novas etiam quasdam coniecturas addere placuit, quas tibi haud displicituras spero. Non tamen ultra primum librum progredietur haec prima epistola, quam aequi bonique facias, quaeso; dum lubens singula tuo iudicio submittam, ac brevitati haud minus te studebo.

V. 8. *licentia ferri non mutem nunc.*

V. 15. *Nox ubi sidera condit. Nihil hic vidit Burmannus. Omnis sensus et explicatio loci pendere videtur a bene animadversa vocum unde et ubi oppositione. Pulchre haec illustrantur e Manilii lib. II,* 836. *emenso qui condit sidera mundo,*

et Apulei. de Mundo p. 733. ed. Par. orientium et conditorum siderum facibus.

V. 21. *Roma. Est in MSS. O.*

V. 24. *At nunc semirutis pendent q. moenia i. e. domus tectis urbibus Italiae etc. Multae hic coniecturae. Sed forsan hic duo versus otiosi et a librariis sunt intrusi, vel duae Lucani ἐκδόσεις in unum sunt conflatae, et sic bis idem dicitur. Quid si dederit auctor:*

At nunc semirutis p. q. m. tectis,
Rarus et antiquus habitator in urbibus errat.

Tunc etiam vitabitur inepta coniunctio τῶν Italiae et Hesperiae: nec adeo longum erit Hyperbaton; et nihil minus dicetur. Conferendus est locus Lib. VII, 401. *Favet coniecturae, quod τὰ nulloque domus custode tenentur varie admodum in MSS. exarentur et contra latinitatem in* 2 *Mss. sit tuentur.*

V. 39. *diros campos. Pharsalicos intelligit, non inferorum, qui nunquam, quod sciam, campi dicuntur, nisi cum de Elysio, beatarum animarum sede, agitur. Vid. Lib. IV,* 803. X, 11. *Val. Flacc. VII,* 206. *Alioquin et diro possit legi sanguine.*

V. 41. *Caesar. Burmanno est nominativus. Sed quid habet tunc, quo referatur seq. tibi? Neronem alloquitur, ut Lib. IX,* 982.

V. 45. *res acta — statione peracta.* Placet tibi *relicta* e Cortii Cod. Mihi videtur librarii memoriae inhaesisse versus Ovidii in 2. Trist. 219. vel nostri Lib. *VI*, 235. *Statio peracta* est imperii seu stationis munus ac tempus exactum et absolutum. *Virg.* 3. *Aen.* 493. quibus est *Fortuna peracta.* Horat. *IV*, 14, 40. *peractis imperiis.* Non plura congeram. Quamvis autem non facile mihi persuadebitur, Lucanum saepe repetiti eiusdem verbi vitio non laborare, pro quo facillime semper aliud quod ex ingenio substitui potest, hic tamen nimis dura videtur repetitio. Sed aeque reponi pro *acta* potest *gesta.* Nam et hae voces confusae sunt. Vid. Heins. et Burm. ad Ovid. Ep. 8, 41. ac de bellicis rebus magis proprie dici scis *rem geri* quam *agi.*

V. 50. *Igne vago.* Ineptum opinor Burmanni *novo.* Quid tibi videtur?

V. 58. *Sereni,* Cortius *sereno,* pessime, ut opinor.

V. 98. *Tempus ad angustum,* quod coniicis, verissimum censeo, vel *tempus in,* ut in secundis curis rescripsi. Pro brevi tempore necessario sumendum quoque Lib. *IV*, 477, ne δὶς τὸ αὐτό.

V. 115. *furentem.* Mallem *Tu sola furorem inde viri poteras, atque hinc retinere parentis;* in genitivo. Vide MSS.

V. 155. *Nullaque non mutandum. Fulmen exire e templis suis coeli nulla vetat materia; sed cadens revertensque, ut Caesar, impellit quidquid sibi obstat et dat cladem late. Et sic bene convenit fulminis et Caesaris descriptio.*

V. 163. *Non auro tectisve modus. Malim nunc vel lectisve cum Almelovenio vel textisve. Luxuriosa domi instrumenta carpit poeta.*

V. 170. *Longa. Mihi semper displicuit. Sed quia coniecturae non satisfaciebant, nihil dixi. Nunc videor mihi veram vidisse lectionem, si scribamus iunctim: et antiquos Curionum passa ligones Nolle, sub etc. Fraudi fuit librariis ellipsis adversativae particulae Sed. Eam dele quoque MSS. et Edd. Vett. auctoribus in Apuleio l. VIII. p.* 158. *Ed. Pric. Non sunt tota dentium vulnera. Lancea etc. in Flor. V,* 23. *pari studio, impari celeritate. Inepte Ed. Floridi sed impari.*

V. 186. *Ingens. Non ingeniosa, sed stulta est Withofii coniectura Aggere, historiae et Romanae militiae mori contraria; nimisque abrupta aggeris mentio. Ingens ob ingentes non mutem. Nam hoc maximum et ferme unicum erat indicium divinitatis, quam in imagine moestissima fuisse agnitam a Caesare subdit Luc. v.* 199.

V. 189. *Caesarie lacera. Non hoc cum Burm. mutandum. Facies lacera*

non convenit heroicae et divinae maiestati. Et quis Deae faciem laceraverat? Effusi crines et laceri nequaquam sunt iidem. Iunxit illos auctor quoque II, 335. Atque imitatus hunc locum est Claud. Cons. Prob. et Olybr. v. 85 *sq.*

V. 204. *Tumidus. Sequerer, si MSS. addicerent. Mallem, si quid mutandum, e* 2 *MSS. timidum, ob timentes Caesarem accolas.*

V. 209. *MSS. meliorum auctoritate nunc omnino existimem vocem grave esse delendam.*

V. 229. *Verbere fundae, i. e. plumbea glande. Verum optime flagellum seu scutica et funda vocantur verbera, Virg. Aen. I,* 309. *III,* 106. *Ovid. VII,* 776. *Sil. I,* 315. *Nec intelligo quae scribit Burm. ad III,* 469. *Nervus, quo verbera eiiciuntur; et ibi verbere praestare ait VII,* 513. *pro pondere, quod ineptissimum esset; unde et recte ad ipsum locum pondere retinet. Plumbea glans, quae funda torta emittitur, non potest verber vocari. Fors. hic vulnere legendum, i. e. glande, quae e funda missa facit vulnus. v. ad Sil.* 5, 251. *ad Virg.* 10, 140. *Val. Flacc.* 6, 193. *Strymonaque obscura spargentem vulnera funda.*

V. 232. *Lucifero. Withofii ut Eoo non solum audax est, sed vitiosum et falsissimum. Nusquam Lucanus Eoum substantive pro Lucifero adhibuit. Immo*

substantive pro Lucifero *adhibitus* Eous *semper habet primam brevem. Sed Adiectivum nunc brevem, nunc longam.* Eos *semper longam. De* Eoo *Lucifero substantive vide Prop.* 3, 23, 7. *Val. Flacc.* 7, 22. *Virg.* 3. *Aen.* 588. 11, 4. *ubi errat Servius. Rutil.* 1, 430. *ibiq. Comm.*

V. 238. Non pia. *Forsan* nunciа, *ut v.* 471. 8, 52.

V. 267. Iactatis Gracchis. *With.* sublatis, *frigide. Vulgaris lectio minaci atque insolenti curiae optime convenit. Vide et Burm. ad Ovid. Ibid.* 14.

V. 287. Excipit. *Recte tibi non persuadet With. reponens* erigit; *quasi alterum haud esset Latinum. Omnis res* aliquem excipere *metonymice dicitur, quae quocumque adventanti illic obvenit. V. Liv.* 32, 3, 18. *Restituendum hoc Eutropio ex vetustissimo omnium Cod. Lib.* 4, 8. magno honore excepti dona in Capitolio posuerunt.

Ibid. Aut poscunt. *Certe vitiosum;* at, *quod conjeceram, est in Cod. Thuan. Sed nunc non refragor* τῷ noscunt. *Nam cur praeferas* noscent, *et ita longius a MSS. abeas, caussam non video. Per exaggerationem Curio videtur Senatum accusare non modo negati triumphi, sed et laureae in gremio Iovis deponi vetitae. Hinc non* hoc, *sed* cuncta *tibi Senatus negat. V. ad Suet. Dom.* 6.

V. 298. *Composuit vultu.* Non mutanda distinctio. Nam aliter deest copula, qua hisce iungatur verb. *ait* pro perpetuo auctoris stylo. Non enim *ait* in parenthesi est ponendum. Sed si omnia Burmanni errata vellem notare, finem vix reperirem.

V. 305. *Valido tirone.* Habesne exemplum? MSS. meliores rectius *validae*, ut Liv. 21, 6. Front. 2, 3, 5. Maioremque adversariis conflat invidiam, quod validae et satis plenae cohortes novis tironum dilectibus augeantur et pleniores fiant.

V. 319. *Saevire* et *farra* unice verissimas esse censeo locutiones. Immo video, me in exemplaris margine notasse, Cel. Dorvillium iam coniecisse *farra*; quia in Taurin. Cod. litura erat in *ru*. *V.* et Burm. ad Calp. Ecl. 4, 33.

V. 320. *Minantes.* Prave Cort. *micantes.* *Triste minari* dicitur, ut *crudele minari* Ovid. 8, 466. *graviora minari* 15, 33.

V. 328. *Lustra.* With. in Enc. p. 14. legens *iussa* tot fere errores edit, quot voces. Lucanus non loquitur de tigribus, quae praedatum exeunt, sed quae a praeda redeunt, quasque *pavit cruor*, et quae hinc bene pastae matrum lustra suaque cubilia petunt sive *sequuntur*, (ut millies poetis usurpari nosti) sed tamen non ponunt furorem, dilaniaturae quidquid illis occurrat.

V. 334. *Ex hoc iam te. Non displicet tuum ex hoc tandem. In Cod. Taur. et iam ex hoc.*

V. 335. *Descendere in textu dedi pro discedere, coniecturae loco quaedam pro decedere addens: quam tamen damnavi ad Caes. L. 3. B. G. c.* 76. *pro ea tamen multum facit Silii locus* 17, 610. *Decedesque prius regnis. Aeque et illic legi posset descendes.*

V. 354. *Feras mentes animosque tumentes. Potesne hoc* κακόφωνον *ferre? Ego dictis Lucani minus limatis adscribo. In MS. Almelov. est feroces. Bene, nisi feras praecessisset.*

V. 360. *Veras. Recte improbas hic loci magnas. Profiteri ad Imp. non debet miles, si decorum servabit, se magna, sed vera dicturum.*

V. 372. *Posse mihi. Withofii iuvat sensum facit, sed ita corrigendo ubique sensum possumus bonum reddere, et iuvat locus VI,* 494. *Farnab. exponit necesse est mihi posse eniti ut possim. Nos diceremus ik moet het wel konnen, i. e. curare debeo me posse. Si pro mihi aliud verbum eius litteris propius invenias, facile recipiam.*

V. 381. *Super undas fluvii idem est ac super amnem, fluvium, i. e. ad, iuxta, apud Liv.* 43, 21. *ubi vid. Duker. Sicut omnia quae Burmannus ait ad v.* 396.

satis inepta sunt. Lingones pictis armis pugnaces (v. Cluv. Germ. Ant. 1, 44.) cohibebantur a castris Romanorum praesidiariis, quae posita erant super rupem seu montem Vogesum. Montes habent vere curvas rupes. Fluvii, non montes habent ripas. Hinc vides quoque non intelligi Nomesum, qui rura tenet Nomesi v. 419, ut putabat Withof. me carpens, sed Romanum, qui in Nomesis habebat castra, et qui nunc etiam ad Caesarem signa movet: unde aeque Nomesus et Santonus gaudet amoto hoste.

V. 426. *Constrati covinni. Miror Burmannum movere difficultatem, quomodo e tectis curribus potuerint tela iacere, aut in temone currere. Constrati non sunt ab omni parte tecti, sed superne et ab anteriore parte aperti, uti quotidie tales videmus currus. V. ad Curt.* 10, 9, 25. *vehicula constrata, et ad Apuleium, quem profero, ut tibi emendem, L. X. p.* 224. *posthabitis decoris praedarum carpentis, quae partim contecta, partim revelata etc. Sic habent MSS. O. Praedarum carpenta sunt currus a feris tracti, ut currus equorum, elephantorum, ab equis, elephantis tracti, Ovidio, Suetonio, Frontino, aliis. Feras passim praedas dici et inde praedatorem et praedari de venatore usurpari, mecum scis optime.*

V. 427. *Sanguine ab Iliaco. Withofii coniecturae tempore non solum obstat nimia mutatio et Sidonis locus, sed tempus Iliacum, non addita alia nota, haud significat excidium Troianum: et ibi consedisse post Troiae excidium, non maius*

erat argumentum originis Troianae, quam Graecae; nam et Graeci post longos erratus aliorsum quam in Graeciam se contulerunt. Stare ergo illo versu debet sanguine. *Sed seq. legi* funere; *nunc tamen magis placet ex multis MSS.* foedere; *nam caesus est Cotta per speciem colloquii de pace. Criminosum id facinus polluit magis Nervios, quam si aperto Marte occidissent eum.*

V. 431. *et sq.* Vangiones *non sunt Galliae braccatae, sed Germaniae populi: multo minus Batavi.* Cinga *his oris incognitus, quem velim a Cel. Cannegietero repertum.* Linga *in Batavis.* Gebennae *urbs ignota Lucani tempore, abusive, ut bene mecum notasti;* tubae *vocantur* stridentes et incurvo aere litui. *Ad haec alia multa insunt v.* 434. 435., *quae sano iudicio non respondent; quare hos quinque versus nunc censeo supposititios aeque esse ac* 5 *sqq.* Pictones, *ut omnes docti iam consentiunt. Librarii hic vehementer grassati sunt, nam et alios insititios in MSS. nonnullis memorat Cortius ad v.* 423.

V. 442. Tonse Ligur. *Non mutandum. Tonso nunc Liguri opponit comatam Galliam, cui similes et pulcriores comas* olim *aluerant. Ligures in Cisalpina Gallia. v. ipsum Burm. ad v.* 463. crinigeros Caycos, *quod optime defendit. V. Savar. ad Sidon. c.* 12. *Sil.* 14, 518. *Claud. Cons. Stil.* 201.

V. 448. Dimittitis. *Sic MSS. O. non* dem. *ut in Burm. Ed. V. Markl. ad Stat.* 3. *Silv.* 3, 77. dimissus in axem.

V. 465. *Apertum gentibus orbem. Non Britanniam, in ea tum nulli erant Romani milites; sed deserentibus Rhenum orbemque, sc. Germanicum; hinc expositum gentibus, earumque irruptionibus. Sic explicandum locum opinor.*

V. 478. *Incedere castris*, ἀκυρολόγως *pro densis militibus ex exercitu. Nihil tamen mutandum. Vid.* 319. *Stat. Th.* 6, 663. *Markl. ad* 1, 2, *inf. Sed mallem loca magis adposita. Scin' tu?*

V. 484. *Pavendo. With. serendo. Doce me, quaeso, quid sit sic serere sine casu.*

V. 504. *Nullum recte cum aliis proscribis; sed ita corruptum esse pro natum non temere credo. Nonne vero similius a Lucano scriptum prolem?*

V. 506. *Dubiae saluti. Salus dea nunquam potest dubiae valetudinis esse; nec poterant illi scire, num dubitaret vota audire nec ne; debet esse parva littera. Sen. Oed.* 212. *Sic L.* 5, 450. *vota timori inventa seu concepta. Sed an vota salutis, ut habent MSS. ferme omnes, dici nequeunt pro salute, ut augurium salutis, de quo v. Buleng. II de Aug.*

V. 531. *ignis ejusque variae formae non innuunt varia fulminum fulgurumque genera, sed iaculum lampada etc. ipse sui interpres est Lucan.* 7, 154.

V. 533. *tacitum sine nubibus. With. iactum. An ergo aliter nubes simul cum*

fulmine iaci solent? Nec praecedunt fulmen tonitrua, ut aiunt, sed fiunt ad eius excussionem. Si ergo non fit tonitru, est tacitum fulmen, ut omnis flamma sonitum non edens, nec eo comitata recte dicitur tacita; et penna stridorem non faciens Silio 5, 446.

V. 538. *Phoebe. Non intellexit Lucanum Burmannus. V. ad Sil.* 2, 634. *nec etiam v.* 542. *Orbem gentis, non solis orbem.*

V. 548. *Flebile saevi latravere canes. Cum reliquis nunc intelligo ululantes Scyllae canes. Sed non reponerem tecum saevi. Propria nomina magis solent Glossatorum esse scholia, quam ipsorum poetarum, qui describere a natura amant. Scyllae non corrupissent librarii in saevi. Trillerus legit scaevi capiens itidem de quibusvis canibus prodigiose ululantibus. Et certe aliquoties Scaevus abiit in Saevus apud Apuleium aliosque.*

V. 554. *Tethyn m. u. H. Calpe culmenque. Palmariam fateor esse coniecturam, et qua egregius Lucano sensus efficitur, quae adiuvatur etiam quod in MS. Prisciani vetustissimo invenerim summumque, pro quo tamen culmen rescribi audacioris est ingenii. Si summum Atlantis posset dici pro vertice, res salva foret, ut Summa Lycaei Virgilio G.* 3, 313. *et alibi, ni fallor, in summa montis venire. Sed summum eo sensu nondum inveni. Quid tu? mi Schradere.*

V. 566. *Cecinere deos i. deorum oracula. Latinum non puto. In MSS. aliquot dein inveni deum. Hinc lego luem, ut* 645. 3, 680. 7, 101 *et saepe nostro. Quam saepe vox illa sit corrupta, docet Heinsius aliquoties. V. ad Sil.* 12, 385. *Vell.* 2, 87. *Valer. Flacc.* 3, 246. *Advers.* p. 189. *Eadem corruptionis ratio, quae in servant v.* 599. *pro versant; ut bene coniicis; si ob seq. servare id mutandum. Alioquin* φύλακες *sunt illorum carminum. norunt certe putidum est.*

V. 580. *Consurgere. Var. Lect. concurrere ab hoc loco alienissima mihi videtur.*

V. 600. *Revocant mihi non videtur mutandum, sive sumas pro referunt, ut Glossatores quidam supposuere, scilicet quasi de novo in urbem post ablutionem; sive orant, ut redire velit, et repetunt, respectu primi Cybeles in urbem adventus. Revocare currus Claud. R. Pros.* 2, 318.

V. 642. *Ait, ulla sine l. Withofii nulla si nec constructionem nec sensum habere recte scribis. Ut emendavi et alii post me, reperi dein in* 3 *aliis Cdd.*

V. 647. *Segetes non mutandae cum Burmanno, per varia loca possunt esse dispersae. Confer Ovid. Met.* 1, 137.

V. 651. *frigida accenderet ignes. Nullus in hoc* ὀξυμώρῳ *lepos. Quidni accederet? Vid. ad Caes. B. G.* 2, 6. *Pro incendis v.* 659. *posset reponi intendis. Ita vitabitur satis repetitio.*

V. 657. *flagrasset. Hic mihi Withofianum fumasset admodum adridet. Certe Burmanni fulgente seq. vers. nimis debile.*

V. 681. *Quae tela. E MSS. reponendum quo.*

V.684. *Mutatur. Delenda quae hic scripsi. Recte sensum Lucani vidit. Burm.*

V. 694. *Vidi iam. Nequaquam mutetur in video, ut Burm. putat. Lucanus, ut veterum multi, et ipse Virgilius, quod scis, Pharsalum, ubi victus Pompejus, et Philippos, ubi superati sunt Brutus et Cassius, uno nomine Philippos dixit, sive pro uno eodemque loco habuit. Iam vero dixerat vates v.* 679. *video Pangaea nivosis Cana iugis, latasque Haemi sub rupe Philippos. Hinc postquam cecinerat Consurgunt partes iterum etc., recte nunc subdit quasi mirabunda denuo Vidi iam Phoebe Philippos. Quamquam de hisce geminis Philippis, ut poetas cum vera historia conciliet, eruditissime egit Anglus M. Holdsworth in Septem Epistolis, quas recensent Lips. Nov. Act. Lit. a.* 1750. *p.* 661 *sq.*

Sic, quod promiseram, absolvi; sed paginae quia restat vacuum quid, hoc supplebo conjectura una alteraque. Manil. 5, 120.

Sed populum turbamque petunt, rerumque tumultus

Seditio clamorque iuvat. Gracchoque tenentes
Rostra volunt, montemque sacrum rarosque Quirite
Pacis bella probant.

Hunc locum egregie explicuit et vindicavit I. F. Gronovius, male a Bentleio dissimulatus, in Diatr. Stat. c. 96. *V. et Burm. ad Ovid. Tr. III,* 12, 18. *Garrula bella fori. Tenere rostra est itidem in Luc.* 1, 275, *ubi Barber. Cod. frustra tueri. Sed pro montem sacrum Edd. Vett. et MSS. aliquot praebent montes sacros, quod temere non oportuerat mutari. Consulatur Plinius* 19, *c.* 4. *Nemo sacros Aventinosque montes et iratae plebis secessus circumspexerit. Praeterea quo sensu hic rari Quirites? Conieci ravi sive rauci, ut fiunt tumultuantes et clamosi. Consule Festum in v. Ravus et Heins. ad Ovid. Am.* 1, 12, 11. *Art.* 659. *Eadem vox forsan restituenda est Propertio L. III,* 6, 11. *Quae mulier gravida iactat convicia lingua. Sic est in MSS. omnibus; substituerunt rabida. Non intercedo. Sed insolentior vox rava maiorem corruptiori loco ansam praebuisse videtur.*

Manil. II, 71. *Haereretque vagus mundus, standoque rigeret. Nisi spurius sit versus, sensus legendum esse docet: Erraretque vagus m. standove rigeret. Errare et haerere passim sunt confusa. Apul. Met.* 1, 3. *baculo serpentem l.*

amplexibus inhaerere. Elegantius in MSS. nonnullis inerrare. L. 10. ambitus inerrabant, ubi contra MS. inhaerebant. Tib. 4, 1, 203. versus — vel inerret in ore. In aliquot MSS. male inhaereat.

Sed longae epistolae tandem apponatur clausula. Vale et me amare perge. Leidae XIII. Aprilis MDCCLV.

Tantum h. l. de Oudendorpii Editione, quae ipsa fuit in causa, ut Petr. Burmannus, quippe qui eadem repetere noluisset, rationem et consilium suae Editionis mutarit. Quemadmodum autem Oudendorpius Burmannum, ita Burmannus Bentleium in edendo Lucano turbavit, ut ex praefatione Cumberlandi ad Editionem Bentleianam colligitur, quae ita habet:

AD LECTOREM.

M. A. Lucani Pharsaliam, cum notis Hugonis Grotii et suis illustratam emendatamque, cum olim in lucem dare Bentleius secum constituerat, et, ut editionem suam auctiorem redderet, Nicolai Heinsii in eundem Poetam Adversaria a Viro docto Petro Burmanno per litteras requisiverat; illico, ut ipsum Burmannum in eodem op re iam diu laborasse sensit, manus retinuit, ne in messem viri amici falcem porrexisse videretur. Inde fit, ut in tres modo prio-

res libros notas absolutas receperimus, ceteris non semper ultimam limam perpessis.

Pauca igitur et ad tres tantum priores libros perfectiora dedit Bentleius. Sed cum plurima, qnae summus ille saeculi praeteriti Criticus dixisset, ingeniosa et lectu digna essent, et Editio Lucani Bentleiana in ipsa Anglia rara, multo rarior in Germania sit, Gerhardus Fleischerus, de his litteris bene meritus, beatum Erfurdtium adiit, ut illam Editionem typis repetendam curaret. Is, negotio suscepto, plura ad Editionem futuram paravit, omnia, ut ex notis eius manuscriptis cognoscitur, quae post Burmannum ad Lucanum passim scripta fuissent, collecturus, in unum redacturus et de suo nonnulla, licet pauca, additurus. Quare factum est, ut etiam Clercquii Specimina duo, quae hoc rubro:

Ezrae de Clercq van Iever Specimen Selectarum Observationum in M. Annaei Lucani Pharsaliam, Novae Editionis Prodromus. Cum praefatione Auctoris apologetica pro fama, vita, moribus et amoribus suis. Lugd. Bat. ap. Carol. Delfos et Petr. Delfos iun., Bibliopolas, 1772, 4.

et

Selectarum Observationum in M. Annaei Lucani Pharsaliam Specimen Alterum. Lugd. Bat. ap. Carol. Delfos et Petr. Delfos iun., Bibliopolas, 1772, 4.

in Batavia edita, Germanis minus cognita essent, futurae Lucani Editioni destinarit. De quibus non est, quod nunc moneam. Sed ut lector rationem eorum cognoscere possit, e praefatione satis copiosa repetere iuvat, quae ad Lucanum spectant. Reliqua enim, quae vir doctus contra calumnias et invidiam quorundam satis acerbe et rigide, ut tunc temporis mos fuit, disputans de fama sua, vita, moribus et amoribus cum Ida quadam dixit, erudito lectori parum commodi allatura sunt. In fine praefationis autem ad Prodromum ita pergit Clercquius:

Paucis, erudite lector, accipe instituti mei rationem. Lucani aliquando edendi consilium iuvenis iam ceperam eo tempore, quo cel. P. Burmannus, unicus ille castae poeseos stator, novam huius Poetae editionem post Cortii atque Oudendorpii curas, vergente iam senecta, moliretur. Zuollae transmissum ab optimo Maecenate exemplar nactus, ardorem meum magis magisque excitari sensi, postquam criticam illam optimi poetarum iudicis praefationem, cedro dignis-

simam, perlegissem, in qua, rigidam licet et severam, iustissimam tamen, tam ratione materiae, epici carminis maiestati haud convenientis, quam putidissimae πολυμαθείας et declamatorii acuminis affectationis, censuram in auctorem hunc exercuit. Dolebam tamen vehementer, sordere adeo eruditio visum nostrum poetam: quippe eiusdem lectione compertum habebam, Lucanum plurimis in locis, sola saepe librariorum male describentium culpa, nonnunquam etiam nimia eruditorum, loca sibi non bene intellecta sollicitantium atque emendantium fiducia, immerito vapulare et reum agi, et Criticos aliquando in Lucano acumen quaerere, de quo nunquam somniaverat. Dum igitur novo impetu ad poetae lectionem reversus, notas summi Critici ad poesin Lucani sollicite exigo, ingens successu temporis observationum seges mihi subnata fuit, quae novam editionem iam tum mereri videbatur. Sed sine Mstorum Codicum auctoritate opus illud aggredi in fastidioso hoc seculo, in quo etiam criticorum doctissimi, et in hac palaestra diu summa cum laude versati, Momi reprehensionem vix fugerint, tutum haud putabam. In aliud igitur tempus consilium meum differre coactus fui. Decem fere annos traxit illa dilatio; nam et migratio Dordracena, quo ad Conrectoris munus obeundum vocatus eram, opus interrupit. Mox dein, abdicato hoc munere, Leidensi in Academia Iurisprudentiae et philosophiae sacris operato de Lucano cogitare vix licuit. Tandem, uxore ducta, rei familiaris cura et privatae institutionis, quae vix horulam mihi

vacuam relinquebat, molestia totum hoc Lucani edendi consilium excussit, adeo ut decolasse plane omnis novae editionis spes merito videretur. Si quid tamen otii superesset, subsecivis horis ad Lucanum redibam, adeoque nova semper accessione crescebant observationes, variisque subinde in alios auctores emendationibus et coniecturis locupletabantur adversaria, ut serio dolerem, otii et Codicum penuria optimos ad salutarem poetae manum porrigendam conatus retardari.

Vexillum tandem ad bene sperandum de meis conatibus et Lucani editione mihi erectum fuit a cel. Petro Burmanno Secundo, qui pro summo, quo me complectebatur, amore et favore quatuor Codd. Mss., Var. Lectiones ex Cod. bibliothecae Cantabrigiensis, aliarumque collationum excerpta, duas item antiquissimas editiones, ut et Oudendorpianam, in qua Burmannus, patruus eiusdem, quaedam manu sua adscripserat, et postumam Bentleii editionem, aliaque quaedam suppeditavit; pro quo officio et benigno commoda Reip. literariae promovendi studio meritas publice ago gratias. Quamvis enim in illis subsidiis, quibus cum Oudendorpius, tum Burmannus iam usi fuerant, parum auxilii ad emaculandum poetam (MSS. illis Codicibus, plurimis manifesto corruptis locis, in vitiosam lectionem ita conspirantibus, ac si omnes ex eodem exemplari descripti forent) invenerim, nisi sicubi incuria summorum virorum gemmula quaedam, industriae meae relicta, appare-

ret, promtum tamen ac paratum conatus nostros adiuvandi animum pro ingenti beneficio lubens agnoverim. Verum de his plura in ipsa Lucani editione. Quod vero poetam attinet, Bentleius, summus Criticus, partim ingenii sollertia et limatissimi iudicii acumine, partim plurimis novis MSS. Codicibus adiutus, varia loca audaciuscule tentando, uti mihi ad veram auctoris manum indagandam multum profuit, ita quaedam, a me felici coniectura tentata, mihi praeripiendo rationes meas plane conturbavit, ut plurimae mearum observationum in spongiam incubuerint, omniaque denuo recognoscere coactus fuerim. Utinam vero acutissimo Critico ultimam scriptis suis manum admovere, reliqua limare totumque opus ad umbilicum perducere licuisset! Tum sine dubio culpata toties summi huius viri, temeraria quidem variis in locis, sed non raro felicissima audacia in multis ulceribus et carcinomatis, qualia passim in Lucano remanserunt, vel plenam medelam praestitisset, vel nobis ad commodiorem sanationem praeluxisset.

Utut vero, facta recognitione, mearum me emendationum et coniecturarum non poeniteret, nihil tamen auxilii ferentibus Codicibus, meliora subsidia exspectare et observationes meas premere, ut mora temporis maturescerent, utque maiore cura perpolitae et limatae nitescerent, satius ducebam, quam ab ignavis fucis, qui aliorum famae detrectantes doctos viros Theonino dente rodere solent, atque ineptis calumniis a scri-

bendo deterrere conantur, audaciae et temeritatis reum agi. Cum vero insulsi quidam homines nostras in Lucanum curas, nunquam sibi visas, elevarent, quin et aperte sugillare auderent, tandem visum mihi fuit, interea dum in Lucano ad editionem parando (ad quem laborem longiore tempore aliisque subsidiis opus esse sentio) occupatus sum, simul ut invidorum, lentorem meum sinistre interpretantium, insanis clamoribus et calumniis occurram, et doctorum virorum, novam editionem exspectantium, votis aliquatenus respondeam, Selectas quasdam Observationes publicae luci exponere, ut, quid de nova poetae editione, si Deus mihi vitam et otium, et benignum Maecenatium in novis MSS. suppeditandis favorem largiri voluerit, exspectandum sit, orbi erudito constare liquido possit. Lucanum igitur, meis observationibus illustratum, tandem aliquando videbis, erudite Lector, ita quidem, ut verissimas et indubitatas virorum doctissimorum, qui Lucano manum medicam adhibuerunt, emendationes, reddita in notis ratione, in textum recipiam; verisimiles eorum coniecturas, variasque Codicum, quae ad veram poetae manum ducere lucemque novam verbis auctoris affundere videantur, lectiones sub textu exhibeam, ut uno quasi intuitu, quid quisque eruditorum ad salutem Lucani contulerit, conspici possit.

Haec igitur ab Erfurdtio collecta, neque tamen typis mandata, sive ipse noluerit, sive per fata non licuerit, post eius mortem ante hos qua-

tuor annos a praeceptore carissimo Godofr. Hermanno accepi. Fleischerus enim, rem susceptam perfecturus, Hermannum adierat; a quo huic negotio delectus, ab initio operam meam recusabam. Sed cum a Fleischero impetrassem, ut collationes quatuor MSS. Lipsiensium adderentur, nec non epistola critica de locis aliquot Lucani a me tentatis, illico me accinxi et rem aggressus sum. Ratio Editionis haec erat, ut Bentleii Lucanum hoc titulo:

M. Annaei Lucani Pharsalia, cum notis Hug. Grotii et Richardi Bentleii. Strawberry-Hill. 1760, 4.

evulgatum typis diligenter repetendum curarem, omissis tamen Grotii animadversionibus, nisi ad quas Bentleius respexisset. Reliqua quod attinet, curam adhibebam, ut errores typographici corrigerentur, scriptura sibi constaret, et interpunctio paullo rectius constitueretur. Idem in notis feci, quibus loca a Bentleio vel plane non laudata, vel minus recte laudata addidi, nec non alia a summo viro in aliis libris ad Lucanum passim notata. Quibus in colligendis fortasse diligentior fui, sed magis iuvabat, omnia, quaecunque Bentleii studium in Lucano positum notasset, in aperto et coniuncta habere, quam singula pro lubitu meo omittere. Inter Bentleii notas Clercquii specimina

ad tres priores libros (plura enim non sunt evulgata); sub verba auctoris vero variam scripturam MSS. Lipss. digessi. Foliis nonnullis iam excusis, ecce ex Anglia exemplum Bentleianae Editionis:

M. Annaei Lucani Pharsalia cum notis Hugonis Grotii et Richardi Bentleii. Glasguae. Excudebant Andreas et Iacobus Duncan, Academiae Typographi. 1816, 8.

defertur. Quae, licet mera repetitio prioris, iisdem adeo maculis typothetarum conspersa, nostram tamen Editionem retardavit. Partim enim causa, cur Bentleii Editio typis iteranda esset, iam nulla erat; partim plura in Bentleii annotationibus, plurima in Clercquii Speciminibus inter legendum displicebant, ita ut, qui iam antea invitus Editionis curam susceperam, nunc multo minus eam suscepturus essem. Praeterea iter in Italiam et Helvetiam moram duorum annorum interposuit. Absente me, omnia, quae Editioni prius destinaveram, typis mandata sunt; quorum multa, redux ex itinere, lubenter alio modo instituissem; sed Editio pervenerat paene ad finem. Quare mutatis iis, quae mutari poterant, in duobus his voluminibus Bentleianam Editionem et

Clercquii Specimina, ut supra indicatum est, exhibui; sed Epistolae Criticae loco Dissertationem de spuriis et male suspectis Lucani versibus, aestate praeterlapsa conscriptam, adieci. Bina altera volumina Notitiam literariam de vita, scriptis, MSS., Editionibus aliisque rebus, quae huc spectant, nec non fragmenta Lucani, Scholiastas ineditos, notas meas et Indices in notas ac Scholiastas complectentur. Ita enim spero Editionem nostram maioris fore momenti, quamvis ordo rerum in ea turbatus sit; sed coeptum iter recurrere non est permissum.

Quae cum ita sint, nec mirum videri debet, quod paulo, quam exspectari poterant, tardius haec duo volumina in lucem edita sint; nec si reliqua duo post plures demum annos apparebunt. Etenim non quod nunc demum consilium edendi Lucani ceperim, qui iam ante hos octo annos in Pharsalia multum temporis et laboris sumsi; sed quia non pauca adhuc restant, quae legi, relegi, colligi ac ponderari debeant, et quia optime scio, quid a Lucani Editore merito postulari queat, duo reliqua volumina in aliud tempus differenda putavi.

Quare lectores doctissimos oro rogoque, ut non modo moram interpositam aequo animo fe-

rant, sed etiam hoc edendi Lucani periculum benevole accipiant, de erratis, ut par est, humaniter me admoneant, et, si qua mecum communicanda videantur, communicent. Ita enim sperare licet, hanc Editionem aliquando perfectiorem prodituram esse.

Scripsi Vimariae sub exitu anni MDCCCXX.

M. ANNAEI LUCANI

PHARSALIA

SIVE

DE BELLO CIVILI

LIBRI X.

A

Multa sunt condonanda in opere postumo.

In Librum IV, *Nota* 431.

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER PRIMUS.

VARIAE LECTIONES.

Inscriptio abest ab c; in b et d *Lucanus* sed man. sec.

PHARSALIAE.] In hoc Operis sui exordio gravissimam Summorum criticorum Censuram nullo suo merito sustinuit Lucanus. Singulorum opiniones excutere non vacat, cum ne in publica peccem commoda, tum ne in quemquam Doctorum injurius esse videar. Vituperant vulgo, quod PHARSALIAM inscripserit suum Epos, atque disputant, cur Pharsalicum illud proelium *bella plus quam Civilia* vocaverit, et Scholiastae somnia pro veritate amplexi Poetae diem dicunt, eumque ineptiarum reum agunt. *Jus* dein *sceleri datum* interpretantur, vel *licentiam factam sceleribus* vel *jus scelera impune perpetrandi*. Frustra vero haec omnia, ut mihi quidem videtur, et contra Poetae mentem, quam ex domesticis ipsius cogitationibus eruere, et excussis totius exordii partibus, verbisque insigni menda emaculatis, verum illius sensum explicare conabor, veniam facile impetraturus a cordatis Lectoribus, si ad pleniorem hujus adeo exagitati exordii interpretationem verbosior fuero. Age! videamus igitur, *cur* et *quo jure* hoc Poema PHARSALIAM inscripserit, consiliumque Auctoris et scopum ipsi propositum clara in luce collocemus.

Juvenis admodum, cum PHARSALIAM suam inchoaret, erat Lucanus (scripsit enim teste STATIO *Lib.* II. *Silv.* VIII. *vs.* 74.

Ante annos Culicis Maroniani.)

mascula facundia et Poetico spiritu satis plenus, sed partim seculi a pristino eloquii nitore jam degenerantis vitio, partim propria inconsultae juventuti temeritate bono ingenio male abusus. Quemadmodum vero Philosophiae Naturalis et Moralis Stoicorum disciplinae, Senecae patrui sui institutione, apprime gnarus fuit, ita inani πολυμαθείας affectatione ridiculus, putidissimaque Declamatorii acuminis, quod summa tunc temporis in admiratione ac deliciis erat, ostentatione in transversum raptus effrenem impetum moderari non potuit. Iis vixit temporibus, quibus Virtus odio et Doctrina contemtui habebatur, gravissimoque Tyrannidis jugo oppressa gemebat Libertas. Ne-

BELLA per Emathios plus quam civilia campos,
Jusque datum sceleri canimus, populumque potentem

ronis iram et indignationem nimia eloquentiae fama sibi concitavit, quippe qui a Poeta publico in certamine, recitato Orpheo, victum se dolens (palmam enim Poeticam Monstrum illud adspirabat!) ei stolida invidia foro, theatro omnique Poetica interdixit. Non tulit hanc injuriam generosi, sed impotentis nimium, animi juvenis, adeoque implacabili in Neronem odio exarsit, ut Pisonianae conjurationi palam adhaeserit. Furore itaque stimulatus factam sibi injuriam vindicare et Neroni vicem referre statuit: quare neque injuriosis in Principem dictis aut factis abstinuit, et Tyrannidem ejus posteris odiosam reddere satagens carmini Epico materiam quaesivit. Hanc invenisse sibi visus est in persona J. Caesaris, qui Pharsalico proelio victor, oppressa Libertate, Tyrannidem occupavit. Quemadmodum enim Virgilius Augusti liberalitatem expertus, quo gratum Principi animum testaretur, optimo consilio Epici sibi carminis materiam sumsit Aeneam, pietate armisque insignem, ut hoc illustri veluti in exemplo Virtutem et Clementiam Augusti invidendis laudibus celebratam ad posteros transmitteret: sic diversa via ingressus Lucanus, injuria et contumelia gravi exacerbatus, vituperio J. Caesaris, tamquam Tyranni et Libertatis hostis *totam Caesareae domus seriem* (*vid. Lib.* IV. *vs.* 823.) atro carbone notare, ipsumque Neronem diffamare, ejusque tyrannidem et saevitiam exagitare instituit, ut ita civibus immani hujus monstri odio jam diu laborantibus amissae libertatis desiderium renovaret, et conjuratis ad maturandam Neronis caedem animum adderet. PHARSALIAM itaque hoc Opus inscripsit, sive VICTORIAM SCELERATI TYRANNI J. CAESARIS, *qui victo Pharsalicis in campis Pompejo, oppressa Romanorum Libertate, sibi contra jus et fas Imperium summum vindicavit et Tyrannidem invasit.* Haec mens, hic scopus Lucano fuit, qui fatali huic ad Pharsalum proelio amissam Libertatem imputat, et statuit, si Pompejus in proelio ad Dyrrhachium scivisset uti victoria, cladem illam Pharsalicam potuisse vitari, Romamque potuisse manere Tyrannide liberam *(vid. Lib.* VI. *v.* 313.*)* unde et sola proelii Pharsalici memoria, ut quo funditus periit Libertas, Thessaliam ipsam odio prosequitur. *Lib.* VII. *v.* 869.

O Superi, liceat terras odisse nocentes!

Haec de Operis Inscriptione et Scopo Auctoris. JEV.

1. *Bella plusquam civilia*] Ita Auctor vocat *proelium* PHARSALICUM, id est, *proelium Tyrannicum*, quod scilicet *animo opprimendae Libertatis et Tyrannidis invadendae* a J. Caesare susceptum fuit. Hoc *Celeberrimus* P. BURMANNUS, ingens quondam nostrum et Critices decus, vidit in elegantissima sua Praefatione, Lucano praemissa, ubi hoc OVIDIO sublectum monuit *Lib.* XII. *Metam. v.* 583.

Exercet memores PLUS QUAM CIVILITER *iras.*

id est, *Tyrannorum in morem. Civilia* enim *bella*, mutuo partium diversarum odio sumta, nihil aliud sibi propositum habent, quam tollere partes invisas, sine

In sua victrici conversum viscera dextra;
Cognatasque acies; et, rupto foedere regni,

V. 3. *convèrs. victric.* d.

ullo Libertatis publicae dispendio. Victis siquidem partibus et deletis factionum ducibus cessant tandem odia ipsumque bellum. Verum hoc bellum ex mente Poetae a J. Caesare ad summum Imperium invadendum gestum fuit, adeoque *plus quam Civile* sive *Tyrannicum* merito dici potest. Quem vero idoneum mage veritatis hujus Sponsorem dederim quam ipsum Lucanum? Audiamus eum *Lib.* II. *vs.* 226. levicula emendatione adhibita, haec firmantem.

Exulibus Mariis bellorum maxima merces
Roma recepta fuit: nec plus victoria Sullae
Praestitit invisas penitus quam tollere partes.
Hos alio Fortuna vocas; so- LIUMQE PETENTES
Concurrunt: neuter civilia bella moveret
Contentus, quo Sulla fuit!

pro *olimque potentes*, quod in vulgatis est, rescripsi *soliumque petentes*, quam veram Lucani manum esse ad eundem locum demonstratum dabimus. JEV.

2. *Jusque datum sceleri*] Haec verba ex mente Poetae jam longe aliud significare ac Eruditis vulgo visum fuit, ex iis, quae dicta sunt, liquido patet. Jus enim, quod et Jus MUNDI *Lib.* II. *vs.* 321. et RERUM POTESTATEM *Lib.* II. *vs.* 136. vocat, hic denotat *Summum Imperium*, quod *datum esse* dicit SCELERI, id est, *scelerato J. Caesari*, qui HOSTIS PATRIAE judicatus, victo in campis Pharsalicis Pompejo, Dictatura perpetua armatus summum imperium occupavit. Odio enim Tyrannidis Poeta Caesari ejusque partibus longe, quam par erat, iniquior eum nunc LIBERTATIS HOSTEM, *Lib.* VII. *vs.* 695. nunc TYRANNUM, *Lib.* IX. *vs.* 279. et *Lib.* X. *vs.* 343. et SCELUS, *Lib.* IV. *vs.* 228.

Hostes nempe meos SCELERI *jurata* NEFANDO
Sacramenta tenent.

id est, *nefario et scelerato Caesari: Caussam* denique ejus SCELERATAM dicere consuevit, *infra hoc Libro vs.* 128.

Quis justius induit arma,
Scire nefas: magno se judice quisque tuetur,
VICTRIX CAUSSA *Deis placuit, sed* VICTA *Catoni.*

ubi VICTRIX *sceleratam*, VICTA vero *justam caussam* ex Poetae mente et judicio Catonis significat. Sic *Lib.* VII. *vs.* 168.

At tu, quos SCELERI *Superos? quas rite vocasti*
Eumenidas, Caesar? Stygii quae numina regni?
Impia tam saeve gesturus bella litasti?

SCELERI lego pro SCELERUM. (Sic enim ibi rescribendum recte docuit *Cl.* BENTLEJUS. *Ex Addend.*) *Vocasti Superos sceleri*, id est, *ad scelus, ad nefarium consilium opprimendi libertatem et Tyrannidem occupandi*, unde et addit IMPIA illum gessisse BELLA. Vulgatum enim illud *scelerum Superos* nullo colore defendi posest, ut ibidem loci videbimus. JEV.

4. *Rupto foedere regni*] *Ruptum regni foedus* male de Triumviratu hic capiunt Doctissimi

Certatum totis concussi viribus orbis
In commune nefas: infestisque obvia signis
Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.
Quis furor, o cives? quae tanta licentia ferri,

7. *pili* b.

Interpretes: nam *vs.* 85. demum de Triumviris loquitur Poeta. REGNUM nostro Auctori est *Imperium Romanum*, uti infra *vs.* 109.

> *Dividitur ferro* REGNUM, *populique potentis,*
> *Quae mare, quae terras, quae totum possidet orbem,*
> *Non cepit Fortuna duos.*

RUPTUM igitur FOEDUS REGNI hic notat *Pacem publicam, Imperii Romani ruptam et disturbatam*, quod longe post mortem Crassi factum fuit, turbantibus tandem Rempublicam Caesare et Pompejo, quorum amicitia et concordia, mortua Julia, diu durare non potuit. vid. *infr. vs.* 113. FOEDUS Lucano notat *vinculum concordiae, quod cuncta ligat.* Sic *Lib.* II. *vs.* 2. FOEDERA RERUM vocat *concordiam elementorum*, et infra *vs.* 80. FOEDERA MUNDI notant *partes mundi nexas et conjunctas, in fine seculorum dissolvendas,*

> *totaque discors*
> *Machina divulsi turbabit* FOEDERA MUNDI. JEV.

6. *In commune nefas]* In mutuam non tantum Romanorum perniciem, sed in generale totius terrarum orbis exitium, quod hinc patet, quia *totis viribus orbis concussi certatum esse* dicit; ut scilicet eo magis exaggeret hoc nefarium proelium, quo pro Hispanica sua magniloquentia fingit genus humanum fere exstinctum fuisse, ut clades haec multis seculis vix reparari posse videretur, quamvis orbis bello careret. vid. *Lib.* VII. *vs.* 387. 634. *et seqq.* Sic FLORUS *Lib.* IV. *cap.* 2, 4. *Bellum civile inter Caesarem et Pompejum* vocat COMMUNE *quoddam* OMNIBUS GENTIBUS *et plus quam bellum.* Sic ibi legendum ex Cod. Palatino, in quo erat *commune ex omnibus gentibus*, teste SALMASIO, eamque lectionem immerito ab eo damnari recte existimabat N. HEINSIUS. *Vid. ibi not.* GRAEVII. NEFAS pro *exitio Lib.* II. *vs.* 4. *Natura indixit nefas.* et *Lib.* V. *v.* 204.

> *Et nondum numina tantum*
> *Decrevere* NEFAS.

SENEC. *in Thyest.* 89.

> *Ducam in horrendum* NEFAS
> *Avus nepotes?* JEV.

7. *Pares aquilas]* Nullus interpretum, quod sciam, hoc loco haesit, aut ullam mendae suspicionem fovit. Ut tamen verum fatear, PARES illae AQUILAE valde mihi suspectae et Lucano indignae videntur. Quid ita? dicam breviter. Quia, hoc modo si scripsit Auctor, ineptus aut mendax merito videri possit. *Mendax*, quia AQUILAE, id est *Legiones* utrimque nec numero pares nec fortitudine fuere; nam de *Similitudine* AQUILARUM haec vox explicari commode nequit, quia *dissimiles aquilas* Romanis fuisse ne suspicari quidem licet: *ineptus*, quod in solis AQUILIS, Declamatorii acuminis delicias, ἀντίθεσιν neglexit. Legendum suspicor,

> *infestisque obvia signis*
> *Signa, aquilas* AQUILIS *et pila minantia pilis.*

in Cod. Veteri per compendium scriptum olim fuisse crediderim

> *aquilas lis, et pla minantia plis,*

cumque ineptus librarius sive ignorantia sive negligentia omisisset illud *lis*, quod *aquilis* notabat, claudicanti huic versui male sedulus Criticus succurrere cupiens illud inconcinnum *pares* (sive ex VIRGILIO *Lib.* I. *Georg. vs.* 489.

> *Ergo inter sese* PARIBUS *concurrere telis*
> *Romanas acies iterum videre Philippi:*

sive ex vulgato incerti Auctoris Epigrammate in Lucanum, quod hoc modo incipit:

> *Corduba me genuit: rapuit Nero: proelia dixi,*
> *Quae gessere* PARES *hinc socer, inde gener.*)

intrusisse videtur: nam PARIA TELA in dicto Virgilii loco recte se habent, *quia*, ut SERVIUS ibi ait, *in bello Civili Romani similibus armis et telis utuntur*, qui et ibi Lucani hunc locum citat, ad postrema Poetae nostri verba sine dubio respiciens *pila minantia pilis.* PILA propria Romanorum *tela.* Sic *Lucan. Lib.* X. *vs.* 48.

> *Pro pudor! Eoi propius timuere* SARISSAS,
> *Quam nunc* PILA *timent populi.*

Sarissae enim ibi tela Macedonum, *pila* Romanorum arma notant. SERVIUS in *paribus* illis *telis* VIRGILII de aquilarum similitudine ne somniare quidem mihi potuisse videtur, ut adeo vel hic Lucani locus in Servii Codicibus corrupte expressus, vel ab ipso Servio ex vitioso Poetae nostri Codice descriptus sit. Si quis enim hic *pares aquilas* SIMILES explicet, nae! actum egerit. Omnis enim oppositionis ita perierit venustas et orationis concinnitas desiderata fuerit. Antithesin VIRGILII *Lib.* IV. *Aen. vs.* 628. adumbrare voluit,

> *Litora litoribus contrària, fluctibus undas*
> *Imprecor, arma armis.*

[Inserere hic juvat, quae Cel. P. BURMANNUS SECUNDUS, ad tuendam vulgatam in Lucano lectionem, in Epistola benigne mecum communicare voluit: „Illud „— *aquilas aquilis* etc blandi„tur valde et blandiri debet omni„bus illis, qui aliquem in his „gustum habent. Sed nondum „tamen mihi persuaderi patior, „*pares aquilas* a Lucano abi„gendas esse, quas vindicare „possunt eximii illi numi consu„lares in gente Antonia a Vail„lantio, Morellio, Mediobarbo „pluribusque aliis editi, et Tri„umvirum Antonium spectantes, „cum nave Praetoria et aquila „legionaria inter duo signa mi„litaria, quos a Leg. I. ad Leg. „XXX. apud Mediobarbum videre „potes, e quibus pateat, Caesari „et Antonio fuisse

> „*pares aquilas et pila mi-*
> „*nantia pilis*

„adeo ut Poeta, duplici antithesi „contentus videatur studio inter„posuisse illas *pares aquilas*, ne „tertia antithesis modum exce„deret." Dissentire a me hac parte Virum Summum, tantum abest, ut aegre feram, ut potius Lucano gratuler, si quid temere a me motum videri possit. Conjecturam proposui, quae, utut veri simillima videatur, mera tamdiu conjectura manet, dum Codice aliquo firmetur. Numorum fidem haud elevo. Se tamen vel unus Codex addixerit, manus Auctoris esse videatur. Ansa Conjecturae fuit, quod *pa-*

res aquilas ex mente Auctoris explicare *adversas*, *hostili et gladiatorio more oppositas* duriusculum videretur, et, si de *similitudine* aquilarum capere volueris, omnis illa, quae ex vi *ἀντιθέσεως* resultare videbatur, venustas plane periret. Gratus Summi Viri favorem agnosco. Libenter enim redargui me patior et qua ipse in aliorum scripta libertate honeste uti soleo, eandem illis in mea lubens permitto. *Ex Addend.]* Quamvis autem haec mera conjectura sit, quam pro Pythii Apollinis Oraculo nemini obtrudo, tamen cum non adeo a veri similitudine recedere videatur, et saepius oscitantia librariorum ita errori ansam dederit, premere eam nolui, ut occasio pateret Viris Doctis, antiquos Lucani Codices possidentibus, dispiciendi, si quo forte MSto haec conjectura firmari possit. Latent enim hic illic certe in Bibliothecis adhuc tales Thesauri, quemadmodum in Bibliotheca Bernensi quatuor Lucani Codd. MSS. servantur, teste SINNERO in Catalogo ejusdem Bibliothecae; quos excutere si liceret, non poenitenda restituendo Lucano praesidia sine dubio in iis reperiremus. Testabuntur tot loca, in omnibus fere MSS. Codicibus mendose expressa, quae sola ingenii sollertia a nobis integritati feliciter restituta Lectores mirabuntur.

Age, jam excussis totius exordii partibus sensum ipsum Auctoris videamus. *Canimus*, inquit, *proelium Tyrannicum in campis Pharsalicis, quo, oppressa Romanorum Libertate, scelerato Caesari summum Imperium datum; Romanosque rerum dominos in sua viscera saevientes; Castra cognata Generi Socerique, et quomodo, rupta pace publica, totus viribus orbis, in bellum se erigentis, in mutuam suam perniciem totiusque terrarum orbis exitium certaverint Romani, signa signis, aquilas aquilis, pila pilis contraria tulerint.* Ita, nisi fallor, suus Poetae sensus pulchre constabit, adeoque Exordium hoc omnem facile censuram effugiet, neque ineptum amplius videri poterit. Caeterum ex iis, quae de scopo Lucani a nobis dicta sunt, refellitur ultro illa vulgo jactata Fabula, qua asseveratur, *Lucanum ex abrupto suum Poema exorsum fuisse, septemque primos versus a Seneca, Poetae nostri avunculo, additos fuisse,* cujusmodi Scholion in plurimis Lucani codicibus se invenisse testatur VOSSIUS *ad Catullum pag.* 284. Monuit hoc et BROUKHUSIUS in Notis, quas DAVID HOOGSTRATANUS ex ejus codice adscripsit margini Editionis Schrevelii *ad vs.* 8. Sed genio Lucani optime convenit hoc exordium, Auctoris stylum manifesto prodit, et sine eo ipsum Poema mancum et imperfectum foret, quare Auctori suam manum et mentem vindicare visum fuit.

Quamvis vero haec qualiscunque opera Lucano soli unice destinata sit, nil vetat tamen, quo minus et aliis Auctoribus, simili oscitantia Librariorum corruptis, opem subinde feramus. Juvabit igitur hic emaculasse locum HORATII vexatissimum, qui summis in Arte Critica Viris diu crucem fixit, et in quo itidem menda nata fuit ex compendio scripturae non intellecto. Est vero locus ille *Lib.* IV. *Od.* IV. *vs.* 13.

Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem
Dente novo peritura vidit.

BENTLEJO, acutissimo Critico, merito suspectum fuit illud *lacte*, cum praecesserit *fulvae matris ab ubere:* quare conjiciebat vel *jam mane* vel *jam sponte.* Utrumque merito displicet, ut majestate Horatiani carminis indignum. Certe illud *lacte* ex

marginali glossa, qua vir Doctus illa verba *ab ubere matris* explicuerat, in *textum* irrepsisse videtur. Nil tamen hic juvant Codices. Quid igitur reponendum, hariolari cogimur. Age! conjectura sagaci desperato huic loco medicinam facere tentemus. Legendum suspicor,

Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere
NON ANTE *depulsum leonem*
Dente novo peritura vidit.

NON ANTE id est, *modo, recenter a lacte depulsum*, quod vel hinc patet, quod *capream* Novo *dente perituram* dicit. *Novi dentes*, qui Juveni leoni jam primum eruperunt. Foetus enim a lacte depellunt ferae, cum dentes crescere incipiunt. *Non ante* est locutio mere Horatiana. Sic *Lib.* I. *Od.* XXIX. *v.* 3.

NON ANTE *devictis Sabaeae*
Regibus, horribilesque Medo
Nectis catenas.

et *Lib.* III. *Od.* XXIX. *vs.* 2.

NON ANTE *verso lene merum*
cado.

Scriptum videlicet fuit in Codice, *ō āte*, cum vero librarius illud scribendi compendium, quod *Non ante* notabat, minime caperet, e marginali glossa arrepta vox *lacte* ansam corrumpendo loco dedit. Nemo, credo, de veritate hujus emendationis dubitabit. Sed ad Lucanum! JEV.

8. *Quis furor, o cives?*] Codex Colbertinus omnium veterrimus, ad v. octavum, hoc in margine annotat manu antiqua: *Huc usque Seneca: Modo Lucanus.* Isaacus Vossius ad Catullum, p. 284. *In pluribus*, inquit, *Lucani codicibus, dicitur is ex abrupto exorsus suum poema, addito hoc Scholio, hos versus primos septem Seneca dicitur addidisse, ut quidam volunt, avunculus Lucani. An hoc verum sit, alii arbitrentur.* Ex abrupto inchoatum poema, *Quis furor, o cives*, etc. sine versibus illis VII, non omnino est verisimile, verum tamen esse potest, versus illos a patruo suo (non avunculo) impetravisse Lucanum, certe vel ipso Lucano dignissimi sunt. Ceterum hoc in veterum commentariis, qui Hieronymi aetate ad Lucanum extabant, memoriae proditum arbitror: Doctissimus Pater Apologia in Rufinum prima, *Puto*, inquit, *quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium commentarios; Vulcatii in orationes Ciceronis; Victorini in Dialogos ejus; et in Terentii Comoedias praeceptoris mei Donati, atque in Virgilium; et aliorum in alios, Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium, atque* LUCANUM. In codice Lucani vetusto, 800 fere annorum, qui olim Puteanorum Fratrum nunc Regis Galliarum est, Commentarius habetur perpetuus, eadem qua Textus manu.

Ibidem, *Quae tanta licentia ferri,*] Citatur hic versus a Prisciano Lib. XVII, p. 1072; ubi in codice insigni Bibliothecae publicae Cantabrigiensis, annorum minimum 800, non *Licentia*, ut in exemplaribus Prisciani editis, sed antiqua et prima manu scriptum est,

Quis furor, o cives, quae tanta INSANIA ferri.

Et nescio an hic respexerit Martialis, IX, 70,

Cur nunc, o mores, cur nunc, o tempora, dicis?
Quod tibi non placeat, Maeciliane, quid est?
Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri.

Ubi *Feritas* de bello Catilinario, *Insania ferri* de hoc ipso Caesariano dicitur. *Virgil*, Aen. VII, 461,

Gentibus invisis Latium praebere cruorem?
Cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis
Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta;
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?
Heu! quantum potuit terrae, pelagique parari
Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextrae!
Unde venit Titan, et nox ubi sidera condit,
Quaque dies medius flagrantibus aestuat horis,

13. *terrae potuit* b. 16. in b additum est *vel oris.*

Saevit amor ferri, *et scelerata* insania belli.

Cicero in Pisonem C. 21. *Nisi poenas patriae, diisque immortalibus eas quae gravissimae sunt* furore *atque* insania *penderet.* Florus III, 21, 18 de bello Mariano: *Scipione Norbanoque Coss. tertius ille turbo civilis* insaniae *toto* furore *detonuit:* Ubi itidem ut in Nostro, et *Furorem* et *Insaniam* habes. Sed cum Lucani codices, aliique a me consulti Priscianei, unanimi consensu, *Licentia* praeferant, nihil hic mutare ausim.

Ibid. *Quis furor, o cives, quae tanta licentia ferri*
Gentibus invisis Latium praebere cruorem?
Cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis
Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta;
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?

Distinctione prava corruperunt nobis sententiam. Recte quidem satis, si grammaticam solam spectes, continuari possunt illa, *Quis furor, quae tanta licentia, praebere cruorem gentibus?* Sed sententia, quod jam dixi, tali constructione misere jugulatur. Sic enim procedendum erat, *Quae licentia, cruorem praebere;* bellaque gerere, *nullos triumphos habitura?* Quorsum igitur aut unde illud *placuit;* non otiosum modo atque iners, sed incommodum atque noxium? At mutata distinctione, commode et belle se habent omnia,

Quis furor, o cives? quae tanta licentia ferri?
Gentibus invisis Latium praebere cruorem,
Cumque, etc.

placuit praebere cruorem, et bella geri, nullos habitura triumphos? plena clausula est, et interrogatione terminatur.

15. *Nox ubi sidera condit.*] Mirum in modum hic aestuavit Criticorum Princeps P. BURMANNUS, uti ex notatis ab eo ad hunc locum patet. Confer et *Observat. Miscell. A.* 1733. *Vol.* III. *pag.* 249. Sed nihil sollicitandum. Lege litera majuscula, *Nox ubi sidera condit*, id est, *ubi Occasus condit solem. Nox* Poetis Dea, et obscurae atque tenebricosae huic Divae dant nigrum currum. TIBULLUS *Lib.* III. *Eleg.* IV. *vs.* 17.

Jam Nox aetherium PIGRIS *emensa quadrigis*
Mundum caeruleas laverat amne rotas.

Et qua bruma rigens, ac nescia vere remitti,
Adstringit Scythico glacialem frigore pontum:
Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes,
Et gens si qua jacet nascenti conscia Nilo.

18. *Scythicum glaciali* b. c. 20. *nascenti Nilo;* supra i et o man. alia *is* et *i* scripsit in d.

Pigris corrigo, id est, *tardis*, vel *soporem inducentibus*, quum enim *caeruleas rotas* dixerit, inepta *ταυτολογία* esset *nigras quadrigas* ingeminare. De curru autem Noctis, quem Poetae alii *bijugum*, Tibullus solus *quadrijugum* fingit, vide notas Elegantissimi Broukhusii ad dictum Tibulli locum, nec poenitebit. Sed haec *ὡς ἐν παρόδῳ*. Sidus vero et Sidera absolute pro *Sole* poni non est inusitatum. Ovid. *Lib.* I. *Art. Am.* 724.

> *Candidus in nauta turpis color, aequoris unda*
> *Debet et a radiis* Sideris *esse niger.*

Sic *Jubar* pro *Sole*. Lucan. *Lib.* VII. *vs.* 45.

> *Vicerat astra* Jubar,

et, quod durius videri posset, Astra simpliciter pro *Sole* dixit loco vexatissimo *Lib. eodem vs.* 452. quem ita lego,

> *Astra* Thyestes
> Impulit *et subitis damnavit noctibus Argos,*

id est, *Thyestes solem retro in ortus fugere* (hanc enim vim esse *τῦ impellere*, ibidem loci videbimus) *coegit, et caussa fuit, cum Argos subitis tenebris opprimeretur, sole deficiente.* Vulgo corrupte legitur

> *Astra Thyestae*
> *Intulit,*

si enim *astra intulisset*, tantae et tam spissae tenebrae non fuissent. Versu vero sequente Oudendorpius recte rescribi voluit *flagrantibus Austris*, quod ex Scythico frigore et Borea, Austris opposito, satis patet. *Flagrantes* enim *horae* vel *orae* mihi placere non possunt. Jev.

16. *Quaque dies medius flagrantibus aestuat horis]* Qui primi *Horis* hic substituerunt, *medium diem* medium diei tempus accipiebant atqui, ut alibi passim, partem orbis meridionalem indicat. Repone igitur,

> *Quaque dies medius flagrantibus* aestuat auris.

Ovid. Metam. II, 229.

> *Nec tantos sustinet aestus*
> *Ferventesque auras.*

Seneca, Herc. Fur. 235.

> *Penetrare jussus solis aestivi plagas,*
> *Et adusta* medius *regna quae torret* dies.

19. — *jam barbarus isset Araxes]* corrige Hydaspes. Nam Araxes in Armenia, satis prope, at hic designat extrema orbis Terrarum, VII, 188.

> — *Tyriis qui Gadibus hospes*
> *Adjuvet* Armeniumque *bibit Romanus Araxen.*

Armenios vero subegit Pompejus II, 594.

> *Armenios Cilicesque feros Taurosque subegi.*

et inter ejus auxiliares numerantur, III, 245.

Tunc, si tantus amor belli tibi, Roma, nefandi,
Totum sub Latias leges cum miseris orbem,
In te verte manus: nondum tibi defuit hostis.
At nunc semirutis pendent quod moenia tectis

21. *Tum* c. d. in margine *tunc* et *tum* in c. belli *est* addit b. *urbibus* rb in membr. eras. *urbibus* man. sec. in marg. c.

Petronius. [cap. 123]

Quid tam parva queror? gemino cum consule Magnus
Ille tremor ponti, Saevi quoque terror Hydaspis
Et Piratarum Scopulus.

20. *Gens si qua jacet.]* In quibusdam Codd. legitur *manet.* Veram hinc Auctoris manum fuisse crediderim,

Et gens si qua LATET *nascenti conscia Nilo.*

Latet, id est, *nobis adhuc incognita est,* sive ut PROPERTIUS *Lib.* II. *El.* VIII. *vs.* 21. ait,

Et si qua extremis tellus se subtrahit oris.

jacere quidem gentes dicuntur respectu situs, sed hunc Auctor hic non attendit, quippe loquens *de terra* IGNOTA. Statuit enim Poeta, gentium Romanis suo aevo cognitarum nullam in toto orbe reperiri, quae fontes Nili sibi vindicare possit. *Lib.* x. *vs.* 284.

Et nulli contingit gloria genti,
Ut Nilo sit laeta suo,

sic *latere* et *jacere* in MSS. confusa *Lib.* II. 162.

cognoscitur illic,
Quidquid ubique latet scelerum;

hinc et emendare licet locum pessime affectum *infra hoc Libro vs.* 623.

pulmonis anheli
Fibra latet, parvusque secat vitalia limes.
Cor jacet:

Quid hoc monstri? pulmo anhelus et male affectus, ejusque fibrae latent! deest igitur pulmo? cave credas. *Cor* victimae saepe defuisse notum ex historia Romana, atque hoc inter prodigia habitum notat OBSEQUENS *Cap.* 127. vid. et SUETON. *in Caes. Cap.* LXXVII. atque *ibi not.* TORRENT. Unde legendum patet,

pulmonis anheli
Fibra JACET, *parvusque* NECAT *vitalia limes;*
Cor LATET,

hoc sensu: Fibrae pulmonis aridi et anheli marcent et flaccidae jacent, nullo humore rigatae, et parvus contractusque asperae arteriae limes, aeri non patens, *suffocat respirationem,* quod notant illa verba *necat vitalia* (vulgo male editum *secat vitalia,* quod adeo ineptum, ut vix dici possit) vel posset etiam legi, *negat vitalia*, et tum *vitalia* explicanda *de vitali aura*, quae contractam arteriam pulmonalem ingredi nequibat: quod firmatur loco gemino *Lib.* IV. 326.

Jam marcent venae, nulloque humore rigatus
AERIS ALTERNOS *angustat pulmo* MEATUS.

Haec, nisi mea me fallit opinio, Emendatio sua non minus

utilitate quam veritate se cordato Lectori facile approbabit. Jev.

24. *At nunc semirutis]* Locus hic insigniter inquinatus, et Viris doctissimis varie tentatus: Bentleius *Finibus* conjicit: Heinsio *Turribus* reponere placuit: Burmannus *Arcibus* rescribi jubet. Heinsii conjecturam veri simillimam judico. Sed ne sic quidem persanatus est locus: manet enim sic inepta *ταυτολογία* inter *tecta* et *domus;* et praeterea ridiculus ita fuerit Auctor. Quaeso enim, an alicui mirum hoc adeo videri possit, si nulli habitatores in semirutis tectis reperiantur? Legendum puto levicula immutatione,

At nunc Semirutae *pendent quod moenia* celsis
Turribus Italiae, *lapsisque ingentia muris*
Saxa jacent, nulloque domus custode tenentur.

Semirutae Italiae rescripsi, quod magis ad mentem Poetae facit quam *semiruta tecta:* dein vero ex Heinsiana emendatione *Turribus* sponte se offerebat *τὸ celsis*, quod pro *tectis* reposui. Sic *altae murorum turres Lib.* II. *vs.* 452. Cumque Poeta Pyrrhum et Hannibalem, Italiae vastitatem inducentes, hic commemorat, satis grave hoc bellum fuisse innuit, ut moenia et turres urbium Italiae disjectas fuisse cuivis patere possit. Levis vero et vulgo obvia haec medicina.

Ast hic aurem mihi vellit Propertius, et medicam quoque manum postulat lacer et deformatus *Lib.* II. *Eleg.* VIII. *vs.* 27.

Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corolla pedes:
Sic nos nunc inopes laudis conscendere carmen
Pauperibus sacris vilia tura damus;

corruptum et insigniter depravatum hunc locum cum Broukhusio libenter agnosco, sed non tam facile, ut nothum et spurium, versum hunc damnare audeo Codex Memmianus habet *conscendere culmen.* Sed neque *culmen laudis* menti Poetae convenit, neque insulsum illud *conscendere carmen laudis* ab ejus manu profectum est. [Celeberrimus P. Burmannus secundus in eadem Epistola: „Tuum illud „*lauto contendere cultu* sua quidem venere non destituitur: „Sed, quod pace tua liceat, nondum rejicere propterea possum „Emendationem Oudendorpianam „*tauris conscindere collum,* quam „laudavi *ad Antholog. Lat. vol.* „I. ad Dedicationem Aeneidos,

„*Corniger haud aries humilis, sed maxima taurus*
„*Victima, sacratos tanget honore focos,*

„ut legendum cum Heinsio. Scis „passim apud Poetas *taurum* majorem victimam locupletiorum in „sacrificio, et *tura vilia* tenuiorum, inter se opponi." De conjectura mea nihil laboro, neque adeo ulli viro Docto emendationes suas invideo, ut non meliora monenti statim parere et cedere paratus sim. Lubens itaque prae mea, satis lubrica fortasse, Oudendorpianam amplectar Emendationem, quam primum simili in hac significatione exemplo, menti Poetae convenienter, probata fuerit. Libere dissentiamus Eruditi; amice et honeste conferamus. Ingens bonarum artium incrementum hoc fuerit! *Ex Addend.]* Videamus, re rite perpensa, an forte ex ductu literarum eam lectionem eruere possimus, quae elegantissimo ejus ingenio digna est. Hic, nisi fallor, sensus Poetae est, *se Augusti laudes et victorias, ut gratum ipsi testetur animum, levibus Elegis celebrare, dum Musa sua nondum altius adsurgeret, nec*

Urbibus Italiae, lapsisque ingentia muris
Saxa jacent; nulloque domus custode tenentur,
Rarus et antiquis habitator in urbibus errat:
Horrida quod dumis, multosque inarata per annos
Hesperia est, desuntque manus poscentibus arvis,
Non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
Poenus erit: nulli penitus discindere ferro
Contigit: alta sedent civilis vulnera dextrae.

26. *tenetur* d. 27. antiquis; s in membr. eras. c. 29. *est*, abest ab c sed man. sec. superscripsit. 30. *tu* in b non legitur. 31. *erat*, super *a* habet *i* c. *descindere* c.

Carminis Heroi tangere posset
opus:

atque ita comparationem instituit a sacris pauperum, voti damnatorum, qui, ubi magnis hostiis facere non possunt, vel *ture* vel *mola salsa* litant. Putem scripsisse Poetam,

Ut caput in magnis ubi non est
tangere signis,
Ponitur hic imos ante corolla
pedes:
Sic nos, nunc inopes LAUTO
CONTENDERE CULTU,
Pauperibus sacris vilia tura
damus;

in membranis erasae fuere vetustate literae forte hoc modo. Sic *ns nc inopes lau. contnd .. cul ..* unde illud *conscendere culmen laudis* primo natum, quod cum non caperent librarii, ansam corrumpendo loco dedit. Videntes enim, hic Poetam loqui de celebrandis Augusti victoriis, hinc inficetum illud *carmen laudis* nobis substituerunt. *Contendere et conscendere* facile confundi in MSS. cuilibet notum est, qui Codices versavit. Est igitur *lauto cultu contendere* positum pro *sumtuosis hostiis lautoque apparatu certare.* Divites enim aureis argenteisque vasis in sacrificiis certare atque ingentibus hostiis facere solebant, cum pauperes fictilibusque vasis uterentur et ture simplici litarent. Tibull. *Lib.* 1. *Eleg.* 1. *vs.* 30.

Adsitis Divi, neu vos de pau-
pere mensa
Dona, neque e puris sperni-
te fictilibus,

confer ibi *not.* Broukhusii, et Persium *in Satyra* II. *v.* 44. ubi severe taxat stultam Romanorum persuasionem, qui putabant, Deos majoribus hostiis et sumtuoso apparatu delectari. Judicent Eruditi, ecquid Divae Criticae litatum sit, nec ne. Jev.

25. *Urbibus Italiae]* Non placet *Urbibus*; nam rursus altero ab hinc versu recurrit, Habitator in *urbibus* erat. Ac praeterea cum *Tecta*, *Moenia*, posuisset, otiose addiderit *Urbibus*; scripsit, opinor, Poeta FINIBUS Italiae: quo vocabulo crescit oratio, totam undique Italiam vastatam indicans, II, 440.

— quod non terat hoste va-
cantes
Hesperiae fines.

Quod si non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnoque aeterna parantur
Regna deis, coelumque suo servire Tonanti
Non nisi saevorum potuit post bella gigantum:
Jam nihil, o Superi, querimur: scelera ipsa, nefasque
Hac mercede placent: diros Pharsalia campos

35. *diis* d. 37. *ista* d. 38. *duros* d.

33. *Quod si non aliam venturo fata Neroni Invenere viam,]* Subtilis adulationis hoc, cum nondum acres illos spiritus Lucano processus aetatis atque opus adblandiens, forte et privatae offensae, indidissent. Nec piguit Plinium hoc imitari Panegyrico ad optimum Principem cap. 6: *Magnum quidem illud seculo dedecus magnum reipublicae vulnus impressum est, Imperator et parens humani generis obsessus, captus, inclusus: Ablata mitissimo seni servandorum hominum potestas, ereptumque principi illud in principatu beatissimum, quod nihil cogitur. Si tamen haec sola erat ratio, quae te publicae salutis gubernaculis admoveret, prope est ut exclamem, tanti fuisse.* Adde quae ibi sequuntur huic loco lucem ferentia. Grotius. Non credo *acres spiritus* Lucano abfuisse, dum haec scripsit; sed ita necesse erat, faciendum fuit; eandem cantilenam canunt alii Poetae, Virgilius, Horatius, Martialis, Statius, Valerius Flaccus, Silius Italicus: qui prosa scripserunt Paterculus, Valerius Maximus, Plinii duo, ac Quinctilianus; decentius qui sub bonis Principibus vixerunt, invidiosius qui sub malis, magis miror audax Nostri ingenium, qui stante domo Caesarea Pharsaliam hanc scribere ausus est. Bentl.

Nemo interpretum hic vitium latere suspicatus fuit, cum tamen mendum manifestum habeat. Cedo enimvero, cur *venturo* potius *Neroni* viam invenirent fata quam *venturo Augusto?* Nero utique jam natus erat, cum haec scriberet Lucanus, qui, malum! venturus dici poterat? Lege, meo quidem periculo, si mentem Auctoris non bene percepero,

Quod si non aliam recturo *fata Neroni*
Invenere viam,

hoc sensu, *si fata nullam aliam viam, qua Nero* ad Imperium *perveniret, invenire poterant quam per bella civilia, jam non esse, quod queratur de fatis;* tanti *enim sibi videri bella Civilia, ut regnet Nero; hanc enim satis dignam mercedem esse, quae penset damna bellorum Civilium;* firmant sequentia

magnoque aeterna parantur
Regna *Deis, coelumque suo servire Tonanti*
Non nisi saevorum potuit post bella Gigantum.

atque ita servatur propria Lucano loquendi consuetudo, qui haec παρηγμένα Declamatoria, quale hic est in *regna* et *recturo*, in deliciis habet, uti sequenti observatione clarius patebit. Jev.

38. — *Diros Pharsalia cam-*

Impleat; et Poeni saturentur sanguine manes:
Ultima funesta concurrant proelia Munda.
His, Caesar, Perusina fames, Mutinaeque labores
Accedant fatis: et, quas premit aspera, classes,

41. *Hiis* c. *Mutinae* in membr. eras. b. 44. debes c.

pos Impleat; et Poeni saturentur sanguine manes.] Tolle distinctionem post *impleat*, quippe *sanguine* tam cum hoc jungitur, quam cum *Saturentur*, sed et praeterea corrigendum,

> Diro *Pharsalia campos*
> *Impleat et Poeni saturentur sanguine manes.*

Eo solo modo sententia continuatur. *Diro sanguine*, hoc est, sanguine humano. Vide I, 444. Bentl.

Diro rescribi jubet Bentlejus, ut ad *sanguine* referatur, non quidem male, sed longe aliud quid mihi in mentem venit. Quid enim hic *Poeni manes* prae aliis devictorum populorum umbris faciant, plane ignoro. *Supra vs.* 31. *eversae Italiae caussam non esse* Poenum dixit, adeoque *Poenorum umbris* hic loci nullus relictus esse videatur locus. Levi correctione legendum esse censeo,

> *diros Pharsalia campos*
> *Impleat et* Pleno *saturentur sanguine manes.*

Fundus hujus emendationis est locus Poetae *Lib.* II. *vs.* 305.

> *Sic eat! immites Romana piacula Divi*
> Plena *ferant, nullo fraudemus sanguine bellum*

Cel. Burmannus quidem vulgatam defendere, aliqua saltem rationis specie, tentavit aliis Auctoris nostri locis: ast in illis locis agitur *de bellis Punicis* vel *Libycis*, in quibus proinde *Poeni manes* se recte habere videntur, quibus et addere possis locum corruptum *Lib.* IV. *vs.* 788. quem hoc modo legendum esse, nullo negotio Doctis persuasero,

> Expiet *invisas dirae Carthaginis umbras*
> *Inferiis Fortuna novis: ferat ista cruentus*
> *Hannibal et Poeni tam dira* piacula *manes;*

in vulgatis male legitur *Excitet.* Nam *inferiae* inde vocantur piacula ab expiando *umbras mortuorum.* Declamatorium Lucani acumen ubique videas in frequentibus illis *παρηγμένοις*, et plane uti in praecedenti observatione *recturo* et *regna*, sic itidem in hac *impleat* et *pleno*, *expiet* et *piacula*, consueto Lucani more, positum deprehendimus. Jev.

41. *His, Caesar, Perusina fames, Mutinaeque labores Accedant fatis:]* Contemplare verborum seriem. *Si* fata *non aliam invenere viam Neroni*, *nisi* per Thessaliae, Africae, et Hispaniae clades, *nihil querimur:* immo his accedant fatis *Perusium, Mutina,* etc. Nec repetitio placet, nec sententia secum congruit. Prius enim *Fata* illa disponunt res et moderantur; postea res ipsae sunt *Fata.* Vix dubito, quin Auctor dederit,

> *His, Caesar, Perusina fames, Mutinaeque labores*
> *Accedant* damnis.

Infra *v.* 106. *Parthica Romanos solverunt* damna *furores.*

II. 226. — — *multoque coitur*
Humani generis majora in proelia damno.

Leucas; et ardenti servilia bella sub Aetna.
Multum Roma tamen debet civilibus armis,
Quod tibi res acta est. Te, cum statione peracta
Astra petes serus, praelati regia coeli

45. *te*, in membr. eras. *e*; in margine *tecum* man.sec. c.

45. *Te, cum statione peracta.] Parata* legunt OUDENDORPIUS et BURMANNUS, quibus merito displicet *κακόφωνον* illud in *acta* et *peracta*. *Peragere stationem* BURMANNUS ne Latinum quidem esse pronuntiat, de quo dubitari posset, cum noster *peragere Martem Lib.* VII. *vs.* 735. et *peragere bella Lib.* IV. 354. *Lib.* IX. 851. dixerit. Sed de eo sollicitus jam non sum, qui, an *parare alicui stationem* satis Latine dicatur, affirmare vix ausim. STATIO militare vocabulum est, notatque locum, quem excubans miles tenere debet, donec jussu summi Imperatoris alius vices ejus subeat. IN STATIONE igitur *positus esse* dicitur miles, qui *exubias agit*. Unde eleganti Metaphora de Termino ait OVID. *Lib.* III. *Fast.* 674.

Qua positus fueris in STATIONE, *mane.*

in MSto. Cortii erat *relicta*, quod cur avide non arripiamus, caussam nullam video. Unice enim illud Auctoris manum redolet. Uti enim *in statione positus* dicitur miles excubans, sic, alio vices ejus subeunte, *stationem relinquere* dicitur. Quare unica vocula inserta, vide, an non agnoscas mentem Lucani et veram manum.

te, cum HAC *statione* RELICTA
Astra petes serus, praelati regia coeli
Excipiet gaudente polo.

hac statione δεικτικῶς, Imperii scilicet, ut idem OVID. *Lib.* II. *Trist. vs.* 219. ait.

Scilicet IMPERII *Princeps* STATIONE RELICTA
Imparibus legeres carmina lusa modis.

votum HORATII pro Augusto *Lib.* I. *Od.* II. *vs.* 45. ante oculos habuit Lucanus.

Serus in coelum redeas diuque
Laetus intersis populo Quirini;
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat. Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater atque Princeps.

Sed Noster Sarcastice hoc votum invertit. Horatius vovet, ut Augustus regno coeli praeferat Imperium terrarum: Lucanus contra, ut Nero regnum coeli praeferat imperio Romano et quantocius in coelum migret. Ideo enim *praelati regia coeli* dicitur, quia, cum Nero ex fictione Poetae pro libero suo arbitrio, *Diis hoc ipsi ultro tribuentibus (vs.* 61.) hic in terris *in statione* tamquam Custos Imperii, *manere* posset, coelum gauderet, se ab eo praeferri Imperio Romano, polique exsultarent, quod illum, quamquam *sero*, excepturi tamen essent; quippe ex Poetae nostri sententia illum jam dudum migrasse oportuerat

Illuc, unde negant redire quemquam.

Confer *Apocolocynthosin* SENECAE, nec pigebit.

Interim me miseri CATULLI subit recordatio, ut vulneri ejus inve-

Excipiet gaudente polo: seu sceptra tenere,
Seu te flammigeros Phoebi conscendere currus,
Telluremque, nihil mutato sole timentem,
Igne vago lustrare juvat: tibi numine ab omni

47. sceptra; *s* man. sec. c. 50. *juvet* b.

terato remedium quaeram. Locus est *Carm.* LXVI. *vs.* 18.

Non ita me Divi, vera gemunt, juverint.

desperatus locus nec ulla salutis spes refulget a Codd. MSS. Neque enim prima syllaba in *juverint* ullo modo corripi potest, neque VULPII ratio mihi probatur. Nullibi enim CATULLUS, quod sciam, primam in praeterito *juvi* eo modo corripuit. Quid multa? crediderim Poetam nobis hoc modo dedisse,

Non, ita me DI AMENT, PECTORE *vera gemunt.*

duae voces *ament pectore* excidisse videntur, ut in MSto. ita relictum fuisse arbitrer,

Non ita me Di am . . . . . . *vera gemunt.*

unde forte male sedulus Criticus illud *juverint* fulciendo metro adjecit. *Vera gemunt.* PROPERT. *Lib.* I. *Eleg.* VIII. *vs.* 22.

Quin ego, Vita, tuo limine VERA *querar.*

ita me Di ament locutio mere Catulliana. Sic *Carmine* XCVI.

Non, ita me Di ament, quidquam referre putavi,
Utrum os, an culum olfacerem Aemilio.

illud *pectore vera gemere* itidem Catullianum, id est, *ex animo.* Sic *carm.* LXIV. 198.

Quae quoniam verae nascuntur PECTORE *ab imo.*

[*Ill.* HEINSIUS *in Notis ad Catullum p.* 649. emendat,

Non ita. ne Divi, ut vera gemant, siërint.

Cel. vero WITHOF (monuit hoc *Cel.* SCHRADERUS) *in Not. ad Orat. de Telchinibus,* corrigebat,

Non, ita me Divi, vera queruntur, ament.

In his Summorum Virorum Emendationibus nihil magnopere culpari possit, nisi quod hoc pacto illae locutiones, *Ita me Dii ament: ne Divi hoc siërint,* nimis divelli videantur contra Catulli consuetudinem. Nostra quoque vereor, ne merito vituperari possit. Verum non aegre me refelli patiar, qui veritatem unice quaero. Pulchrum in hoc stadio vinci. *Ex Addend.]* Sed ad Lucanum redeamus. JEV.

48. *Seu te flammigeros Phoebi conscendere currus,]* Tangit aut blandiens, aut tacite irridens, insanum Neronis studium aurigandi. Tacitus Annal. XIII, 5. *Nero puerilibus statim annis cantus aut regimen equorum exercere.* Plura Annal. XIV, 14. et Suetonius Nerone. Ceterum FLAMMIFEROS ex Editione prima, et codicibus nonnullis reponendum.

49. *Telluremque, nihil mutato sole timentem,]* Culpant hic Poetam nonnulli, quod *mutato sole* dicat, cum *auriga* tantum mutetur. Sed hoc facile refellit Seneca, Hippol. 1090.

Cedetur: jurisque tui natura relinquet,
Quis deus esse velis; ubi regnum ponere mundi.
Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe:
Nec polus adversi calidus qua vergitur Austri;
Unde tuam videas obliquo sidere Romam.
Aetheris immensi partem si presseris unam,

51. *jurique tuo,* d c; in c tamen *ique* in membr. eras. man. sec.; sed in margine a man. prim. *vel juris tui.* relinquet ita b, super e scripto *veli.* 52. *ponere,* man. sec. *n* ex alia litera correxit in c. 54. *aversi,* b. d. 56. *imam.* c. *inmense* d.

Talis per auras non suum agnoscens onus,
Solique falso creditum indignans diem
Phaetonta currus *aerio excussit polo.*

Ut enim hic, eodem manente curru, *Sol falsus* erat; ita apud nostrum, *Sol mutatus.*

54. *Nec polus adversi calidas qua vergitur Austri,]* Praetuleram *mergitur,* quia finitor circulus poetis est Oceanus, ac proinde quod inconspicuum est, mergi dicitur. Et sic locutus Germanicus Caesar Arateis [v. 22] *pars mersa sub undas Oceani,* de polo Antarctico et ipse loquens: Ut et de eodem Avianus [v. 94.]: *Subit altera mersa sub undas Pars Erebum.* Sed video eundem sensum esse posse in recepta lectione. Nam *vergi* passiva terminatione sic dixere Lucretius, multoque posterior Papinius. Priscianus denique hunc ipsum Lucani locum adducit, ut ostendat Latine sic dici. Graviter autem hic in Sphaeram delinquit Lucanus, cum polum Austrinum calidum dicit. Est quidem Auster calidus Arcticum polum spectantibus. At polus Austrinus non minus frigidus Arctico. Addatur hoc caeteris, quae a Lucano pompatice magis quam ex vero dicta. Grotius. *Ibidem.* Et hic Lucanus male audit, quasi *calidum Austri polum* dicendo in Sphaeram deliquisset. Communis omnium Poetarum causa est. Nemo enim illorum aliter locutus est. Quippe *Polus* apud eos non punctum quoddam et Axis extremum notat; sed modo totum coelum, modo quamlibet coeli pro diversa Epitheti ratione partem. *Polus* igitur *Austri calidus* zonam torridam, et quod ultra est hic indicat, ut contra, *Arctoo orbe* plagam septentrionalem. Nam si Polum stricte sumseris, jam nullo modo, ne *obliquo* quidem *sidere,* Roma ex eo conspici potest Duplex igitur, ex Grotii sententia, non simplex fuisset Lucani peccatum. Sed salva res est: Illud insuper notandum, vergitur legendum non mergitur cum Prisciani fide p. 798, tum omnium fere codicum praesertim vetustiorum. Iidem cum Prisciano aversi exhibent, utrumque postulat ipsa sententia; Qua, inquit, a summo seu medio coelo Polus indeclive *vergitur,* versus Austrum ab oculis nostris *aversum.*

56. *Aetheris immensi partem*

Sentiet axis onus; librati pondera coeli
Orbe tene medio: pars aetheris illa sereni
Tota vacet, nullaeque obstent a Caesare nubes.
Tunc genus humanum positis sibi consulat armis,
Inque vicem gens omnis amet: pax missa per orbem
Ferrea belligeri compescat limina Jani.

60. *tum.* b. d.

si presseris unam, sentiet axis onus.] Itane vero? Si *unam quamvis* coeli partem presserit, Axis onere laborabit? Quid attinet igitur consilium dare, ut *medio orbe* considat servetque eo pacto aequilibritatem? Nam et illa parte, quae *una* est, onus sentietur. Repone,

Aetheris immensi partem si presseris IMAM.

Causam hic prioris consilii reddit, ut nec in *Arctoo* nec *Australi* coelo sedem sibi legere velit; quorum utrumvis comparatione medii coeli *Imum* hic vocatur: Et ut ex Mechanica notum indicat, quo longius a Centro sive fulcro onus recedat, eo magis sentiri et plus ponderare. Infra IV, 106, de utriusque poli regione,

Sic mundi pars IMA *jacet, quam zona nivalis*
Perpetuaeque premunt hiemes.

Porro etiam codex Meadianus IMAM habet, inter lineas pro varia lectione UNAM.

58. — *Pars aetheris illa sereni Tota vacet, nullaeque obstent a Caesare nubes.] Pars illa,* medius orbis est, medius Zodiacus. Quid ergo? An semper ibi *Aether serenus* conspicitur? Non profecto magis, quam alibi usquam. Quid porro est, *vacet,* sic absolute positum? Cui rei, vel a qua re vacabit? Corrige,

— *Pars Aetheris illa* SERENO
Tota vacet.

IX, 690. *Itque super Libyen, nullo quae consita cultu*
Sideribus Phoeboque vacat.

Precatur itaque, ut pars illa, Nerone ibi considente, fiat semper serena: Non dicit, quod vulgata lectio ponit falsissimum, jam nunc semper serenam esse.

61. — *Pax missa per orbem, Ferrea belligeri compescat limina Jani.]* Recte *Pax* missa, ut loquitur ipse Janus apud Nasonem Fast. I, 121.

Cum libuit Pacem *placidis* emittere *tectis,*
Libera perpetuas ambulat illa vias.

Quale vero illud est, BELLIGERI *Jani?* Nempe aperto Jano, bellum est, clauso, Pax. Cur igitur magis *Belliger*, quam *Pacifer* dicendus? Neque quisquam alius Poetarum hoc Epitheto Janum donat. Repone,

Ferrea CLAVIGERI *compescat limina Jani.*

Ovid. ibid. v. 99,

Ille tenens dextra baculum *clavemque sinistra.*

Sed mihi jam numen: nec, si te pectore vates
Accipiam, Cirrhaea velim secreta moventem

63. *vatis* d.

Haec scilicet Jani insignia erant, *Baculus* et *Clavis*, non Hasta, Ensis, Lorica, Clipeus, quali habitu erant Mars et Pallas, *belliger* uterque Ovid. Fast. I, 253.

Nil mihi cum bello: pacem postesque tuebar:
Et clavem *ostendens, haec, ait, arma gero.*

Denique, v. 228. de eodem.

CLAVIGERUM *verbis alloquor ipse deum.*

Porro in hac voce, non tamen a *Clave* sed a *Clava* ducta, peccant Librarii apud Senecam Herc. Fur. 528.

Alcmena genitus bella per omnia
Monstris exagitet Coeliferam manum.

Atqui non *manu*, sed cervice et humero, coelum tulit. Scripsit Auctor

Monstris exagitet CLAVIGERAM *manum.* BENTL.

62. *Ferrea belligeri]* Ita vulgo in omnibus libris, qua editis, qua manu exaratis. Nullus Doctorum Virorum huic lectioni controversiam movit, excepto solo BENTLEJO, quo judice JANUS, cum Deus belli non sit, *belliger* vocari minime potest, cujus sententiae hac in parte libenter subscribo. Sed quod audaciuscule ex OVIDIO rescribi jubeat *clavigeri*, me adsentientem non habebit. *Claviger Deus* Ovidio recte dicitur JANUS, qui ex Poetae fictione tamquam janitor coeli clavem gestabat, unde Naso dicit,

Et clavem ostendens, haec, ait, arma gero.

ast heic loci otiosum plane esset hoc Epitheton. Legendum minima mutatione BELLIFERI. Licet enim belli Deus non sit Janus, *bellifer* tamen recte vocari potest, quia ejus limina aperta *bellum fuerunt*, id est, denuntiant. Audiamus ipsum Deum apud Nasonem,

Cum libuit Pacem placidis emittere tectis,
Libera perpetuas ambulat illa vias:
Sanguine letifero totus miscebitur orbis,
Ni teneant clausae condita bella serae.

Belliferi Jani limina igitur significant Templum Jani, BELLIFERI quidem, si apertum; PACIFERI contra, clausum si fuerit. JEV.

64. — *Nec, si te pectore vates Accipiam]* Repone ex utroque Colbertino, Pulmanni uno, et Servio ad Aen. I, 12. ACCIPIO. Firmat clare Priscianus p. 1143. *Lucanus in* I. *Nec si te pectore vates Accipio, Cirrhaea velim secreta moventem Sollicitare deum. Indicativo enim usus (Accipio) comprobat hoc fieri; et* Velim *subjunxit promittens, cum hoc sit, posse minime egere Apolline.* Crediderim quoque, ob emphasin, sic ab Auctore profectum,

— *Nec te si pectore vates.*

Non *si te.* Mox quoque reponendum est, *Bacchum*VE, pro *Bacchum*QUE. Ac denique, ex omnibus ubique codicibus et Editionibus priscis,

Tu satis ad vires *Romana in carmina* dandas:

Non ut Editi recentiores inverso ordine, *dandas vires.*

Sollicitare Deum, Bacchumque avertere Nysa.
Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.
Fert animus causas tantarum expromere rerum:
Immensumque aperitur opus, quid in arma furentem
Impulerit populum, quid pacem excusserit orbi.
Invida fatorum series, summisque negatum
Stare diu; nimioque graves sub pondere lapsus,
Nec se Roma ferens. sic, cum compage soluta
Secula tot mundi suprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos; omnia mistis

66. vires . . . dandas b. d. 67. Est *animus* d. 74. *mixtis* b. c. d, ita semper.

69. — *Quid in arma furentem Impulerit populum,]* Lego RUENTEM. Haec duo passim a Librariis permutantur: Sic I, 254. *Cimbrumque ruentem* vidimus; ubi veterrimi et plurimi codices habent *Furentem.* III, 37. Major in arma *ruit.* Ideo autem hic praefero *Ruentem*, quod adjunctum ei sit *Impulerit.* Tacitus Hist. II, 63. *Sabinus, in alieno discrimine sibi pavens, ne allevasse videretur,* IMPULIT RUENTEM.

74. — *Omnia mistis Sidera sideribus concurrent, ignea pontum Astra petent:]* Sic quidem codices, quod sciam, universi. Sed inepta prorsus sententia est, et ipsa secum pugnat. Si enim *omnia sidera concurrent*, et supervacaneum est addidisse *sideribus*, et absurdum. Recte quidem apud alios legis, *arma armis concurrere*, *montibus montes*, sed ibi scilicet intelligis *alios aliis* concurrere. Atqui si *omnia* Sidera concurrunt; quibus, quaeso, *aliis sideribus* concurrere possunt? Crescit adhuc absurdum, cum addit *mistis sideribus:* Quippe si *omnia* jam *concurrerunt*, quaenam adhuc restant Sidera, quae misceantur. Effugisset haec omnia, si sic dixisset,

— *omnia mistis*
Sidera Seminibus *concurrent.*

Hoc est, *Particulis.* Ut Claud. Proserp. 249.

— *veterem qua lege tumultum*
Discrevit Natura parens, et semina *jussis*
Discessere locis.

Jam vero illud vide quod continuo sequitur, *Ignea pontum Astra petent.* Quid aliud sunt *Astra*, quam *Sidera?* Ergo eadem Sidera et inter se concurrent, et pontum petent, non pudet vanitatis? Sane Seneca Patruus, Consol. ad Marciam sub ipsum finem: *Cum tempus*, ait, *advenerit, quo se mundus renovatus extinguat; viribus ipsa se suis caedent, et* SIDERA SIDERIBUS INCURRENT. Recte quidem hoc, *alia* scilicet *aliis* incurrent, adde huc *omnia;* adde *mistis;* et ex sana oratione, vitiosissi-

Sidera sideribus concurrent. ignea pontum
Astra petent: tellus extendere littora nolet,

76. littora nolet, a man. sec. in membr. eras. supra *nolet* scriptum est *vel nollet* c.

nam facies. Et quidem suspicio est, ex his ipsis Patrui locis interpolatum esse Nostrum. Quippe dempto hoc emblemate, tam loco sua sententia constat, quam versui suus numerus.

Antiquum repetens iterum Chaos: ignea pontum
Astra petent.

Plane ut Patruus in Thyeste, v. 850, nempe sub mundi finem,

Aries praeceps ibit in undas.

et 867. *Monstraque numquam perfusa mari*
Merget condens omnia Gurges.

Ubi pro *Monstra*, legendum FLAUSTRA.

Quod si aegre quis tulerit versum totum explodi, is, si libet, SEMINIBUS legat, ut supra: Et mox *Ignea pontum* AETHRA PETET. *Aethra* idem quod *Aether.*

76. — *Tellus extendere littora nolet, Excutietque fretum:]* *Extendere litora,* sensu, ni fallor, eodem, quo *fines, agri, rura* dicuntur extendi. Quid igitur sibi vult NOLET *extendere?* Et tamen *Excutiet fretum.* Haec *ἀσύστατα* sunt, neque una conjungi possunt. Freto enim excusso necessario extenditur litus; ut rursus, litore extenso, necesse est ut excutiatur fretum. Repone,

— *Tellus extendere litora* QUAERET
Excutietque fretum.

Cupiet, conabitur, enitetur ampliare fines suos, mari expulso. Noster IV, 429.

Jamque relabenti crescebant *litora ponto.*

et IX, 322. — *A syrtibus undas Egit, et illato confregit litore pontum.*

Plinius, Epist. VI, 20. *Mare in se resorberi, et tremore terrae quasi repelli videbatur: Certe processerat litus, multa animalia maris in siccis arenis detinebat.* Vides, cum fretum excutitur, litus inferri, *crescere, procedere*, sive extendi: Contra in diluvio maris, trahi, cogi, vel plane tolli. BENTL.

BENTLEJUS, acutissimi ingenii Criticus, hic recte vidit ulcus latere, et concludit illa verba,

mixtis
Sidera sideribus concurrent,

esse spuria et *ὑποβολιμαῖα.* Fateor, ante viginti fere annos in eadem jam fui opinione, quia *sidera* et *astra* inepte repeti videbantur. Sed nunc aliam foveo sententiam: namque videre non possum, his ejectis, splendescere carmen Lucani, aut lucem his tenebris accendi. Vox *sidera* mihi suspecta est, quam corruptam esse judico, quia *de pugna siderum* in fine seculorum nihil mihi compertum est. Divinare mihi si liceat, reponendum arbitror *Tartara*, et totum locum ita legendum,

Sic cum compage soluta
Secula tot mundi suprema coegerit hora,
Antiquum REPETENS *iterum Chaos;* OBVIA *mixtis*
TARTARA *sideribus concurrent, ignea pontum*
Astra petent, tellus extendere litora nolet etc.

repetens scripsi, ut eum *ultima*

Excutietque fretum: fratri contraria Phoebe
Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi: totaque discors
Machina divulsi turbabit foedera mundi.
In se magna ruunt. laetis hunc numina rebus
Crescendi posuere modum. nec gentibus ullis

hora conveniret, quae finitis seculis Chaos reductura sit, atque ita reperi in Sixiano Cod. et tribus aliis. Dein, *Tartara obvia mixtis sideribus concurrent*, ut notet, superos inferosque Deos sive coelum et inferos confusum iri. Firmat hanc emendationem ipse LUCANUS *Lib.* v, *v.* 636.

rupisse videntur
Concordes elementa moras, iterumque redire
Nox MANES *mixtura* DEIS.

SENECA *Herc. Oetaeo v.* 1115.

Coeli regia concidens
Ortus atque obitus trahet;
Atque omnes pariter Deos
Perdet NOX *aliqua et Chaos;*
Et Mors fata novissima
In se constituet sibi.

NOX *aliqua* id est, *interitus*. Ita lego pro *mors aliqua*, quia alias otiose *Mors* repetitur et contra mentem Poetae: dixit enim Poeta, omnia interitui esse obnoxia, communi hoc Axiomate,

Quod natum est, poterit mori:

adeoque inquit: *Dii aliquo modo in tenebris et Chao absorpti peribunt*, *quin tandem ultimo ipsa* MORS, *ubi omnia destruxerit, se ipsam destruet et morietur. Vide ad hunc locum notas Cl.* GRONOVII. Videamus jam totum locum. *Cum elapsis seculis finis mundi aderit*, inquit Poeta, *compages, quae ligat elementa, solvetur, ultimaque hora antiquum chaos* REDUCENTE, COELUM *cum* TARTARO *miscebitur et confundetur; Astra ponto mergentur; tellus, quae, antea pacis patiens, aequori apta extendebat litora, hoc jam non faciet, sed exsurget et fretum excutiet etc.* Unde patet, BENTLEJUM mentem Poetae non cepisse, qui rescribi jubebat,

tellus extendere litora QUAERET,

pro *nolet*. Si enim extenderet litora tellus, reciperet, sed non excuteret fretum. Haec sunt, quae de difficillimo hoc loco sentio. Judicium ea de re Doctorum esto. JEV.

81. *Laetis hunc numina rebus.*] Locus corruptus est et turpiter deformatus. Miror, neminem Eruditorum hic haesisse. Dicit Auctor: *Omnibus rebus crescendi modus et terminus positus est, quem ubi attigerint, decrescere incipiunt.* MAGNA *igitur*, id est, *quae ultimum crescendi terminum assecuta sunt, in se ruunt, sive decrescunt et mole sua se conficiunt.* Sed quid *laetae* vel *tristes res* hunc faciant, non video. Lege levicula mutatione hoc modo desperatum hunc et pessime affectum locum,

In se magna ruunt. LATIIS *hunc numina rebus*
Crescendi posuere modum, nec gentibus ULTRA
Commodat in populum, terrae pelagique potentem,
Invidiam Fortuna suam.

sensu optimo et Poetae genio conveniente. Auctor caussam

Commodat in populum, terrae, pelagique potentem,
Invidiam Fortuna suam. Tu causa malorum

omnium in Universo mutationum INVIDIAE FATORUM adscribit, quibus ita dispensantibus, non datur rebus summis diu stare. Ut enim (inquit) universus mundus cum ipsis Diis,

Cum destinatus venerit fato dies,

in antiquum redibit Chaos: Sic Dii quoque hunc modum crescendi posuere REBUS LATIIS sive *Imperio Romano*, ut, cum ad summum potentiae culmen pervenerit, tandem decrescat; nec Fortuna Romanis semper erit prospera, sed tandem alio transibit, nec ULTRA, id est, *ulterius, diutius,* sinet gentes invidere Romanorum felicitati, sed Orbis domina gens se ipsam destruet. Eleganter vero Fortuna gentibus *invidiam suam commodare* tantisper dicitur, dum favet Romanis, id est, tam diu *justam dare caussam invidendi Romanis*, et infelicitatis suae culpam in Fortunam transferendi. *Ultra* pro *ulterius*, *diutius*, frequens. Sic *Lib.* IV, *v.* 479.

Libera non ULTRA, *parva quam nocte, juventus.*

atque alibi passim. Ita, nisi fallor, officio boni Critici hic a me litatum fuerit, ut nemo de veritate hujus Emendationis dubitaturus sit.

Age vero, Lyricorum Principi HORATIO medicinam faciamus, insigniter corrupto, in notissima illa fabula de cervo et equo. *Lib.* I. *Epist.* X. *v.* 37.

Sed postquam violens victor discessit ab hoste.

Ita vulgo in libris. BENTLEJUS videns, non constare hanc ineptam lectionem, varie tentat hunc locum, atque conjicit legendum,

Sed postquam violens victo discessit ab hoste,

vel,

Sed postquam domito victor discessit ab hoste,

vel pro *violens* corrigit *sonipes:* non male quidem, sed tamen, ut fatear, nimis longe a vestigiis scripturae vulgatae ita recedi, atque desiderari acumen Poetae. Quare, cum in MSS. nulla auxilii spes supersit, in hoc salebroso loco hariolari conabor, mentemque Poetae conjectura assequi. Legerim igitur libens,

Sed postquam VITULANS *victo decessit ab hoste,*

vitulans i. e *laetitia gestiens, exsultans* ob hostem devictum. *Vitulari* probum verbum. Vide VARRONEM et NONIUM *in h. v.* PLAUT. *in Pers. Act.* II. *Sc.* III. *v.* 2.

Lubens meritoque vitulor.

hoc est, quod HORAT. *lib.* II. *Od.* V. *v.* 8. vocat *ludere cum vitulis.*

Circa virentes est animus tuae
Campos juvencae, nunc fluvio gravem
Solantis aestum, nunc in udo
LUDERE CUM VITULIS *salicto*
Praegestientis.

vitulabatur ineptus equus ob victoriam, non sentiens, se amisisse libertatem, nam

Non equitem dorso, non frenum depulit ore.

legat versus sequentes Lector Eruditus, et Emendationem nostram probabit. JEV.

Facta tribus dominis communis Roma, nec unquam
In turbam missi feralia foedera regni:
O male concordes, nimiaque cupidine caeci,
Quid miscere juvat vires, orbemque tenere
In medio? dum terra fretum, terramque levabit
Aer, et longi volvent Titana labores,
Noxque diem coelo totidem per signa sequetur;
Nulla fides regni sociis, omnisque potestas

85. *dominis*, i in membr. eras. d. un*quam* un, in membr. eras. c. 89. *medi*um d.

85. — *Nec unquam In turbam missi feralia foedera regni:]* Certe Peiraredi conjectura, FELICIA, meliorem efficit sensum, quam quod nullum omnino habet, FERALIA. *Nec unquam feralia*, perinde est, ac *semper fausta*, non tamen ex toto satisfacit *Felicia*. Praetulerim, DURANTIA *foedera*, *durātia, duralia, feralia;* isque progressus erroris.

Noster 98. *Temporis angusti* mansit *concordia discors.*

et VIII, 218. — *si foedera nobis Prisca manent.*

88. — *Orbemque tenere In medio?]* Explicat Plutarchus in Bruto [cap. 29], de factione simili loquens, *Κίνναι καὶ Μάριοι καὶ Κάρβωνες ἆθλον ἐν μέσῳ καὶ λείαν προθέμενοι τὴν πατρίδα*: *Cinnas*, ait, *et Marios, et Carbones patriam suam* IN MEDIO *proposuisse pro praemio et praeda.*

89. — *Dum terra fretum, terramque levabit Aer,]* Vir summus Julius Scaliger in Praeclaro suo de Poetica libro [VI, 6, p. 782] sic locum hunc sugillat: *Si terra*, inquit, *sustinet mare, eadem ratione sustinebit aerem, non autem ab aere sustinebitur.* Aliud agebat, cum haec scriberet: Tota enim terra cum mari ab aere sustinetur. Ovidius Met. I, 11.

> *Nec circumfuso pendebat in aere tellus,*
> *Ponderibus librata suis.*

Omnis Poetarum Chorus hoc praedicat, ut et Philosophorum veterum.

91. *Noxque diem coelo.]* Nemo de loci hujus sinceritate dubitasse videtur, et tamen hic versus, nisi vehementer fallor, spurius est et *ὑποβολιμαῖος;* TOTIDEM enim illa SIGNA ineptissima sunt, nihilque significare possunt, nisi *duodecim* vel *bis sex* praecesserint. Si ridiculus poetaster saltem dixisset, *bissexi et volvent Titana labores*, vel hic dedisset,

> *Noxque diem coelo bis sex per signa sequetur,*

tolerabilior audacia ejus fuisset, sed vel sic se prodidisset putidum mangonium. Quis enim, quaeso, umquam somniavit, *noctem sequi diem*, id est *Solem per duodecim Zodiaci signa?* hoc nusquam scriptum aut pictum. Quare abeat eo, unde malum pedem intulit. JEV.

Impatiens consortis erit. nec gentibus ullis
Credite; nec longe fatorum exempla petantur:

92. *Omnisque potestas Impatiens.]* Quid hoc! adeone ineptus Lucanus, ut, more Scholis Philosophicis jam recepto, somniet, certam esse generalium et abstractarum Idearum scientiam, et Metaphysica subtilitate ex rebus incognitis incertam et fallacem conclusionem eliciat! *Omnis potestas consortis impatiens?* Falsum hoc: nam certe *Consularis, Tribunicia, Praetoria potestas consortem patiuntur.* Ut hinc jam pateat, quid ab Canonibus Metaphysicorum, de OMNI non tantum *homine*, OMNI *virtute*, sed et de OMNIBUS POSSIBILIBUS MUNDIS probabiliter disputantium, exspectandum nobis sit! GENERALIUM et ABSTRACTARUM *rerum nulla scientia.* De CERTA RE, *vera et indubia conclusio sit oportet, si argumentum valere debeat.* Sed de his alias. Nunc ad Lucanum redeo. Mendosus proinde hic locus, ut cuivis jam patere potest. Quid ambagibus opus est? Lege, probante hoc ipse LUCANO,

Nulla fides regni sociis, OR-BIS*que potestas*
Impatiens consortis erit!

POTESTAS ORBIS est *summum Imperium in Rep. Romana*, quae Orbi terrarum imperabat. Haec potestas consortium Majestatis non patitur, et ab uno regi debet: nam teste SENECA *in Agamemn. v.* 259.

Nec regna socium ferre nec taedae sciunt,

probat hanc emendationem, ut dixi, ipse LUCANUS *infra hoc Libro v.* 290.

Socerum depellere regno
Decretum est genero: partiri non potes ORBEM,
Solus habere potes,

ex compendio scribendi non intellecto menda haec orta fuit. In Codd. MSS. ut ipse oculis meis vidi, est *oisq ptstas*, quod tam *omnisque* quam *orbisque* notare potest. Sed frustra tempus tero in re manifesta: hactenus tamen latuit. JEV.

93. — *nec gentibus ullis Credite; nec longe fatorum exempla petantur:]* Atqui versu abhinc decimo jam habuimus, et eadem versus clausula,

— *Nec gentibus ullis*
Commodat:

An fortasse scripsit Auctor, *nec* FASTIBUS *ullis Credite?* Horat. Serm. III, 3, 112.

Tempora si fastosque *velis evolvere mundi,*

Noster x, 187. *Nec meus Eudoxi vincetur* fastibus *annus.* BENTL.

BENTEJUS solus, quod scio, locum hunc suspectum habuit, qui pro *gentibus* rescribebat *fastibus*, ut saepe pro *fastis* dicere amat Poeta noster. Contra mentem Lucani. Si enim *fastis* non crederent, quibus res vere actae consignabantur, quomodo, quaeso, *fabulis de Romulo et Remo* fidem haberent? Vox tamen illa GENTIBUS corrupta est: quibus enim *gentibus* aut *quid* crederent, nullo modo exsculpi potest. Praterea hiulca oratio est et scabri quid sonat, ut a Lucano ita profectum videri plane nequeat. Declamatorium vero Poetae acumen statim agnoveris, si legas, ut vere scripsisse eum arbitror, hoc modo,

Nec TESTIBUS *ullis*
Credite, NE *longe fatorum exempla petantur,*
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Hoc scilicet voluit dicere Auctor. *Veritatis a me prolatae* (nempe,

> *Nulla fides regni sociis, Orbisque potestas*
> *Impatiens consortis erit.)*

evidentia et certitudo innumeris exemplis confirmari possit, *neque credite ullis testibus (aliter factum contendentibus) nam, ne vos diu morer, accipite exemplum omni exceptione majus. Ideo enim Remum interfici jussit Romulus, quia fratrem regni consortem ferre non poterat.*

Quamvis vero immensa sit in Lucano mendarum copia, quibus omnibus emaculandis nondum suffecerunt tot capitalia Summorum Virorum ingenia, ut in eo Criticae materiae abunde suppetat; quia mihi tamen unice propositum fuit specimen futurae Editionis exhibere, cumque varietas Lectores plerumque delectet, et tanta sit studii Critici fertilitas in omnibus fere antiquis Auctoribus, de aliis quoque bene mereri conabimur, et corruptis eorum locis restituendis subinde aliquid operae impertiemus.

Horatio igitur hic sucurram, gravi morbo laboranti et pessime habito ab ineptis librariis, ut se ipsum miser vix agnoscat. Locus est *Lib.* I. *Od.* xxxv, 13.

> *Injurioso ne pede proruas*
> *Stantem columnam, neu populus frequens*
> *Ad arma cessantes, ad arma*
> *Concitet imperiumque frangat.*

Haeret et aestuat in hoc loco acutissimus Bentlejus, vir sagacissimi judicii et de Horatio immortaliter meritus, neque se expedit. Nunc enim pro *frequens* conjicit *fremens;* nunc pro *cessantes* substituit *cursantes:* tandem rogat, quinam sint illi, quos populos fremens concitat, atque locum desperatum relinquit. Dignus tamen me hercules! accuratiori examine hic locus: et ex vulgata lectione sensum idoneum elicere non magis queat quis, quam ex Oceano aquam dulcem. Quid enim, quaeso, est *populus frequens cursantes ad arma concitat?* populus concitat se, an alios? Nullibi, quod sciam, talis in Horatio ambiguitas aut stribligo loquendi, et, sicubi forte intricatior videatur constructio, Epithetis significativis rem absolvit. Videamus, ecquid Divae Criticae litare possimus. Bonum factum! Lacerum Virbium facile restituerimus, si legamus parva mutatione,

> *Injurioso ne pede proruas*
> *Stantem columnam,* ne populos premens
> In pace *cessantes ad arma*
> *Concitet, imperiumque frangat,*

pro *neu* scripsit *ne*, quia illud nihil habet, quo referri possit. Pro *populus frequens* reposui *populos premens*, facili admodum librariorum lapsu, qui, cum forte in MSto *fremens* pro *premens* invenissent illud, in *frequens* permutarunt, sollemni aberratione, vel, quia *populus premens*, quid sibi vellet, non capiebant, et initialibus literis *versu* 15 vetustate erasis (forte hoc vel simili modo,

> *... ace cessantes ad arma)*

insulsum illud *arma* inepto subjecerunt. Videamus, proposita Emendatione et erroris origine, an sensus Auctori constet. Timet Poeta, ne, Augusto rebus humanis exemto, populis conspirantibus et jugum excutere volentibus, vel externis vel civilibus bellis Roma laboret et Imperium dissolvatur. Eleganter Augustus tamquam columna *imperii Romani* consideratur, quae *stans* omnia fulciret, sed *procumbens* omnes populos una ruina involveret. Similiter Luca-

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.
Nec pretium tanti tellus, pontusque furoris
Tunc erat: exiguum dominos commisit asylum.
Temporis angusti mansit concordia discors,
Paxque fuit non sponte ducum. nam sola futuri
Crassus erat belli medius mora. Qualiter undas

nus noster *Lib.* VII. 671. de Pompejo in proelio Pharsalico,

Sed timuit, strato miles ne corpore Magni
Non fugeret, supraque ducem procumberet orbis.

in pace cessantes dixit, ut Lucanus *Lib.* V. 35. *quietos in longa pace.* Sed manum de tabula. Jev.

98. *Temporis angusti.]* Locus mendosus. Quid enim sit *concordia illa temporis* ANGUSTI, ignorare me fateor, nec videre possum, quomodo illa *discors manserit*, quum post CRASSI mortem demum discordare coeperint Caesar et Pompejus, imo non nisi mortua Julia, ut ipse dicit. Legendum vel invitis membranis,

Temporis ANGUSTUM *mansit* DISCORDIA CONCORS.

Discordia (ita enim vocat *tectam illam et latentem affinitatis veneratione dissensionem, quae ex aemulatione oriebatur,* unde *male concordes* eos vocat) *breve tempus mansit occulta et apertum dissidium non excitavit,* unde FUTURI *belli moram* fuisse CRASSUM, ait Poeta. *Discordia* erat in Rottend. pr. *angusto* vero habet Hamburg. quart. teste BURMANNO. *Angustum temporis*, i. e. *per angustum temporis spatium.* OVID. XIII. *Met.* 187.

et intra
TEMPORIS EXIGUUM *rubor evanescere coepit,*

ita *parvum sanguinis* dixit pro *parum Lib.* II. 128.

PARVUM *sed fessa senectus*
SANGUINIS *effudit jugulo, flammisque pepercit.* JEV.

Ab Horatio petitum. I. Epist. XII, 19.

Quid velit et possit rerum concordia discors.

Vel Ovid. Metam. I, 433.

— vapor humidus omnes
Res creat, et discors concordia foetibus apta est.

Quod tamen illi de rebus naturalibus usurparunt, Noster solita elegantia ad civiles transtulit.

100. *Crassus erat belli medius mora.]* Seneca Lucani hujus avus Suasoria II. *Latro,* ait, *in hac Suasoria illam dixit sententiam, si nihil aliud, erimus certe* BELLI MORA. *Postea memini Abronum Silonem recitare carmen, in quo agnovimus sensum Latronis in hoc versu,*

Ite triumphantes, BELLI MORA *concidit Hector.*

Haec Seneca: Postea a pluribus usurpatum est, ab ipsius quoque filio ac nepote ut hic vides. Seneca in Troasi 124, de Hectore;

— Columen patriae, mora fatorum.

Agam. 211.

Non sola Danais Hector et bello mora.

Incertus Auctor in Phoenissis, 458

Qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum: si terra recedat,
Ionium Aegaeo frangat mare: sic, ubi saeva
Arma ducum dirimens, miserando funere Crassus

103. *franget* b c.

— media se opponit parens
Proinde bellum tollite, aut belli moram.

Iterum. *— qualiter undas*
Qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum: si terra recedat,
Ionium Aegaeo frangat mare:] Aut dormitabat hic bonus Lucanus, aut foeda passus est Librariorum vulnera. Qualia enim sunt ista? Isthmos *secat undas*, tum quod idem prorsus est, *separat mare:* Mox variato tantum vocabulo, *conferre fretum;* et deinde crambe quartum repetita, *frangat mare.* Restat tamen aliud his omnibus pejus: Si terra, inquit, *recedet*, quid tum? vel *Terra*, vel *Isthmos* (ea sola verborum constructio est) *franget Ionium mare Aegaeo.* Ergo terra, etiam postquam ablata est, frangat aliquid? Quid hic agendum est? melius profecto esset a loco tam ulceroso manum abstinere: Sed vide tamen haec, dum meliora quis extundat:

— Qualiter UNA
DISSECAT *et geminum gracilis mare separat Isthmos,*
Nec patitur conferre GRADUM: *si terra recedat,*
Ionium Aegaeo frangat mare.

103. — *Sic, ubi saeva Arma ducum dirimens, miserando funere Crassus Assyrias Latio maculavit sanguine Carras.]* Hunc locum in memoria habuit Silius Italicus, cum diceret II, 6.

Patricio Cremerae maculavit sanguine ripas.

et iterum XII, 17.

Maeonios Italo sceleravit sanguine fluctus.

Sed priorem versum, *Arma ducum dirimens, miserando funere Crassus*, in spisso mendo cubare non dubito. Quo enim modo accipis? *Crassus funere maculavit Carras sanguine?* Non agnosco nostrum tam inficetum. An, ut constructionis ratio et usus postulat, *Dirimens arma funere?* Atqui et funere caruit Crassus, et *morte* sua (si istam *funus* hic significat) non *diremit* arma ducum, sed commisit. Piget hic tentare aliquid, sed ne nihil agamus, sic mecum lege,

Arma ducum dirimens MEDIO DISCRIMINE *Crassus.*

Discrimine, sive spatio, intervallo, *dirimens medio*, ut noster; IV, 18.

— Medius dirimit tentoria gurges.

104. *Miserando funere Crassus.]* BENTLEJUS locum hunc sollicitat et audaciuscule rescribit *medio discrimine*. Sed hoc nimis a vestigiis vulgatae scripturae recedit. Merito tamen suspectum locum habuisse videtur. Scabrum enim et inconcinnum est, CRASSUS *maculavit Carras miserando funere Latio sanguine.* Suo, nisi fallor, SANGUINE *imbuit Carras Crassus*, quo no-

Assyrias Latio maculavit sanguine Carras,
Parthica Romanos solverunt damna furores.

bis igitur *miserandum funus et Latium sanguinem?* Dicam, quae sentio, et, proposita Emendatione sive Conjectura, judicium Lectori permittam, securus veniae. Credo dedisse Poetam,

Sic ubi saeva
Arma Ducum dirimens, miserando VULNERE CRASSUS
Assyrias AVIDO *maculavit sanguine Carras,*
Parthica Romanos solverunt damna furores.

miserando VULNERE i. e. *miseranda Reip. Romanae clade.* LUCAN. *Lib.* VII. 368.

Majus ab hac acie, quam quod sua secula ferrent,
VULNUS *habent populi.*

Lib. V. *vs.* 1.

Sic alterna duces, bellorum VULNERA *passos,*
In Macetum terras, miscens adversa secundis,
Servavit Fortuna pares.

FLORUS de hoc ipso bello *Lib.* III. *Cap.* XI. *dum Gallos per Caesarem in Septentrione debellat, interim ad Orientem grave* VULNUS *a Parthis Populus R. accepit. Vulnera* autem et *funera* saepe in MSS. confusa. vid. *Drakenborch. ad* SIL. ITAL. *Lib.* I. 399. AVIDO SANGUINE id est *avaro. Avaritiae* enim crimine male audiebat Crassus, ut ut Romanorum ditissimus esset, testibus CICERONE, PLUTARCHO aliisque. *Vid. not. ad d. l.* FLORI. AVIDUS enim *avarum* notat. PROPERT. *Lib.* III. *Eleg.* XI. *v.* 1.

Quaeritis unde AVIDIS *nox sit pretiosa puellis?*

olim conjeceram,

Parthica Romanos MOVERUNT *damna furores,*

i. e. *caussas bello Civili dederunt.* LUCANUS *Lib.* VI. 165.

MOVIT *tantum vox illa furorem,*

vel FOVERUNT, id est, *fomenta dederunt bello Civili* inter Caesarem et Pompejum, sic *Lib.* X. *v.* 500.

Et cladem FOVERE *Noti.*

alimenta furori praebere dicit NASO *Lib.* III. *Met.* 479.

Liceat, quod tangere non est,
Adspicere et misero PRAEBERE ALIMENTA FURORI,

nunc vero vulgatam defendi posse puto, non illa vulgari significatione, qua *solvere metum, pudorem* etc. dicimus, pro *liberare metu, pudore;* sed alia peculiari, a FURIOSIS desumta, qui vinculis constringuntur, ne sibi vel aliis noceant, quique, simulac liberati sunt vinculis, cum impetu et violentia furorem libere exercent. *Solverunt* igitur *damna Parthica furores Romanos,* notabit, clades caede Crassi a Parthis accepta furibundos Caesarem et Pompejum VINCULIS, quibus metu potentiae ejus continebantur et a bello civili avocabantur, SOLVIT, et *belli gerendi liberam potestatem permisit*, uti *infra v.* 120. dicit. Sic simili significatione *Lib.* II. *v.* 145.

Tunc data libertas odiis, RESOLUTAQUE *legum*
Frenis IRA *ruit.*

FURORES ROMANI sunt *furentes Caesar et Pompejus, Belli Civilis Duces.* JEV.

Plus illa vobis acie, quam creditis, actum est,
Arsacidae: bellum victis civile dedistis.
Dividitur ferro regnum: populique potentis,
Quae mare, quae terras, quae totum possidet orbem,
Non cepit fortuna duos. nam pignora juncti
Sanguinis, et diro ferales omine tedas
Abstulit ad manes, Parcarum, Julia, saeva
Intercepta manu. quod si tibi fata dedissent

170. *est,* abest a Cod. b. 109. popu*li*que poten*tis,* supra *li* et *tis* scriptum est *vel lum* — *tem.* c. regn. ferr. b. 114. si tibi, inter haec vv. aliquid erasum est, in d.

109. — *Populique potentis,*
Quae mare, quae terras, quae totum possidet orbem,
Non cepit fortuna duos.]

— MUNDIQUE PATENTIS
Non cepit MENSURA *duos.*

ut X, 450.

Hic cui Romani spatium non sufficit orbis.

111. — *Nam pignora juncti*
Sanguinis, et diro ferales omine tedas
Abstulit ad manes, Parcarum, Julia, saeva
Intercepta manu. quod si tibi fata dedissent,]

Recte quidem *Abstulit*, modo cum reliqua oratione congrueret; ut IX, 125.

— Romanaque Magnus ad umbras
Abstulit.

Verum cum continuo subjungatur, *Quod si* TIBI; consentaneum est, ut *Julia* persona secunda, non ut jam fertur tertia, efferatur. Repono,

ABSTRAHIS *ad manes.*

Tecum abstrahis: Pompeji natum, Caesaris nepotem; nam ipsa ex puerperio obiit et paucos dies infans ei supervixit.

113. *Abstulit ad manes etc.]* Hic locus certe inquinatissimus. Testantur aestus et irriti conatus Doctissimorum interpretum. *Pignora juncti sanguinis ad manes abstulisse* dicitur JULIA. Quae pignora cedo? FILIUM, an *abortivum fetum?* Nugae. Et quid mirum, *ad manes abstulisse*, cum *saeva Parcarum manu intercepta* dicitur? Desperato loco medicinam tentabo facilem atque certam. Hanc mihi subministrat Apostrophe ad Juliam, quae ostendit in secunda persona lectum olim fuisse *Abstuleras*, pro *Abstulit ad.* Quare levissima mutatione, et ineptis *manibus*, qui sensum totum turbarunt, ad corvos ablegatis, breviter evincam, ita constituendum esse totum locum,

Jam FOEDERA *juncti*
Sanguinis et diro ferales omine taedas
ABSCIDERAS MAGNI *Parcarum*
JULIA *saeva*

Majores in luce moras, tu sola furentem
Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem;
Armatasque manus excusso jungere ferro,
Ut generos soceris mediae junxere Sabinae.
Morte tua discussa fides, bellumque movere

Intercepta manu. Quod si tibi fata dedissent
Majores in luce moras: TU *sola* FUROREM
Inde VIRI *poteras atque hinc retinere* PARENTIS.

Jam pro *Nam* rescripsi, postulante sensu; *jam mortua eras* JULIA, *atque affinitatem Pompeji et Caesaris, et infaustum cum Pompejo conjugium abruperas.* FOEDERA JUNCTI SANGUINIS notant *affinitatem.* Sic FLORUS *Lib.* IV. *Cap.* 11, 13. dicit *Juliam generi socerique concordiam tenuisse* FOEDERE MATRIMONII, id est, *affinitate per matrimonium contracta.* Sic *Lib.* III. *v.* 35. legendum

ABSCINDIS *frustra ferro tua* FOEDERA.

prouti in uno Codice legitur, teste BURMANNO. Verissima illa lectio, et a Lucani manu *Abscindis* profectum esse, evincit hic locus, in quo *Abscideras* antepenultima brevi a praeterito *Abscidi* ab *abscindo*, quae longa foret, si ab *abscido* derivaretur. FERALES TAEDAE hic infaustum Juliae cum Pompejo matrimonium notant, quod *malo omine* morte abruptum dicit, quia (uti Auctor voluisse videtur) ante tempora luctus finita Corneliam duxerat, quam Juliae *pellicem* ideo vocare non dubitat *Lib.* III. *v.* 23, dein refinxi, elegantissimo sensu, JULIA MAGNI, quomodo Auctorem scripsisse crediderim, formula notissima, ut MARCIA CATONIS *Lib.* II. *v.* 343. *Abscideras* sibi vindicat, ut dixi, Apostrophe ad Juliam, *tu sola furorem etc.* *Furorem viri et parentis*, lego, ut vitetur turpe illud ὁμοιοτέλευτον in fine, quod proxime ad Leoninos versus accedit, quales insulsi Monachi, harum deliciarum amantes, invitis Auctoribus nonnumquam obtruserunt, ut mox in OVIDIO et PROPERTIO factum probabimus. Ita propitio Apolline emaculatus Poeta manum suam agnoscet. [*Furorem viri et parentis* rescribi volui ad evitandum insuave ὁμοιοτέλευτον, quomodo et in Epistola ad *Cel.* SCHRADERUM reponi placebat OUDENDORPIO. Nunc vero muto sententiam, cum quia Codd. nil mutant, tum quia Veteres illa ὁμοιόπτωτα non solum non vitarunt, sed studiose nonnumquam affectarunt. Exemplis supersedeo. Commendat se hac parte accurata amicissimi SCHRADERI industria *in Animadv. ad Musaeum p.* 140. qui longam istiusmodi exemplorum seriem exhibet. *Ex Addend.*]

115. — *Tu sola furentem Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem;*] Sine dubio legendum FURENTES, praesertim cum Pompejum cui ubique favet necessario includat, illud *Furentem*, Caesarem non ita: Seneca, Epist. XIV. *Cato, qui furentium principum armis medius intervenit: qui aliis Pompejum offendentibus, aliis Caesarem, simul lacessit duos.*

119. *Morte tua discussa fides, bellumque movere Permissum est ducibus:*] Altero

Permissum est ducibus: stimulos dedit aemula virtus.
Tu nova ne veteres obscurent acta triumphos,
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne, times: te jam series, ususque laborum
Erigit, impatiensque loci fortuna secundi.
Nec quemquam jam ferre potest, Caesarve priorem
Pompejusve parem. quis justius induit arma,
Scire nefas: magno se judice quisque tuetur:
Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.

120. *est* non legitur in c. 121. *facta* d. 125. Cesarve c, ut semper et in aliis verbis. 127. tenetur, ita c, super e scripta *u* ab sec. man., in margine est *tuetur* a man. sec.

abhinc versiculo dederat *Excusso ferro;* et ingrate nunc ingeritur *Discussa* fides. Restituo,

Morte tua DISCISSA *fides.*

Notum illud Catonis apud Ciceronem: *Dissuendas magis esse amicitias, quam discindendas.* Sane non temere dictum invenies *Discutere* nisi de rebus noxiis et molestis.

122. *Et victis cedat piratica laurea Gallis,]* Hinc sumsit Claudianus I. Eutrop. 502.

— Piratica *Magnum*
Erigit, illustrat servilis laurea *Crassum.*

Quin et illud *Erigit* ex Nostro:

— *Te jam series, ususque laborum*
Erigit.

123. — *Te jam series, ususque laborum Erigit,]* Vide seriem orationis: *Tu,* Pompei, *times ne* etc. *te series laborum erigit.* Et *Tu,* et *te* ex sermonis Latini indole ad solum Pompejum spectare debent. Scripsit Auctor,

Magne times, HUNC *jam series ususque laborum.*

Error ex compendiosa scriptura natus, *te, hc̄.* Claudianus II. Proserp. 131.

Te quoque flebilibus moerens, Hyacinthe, figuris
Narcissumque metunt; nunc inclita germina veris,
Praestantes olim pueros: TU *natus Amyclis,*
HUNC *Helicon genuit:* TE *disci perculit error,*
HUNC *fontis decepit amor:* TE *fronte retusa*
Delius, HUNC, fracta Cephissus arundine luget.

126. *Quis justius induit arma.]* Laudat hunc locum inter alios Bentl. ad Horat. Carm. I, 11, 1, quibus ostendat *scire nefas* et similia ita conjungi. W.

127. — *Magno se judice quisque tuetur·]* Me quidem judice, non *Quisque* dedit auctor,

Nec coïere pares: alter vergentibus annis
In senium, longoque togae tranquillior usu
Dedidicit jam pace ducem: famaeque petitor
Multa dare in vulgus: totus popularibus auris
Impelli, plausuque sui gaudere theatri:
Nec reparare novas vires, multumque priori
Credere fortunae. stat magni nominis umbra.
Qualis frugifero quercus sublimis in agro

129. *coire*, man. sec. addidit *e* in b.

sed UTERQUE: Et quod solemne est Librariis, ideo mutarunt, ut generalem sententiam conficerent. Scio *Quisque* de *duobus* dictum semel iterumve inveniri. Ovid. Heroid. XIX. de Hero et Leandro:

Atque ita quisque *suas iterum redeamus ad urbes.*

Sed et hic, credo, scripsit *uterque;* quod facili errore Librarios fefellit, *quisque*, *uterque,* demptis scilicet apicibus. Loca quae e Prosa adducuntur, non moror. Martialis I, 6.

Quae majora putas miracula, summus utrique
Auctor adest: haec sunt Caesaris. BENTL.

Uterque rescribi jubet BENTLEJUS contra scriptos Codices. Male. Nulla opus mutatione, dummodo legamus, ut ab Auctore profectum,

Magno se judice quisque TUENTUR.

Ambo tuentur se, quisque magno judice: si enim *uterque* dedisset Auctor, tum ambo unum judicem habere viderentur. Nunc quisque suo gaudent judice, DIIS Caesar, CATONE Pompejus. Leve hoc: monendum tamen fuit. JEV.

131. *Dedidicit jam pace ducem:]* Satis rara locutio; sed a Patruo habuit. Troasi, v. 883. Helena ad Polyxenam.

Depone vultus squalidos, festos cape.
Dedisce captam.

135. — *Stat magni nominis umbra.]* Hinc sumsit auctor incertus tragoediae Octaviae, quae nunc ut Senecae fertur, v. 70.

Nunc in luctus servata meos
MAGNI *resto* NOMINIS UMBRA.
BENTL.

Stat magni nominis umbra.] Ita vulgo. Sed mendose. Corruptus locus et mala distinctione laborat. Sive enim *veteres populi*, sive *veteris populi exuvias legas*, haud expeditum erit, cujus populi illae EXUVIAE fuerint. Effingit hic Poeta mores CAESARIS et POMPEJI, eosque comparat. HUNC quidem TROPAEO VETERI, *donis Ducum et spoliis hostilibus ornato:* ILLUM vero FULMINI, *omnia sternenti et templa sua disjicienti* similem facit. POMPEJUM longa pace rerum militarium scientiam quasi oblitum, turpiter desidem, ambitiosum, popularis aurae studiosum, et parta rerum olim gestarum magnitudine gloria tumidum nobis sistit, quique solo MAGNI cognomine se satis venerabilem et beatum reputaret. Ul-

Exuvias veteres populi, sacrataque gestans
Dona ducum: nec jam validis radicibus haerens,

137. *veteris* c. d.

tro igitur res clamat legendum esse,

Sat *magni nominis umbra.*

Pompejus enim Magni cognomine sat gloriae sibi adeptus videbatur, quare mollitiei et ignaviae jam strenue litabat, nec quidquam praeclari amplius meditabatur. Hic igitur τελεία στιγμὴ ponenda. Dein sequitur Comparatio ejusdem cum Veteri Tropaeo, quod ex querno stipite factum (odium enim meretur nugacissimus Scholiastes, qui, de quercu *viva* haec capiens, male sedula sua importunitate Doctissimos Interpretes in errorem duxit!) radicibus ramisque amputatis, sola cariosi trunci vetustate et spoliis bellicis venerabile erat. Quid multa? En ipsam Poetae manum!

Nec reparare novas vires, multumque priori
Credere Fortunae: sat *magni nominis umbra.*
Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias belli *veteris, sacrataque gestans*
Dona Ducum, nec jam validis radicibus haerens
Pondere fixa suo est, nullosque *per aera ramos*
Effundens trunco, non frondibus, efficit umbram.

Duces enim veteres, fugatis hostibus, tropaeum erecturos, ingentem palum sive arborem exstirpatam, radicibus ramisque decisis, alto in tumulo defigere spoliisque hostilibus ornare solitos fuisse, tralatitium est. Virgil. *Lib.* xi. *Aen. v.* 5.

Ingentem quercum, decisis *undique* ramis,
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti *ducis exuvias.*

Vides, B. Lector, *quercum ingentem sine ramis* in Tropaeum erectam? Non igitur amplius hic opus est de nudis ramis philosophari! Nullos ramos, nullas radices habet haec arbor, sed tantum stipes quernus est, qui inferiori parte, in acutam cuspidem praefecta, terrae infigebatur, unde recte Poeta ait, *illam firmis radicibus non haerere, soloque trunco, non frondibus, umbram efficere. Nudus* et *nullus* semper fere in MSS. confunduntur. *Vid.* Burm. *ad Lib.* ii. *v.* 90. *et Lib.* viii. *v.* 263. Belli *veteris exuvias* rescripsi pro *populi*, id est, *spolia in antiquo et ab hominum memoria longe remoto bello hostibus detracta*, quod veteri huic Tropaeo, *carie prope consumto, et quod primo Euri impulsu ruinam minitaretur*, melius quadrat. Si enim populi dare voluisset Auctor, nomen illius populi sine dubio designasset. Moris enim fuit Tropaeis inscribere nomina hostium, quibus detracta essent spolia. *Vid.* Serv. *ad* Virgil. *Lib.* xi. *Aen. v.* 83.

Indutosque *jubet* truncos hostilibus armis
Ipsos ferre Duces, inimicaque nomina figi.

Exuvias belli hic dixit, quae *spolia belli* vocat *Lib.* vi. *v.* 269.

Non tu bellorum spoliis *ornare Tonantis*
Templa potes.

Umbram porro *nominis magni* dixit, imitatione Senecae *Octav. v.* 71.

Magni *resto* nominis umbra.

Jev.

137. *Exuvias veteres populi,]* Rectius Colbertinus veterrimus,

Pondere fixa suo est: nudosque per aëra ramos
Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram:
At quamvis primo nutet casura sub Euro,
Tot circum silvae firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur. Sed non in Caesare tantum
Nomen erat, nec fama ducis: sed nescia virtus

139. fixa, a man. al. supra quod scriptum est *fissa* c. 140. *umbras* b. d. 141. *Sed* quamv. b d. *Et* quamv. c. 142. *firmosae* b. *se* in d supra o scriptum est.

Bersmanni unus, et Regiorum alter,

Exuvias VETERIS *populi.*

Plus enim est, *Exuvias veteris ac defuncti populi*, quam *veteres exuvias* populi adhuc fortasse viventis. Statius Thebaid. VI, 67.

Arma etiam veterum exuvias *circumdat* avorum.

141. ***At quamvis primo nutet casura sub Euro,***] Codices plerique cum editionibus primis SED *quamvis*, Colbertinus veterrimus cum Harlejano paucisque aliis ET *quamvis*. Accedo. non enim opponuntur haec praecedentibus, sed consentiunt: ***Fixa est suo pondere et trunco umbram efficit***, ET ***quamvis ad ventum nutet, sola tamen colitur.*** BENTL.

143. *Sed non in Caes. t. Nomen*] Locus misere corruptus, sanaeque interpretationis vix capax. Supra dixit, POMPEIUM *longa pace dedidicisse Ducem, atque adeo* VERI DUCIS *famam implere jam non potuisse* innuit. Ast vero, cur CAESARI, geminis lustris in Gallia bellanti et res fortiter et feliciter gerenti, FAMAM DUCIS deneget, caussam nullam video: praesertim cum *Lib.* v. *v.* 498. utrique *magnam famam* tribuat,

Hoc fortuna loco TANTAE *duo nomina* FAMAE
Composuit.

Praeterea sensus non cohaeret, et deficit Comparatio desumta; nec videre possum, cur *erubesceret Caesar, si sine proelio, quod cupiebat, implesset, hoc est, vel deditione, vel foedere*, ut ridicule nugatur Scholiastes, qui hic rursus Doctissimos Viros decepit. BENTLEJUS certe hanc ob caussam tentavit locum, refingens hoc modo:

Solusque pudor non vincere LENTE,

quod quomodo Summo viro in mentem venerit, ignoro. Nullam enim moram vel segnitiem pati poterat Caesar. Symbolum ei, VENI, VIDI, VICI. Verum ne te diutius suspensum teneam, Erudite Lector, ecce tibi somnium meum! utrum illud mihi per CORNEAM, an vero per EBURNEAM advolaverit portam, tuum erit dijudicare. Levissima mutatione, totum ita refingo locum,

SIC *non in Caesare tantum*
Nomen erat, SED *fama ducis, sed nescia virtus*
Stare loco, solusque pudor NON VINCERE: *bello*
Acer et indomitus: quo spes, quove ira vocasset,

145 Stare loco: solusque pudor non vincere bello.
Acer, et indomitus; quo spes, quoque ira vocasset,

146. *acer*, c *man.* sec. in Cod. e. *quoque* et *ira* b.

Ferre GRADUM *et numquam* TEMERATO *parcere ferro.* *sic* lego pro *sed*, quod in vulgatis male exhibetur, postulante ipso Comparationis sensu. *Quemadmodum*, inquit Poeta, *Pompejus senio iners*, *sine viribus*, *sine igne*, *longa pace rei militaris scientiam oblitus*, *sola rerum olim gestarum gloria et cognomine Magni venerabilis erat*, *instar* TROPAEI, *sola trunci cariosi vetustate et spoliis belli spectabilis:* Sic *contra*, *in Caesare quidem tantum Nomen non erat*, *sed habebat* FAMAM DUCIS, *sed* GENEROSAM AMBITIONEM *et* VIRTUTEM BELLO INDOMITAM. Si quid video, jam sibi constat Comparatio Poetae, et omnia plana erunt. *S̄c* et *s̄d* in MSS. facillime permutantur. Nulla hoc indiget probatione. *Sed fama ducis*, *sed* etc. eleganti τῷ *sed* repetitione et menti Auctoris congrua, de qua *vid.* BURMANN. *et quos laudat ad* OVID. *Lib.* V. *Met. v.* 17. dein adhibita distinctione erigitur sensus, Scholiastae haud intellectus, qui male *vincere bello* conjungi posse putavit, adeoque hic de proelio somniavit. Nihil minus! *Virtus Caesaris* ideo hic dicitur *nescia stare loco*, et *solus ipsi pudor* NON VINCERE: quia, quemadmodum nec Pompejus, *invidus* scilicet, PAREM *ferre*, ita nec Caesar PRIOREM *pati* poterat, quem laudabilis ambitio ad summam virtutis et rei bellicae gloriam, Alexandri M. aemulatione, rapiebat. SECUNDO igitur vel ULTERIORE LOCO *stare* dedignatus omnes *superare* et *vincere* contendebat. Unicus igitur ipsi pudor ignavum videri, et *non vincere*, sive non anteire omnes gloria et fama rerum gestarum. Caussa erat, quod eum ignaviae puderet, et nihil sibi praeclari gessisse adhuc videretur. Erat bello enim strenuus et insuperabilis. Mox *ferre* GRADUM, quod Scholiastes agnovit, sed male neglexit, summo jure praetuli τῷ MANUM. *Vocabat* enim SPES vel IRA Caesarem; ILLE sponte *sequebatur.* TEMERATO ex Cantabr. Codice optime vindicatum summo BURMANNO. Nihil, lector, te morari jam hic poterit.
JEV.

145. — *Solusque pudor non vincere bello.*] Jugularunt sententiam Librarii dum quod non intelligunt, mutant. Restituo,

— *Solusque pudor non* VINCERE LENTE.

Bello hic inertissimum est, verum quamvis mortalium, etiam ignavos, pudeat *vinci bello;* at Caesarem etiam *vicisse* puduit, si lente ac tarde. Noster VII, 73.

— *Merito Pompejum* VINCERE LENTE,
Gentibus indignum est a transcurrente subactis.

Et III, 51. de Caesare:

— *Nec vincere tanti,*
Ut bellum differret erat.

Sumsit hinc Silius. XIV, 127. de Marcello:

— *Instabat ductor, cui* TARDE VINCERE *Grajas*
Par erat, *ac vinci.*

Porro ideo sustulerunt LENTE, quia illud NON caliginem iis offudit: Crediderunt sic dici oportere, *Solus pudor*, *vincere lente;* non cum negativa particula, *non vincere*, sed fefellit eos acu-

Ferre manum, et nunquam temerando parcere ferro:

Successus urgere suos: instare favori

147. *manus* d.

men suum. Seneca patruus Hippolyto, v. 140.

Honesta primum est velle, nec labi via:
Pudor *est secundus*, nosse *peccandi modum.*

Ubi *Honesta*, ex Nic. Heinsii emendatione assumsi; vides, ut apud hunc *Pudor est*, *nosse modum;* non, *ignorare modum;* Ita apud Nostrum, *Pudor est*, *non lente vincere*, non, quod vulgo dicerent, *lente vincere*. *Solus* igitur *Pudor*, perinde fere est ac *sola cura*, sola cautio, studium, virtus. Omnia nunc apte cohaerent, non stare loco, *non lente vincere*, incredibili erat Caesar celeritate.

146. *Acer, et indomitus; quo spes, quoque ira vocasset,*
Ferre manum, et numquam temerando parcere ferro:]

Leve primo erratum tolle, in quo solemniter peccant Librarii, *Que*, pro *Ve* passim substituentes,

— *Quo spes, quove ira vocasset,*

Male codex Bersmanni *Tulisset*. Silius XII. [v. 430.] de Hannibale,

Flectebat rabiem, *quo* praeda VEL ira vocasset.

Aliud enim adhuc restat, interioris curae. Quid enim est *Parcere temerando* FERRO? *Temerare ferro* aliquid, satis notum: Ipsum ferrum temerari sive violari nunc primum didici. Ovid. Metam. VIII, 742.

Dicitur et lucos ferro temerasse *vetustos*.

Horat. Serm. II, 3. [139]

Non Pyladem ferro violare *aususve sororem.*

Facile crediderim, sic ab auctoris manu profectum,

Et nunquam temerando parcere IURI.

Dum mores hominis, ac ingenium, et characterem depingit Noster, ipsius Caesaris verba vel historica fide huc ducit. Suetonius Caesare c. 30. *Quidam putant captum imperii consuetudine, usum occasione rapiendae dominationis: quod existimasse videtur et Cicero, scribens de officiis tertio libro, semper Caesarem in ore habuisse Euripidis versus, quos sic ipse convertit:*

Nam si VIOLANDUM *est* IUS, *regnandi gratia*
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Cicero ipse III, 21. *Ipse autem socer in ore semper Graecos versus de Phoenissis habebat, quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intelligi, Nam si violandum*, etc. Versus adhuc restant in ea fabula Euripidis [v. 534 ed. Pors.]

Εἰ χρὴ γὰρ ἀδικεῖν, τῆς τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν. τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Satine jam compertum est, ad hoc ipsum respexisse Lucanum? Neque enim monito opus est *Temerare ius* et *Violare ius* unum idemque esse. Noster de Caesare, I, 225.

Hic, ait, hic pacem TEMERATAQUE IURA relinquo.

Numinis: impellens quicquid sibi summa petenti
Obstaret: gaudensque viam fecisse ruina.
Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Aetheris impulsi sonitu, mundique fragore

152. *impulsi*, i man. sec. in membr. eras. correxit c.

Tacitus Annal. I, 40. *Cur gravidam conjugem inter furentes et omnis humani* juris violatores *haberet?* Silius XI, 160.

Itis, ait, cives, violanda ad jura *parentum.*

Seneca Medea 614.

Exitu diro temerata *ponti* Jura *piavit.*

Tacitus Hist. III, 80. *Sacrum etiam inter exteras gentes* jus, *civilis rabies usque in exitium* temerasset.

148. *Successus urgere suos:*] Hinc cepit illud Claudianus I. Stil. v. 2.

— — *Successusque novos successibus* urgent.

Ut recte dedit Heinsius, non ut antea, *augent.* Contra ex Patruo sumsit Noster quod mox sequitur,

gaudensque viam fecisse ruina.

Nam ille in Herc. Fur. 67.

Nec in astra lenta veniet, ut Bacchus, via;
Iter ruina *quaeret.* Bentl.

151. *Qualiter expressum.*] Recte deesse hic conjunctionem sensit sagacissimus Bentlejus, qui ideo pro *Emicuit* refingebat *Ut micuit.* Sed quod pro *magnamque cadens*, abjecta copula, rescribi jubeat *magnam vadens* vel *veniens*, probare nequeo. Geminatio enim copulae, quae Bentlejum offendit, hic adeo necessaria est, ut omitti posse vix videatur. Aeque enim cum cadit, quam cum revertitur, stragem dat fulmen. Cadere proprie de fulmine dici solet. Sic Propert. *Lib.* II. *Eleg.* XIII. *v.* 52.

Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.

Verum longe aliud hic ulcus latet. Quid enim sibi velint haec,

nullaque exire vetante Materia,

nemo facile dixerit. Si enim nihil exire vetat, quomodo stragem dare potest fulmen? Ridere hic suaviter libet acumen Scholiastae, qui Lucanum non intelligens lapsus est, et Doctissimum Oudendorpium in errorem duxit. Quia enim *nulla materia exire vetaret*, ideo templa sua explicat *convexa coeli.* Ignorabat scilicet, fulmen esse *telum irati Jovis*, templa sua sive Capitolium saepe *rubente dextera jaculantis*, ut Horat. *Lib.* I. *Od.* 2, 3. ait. Sic *infra vs.* 535.

tacitum sine nubibus ullis
Fulmen, et Arctois rapiens de partibus ignem,
Percussit latiale caput.

Sed jam ipsum locum emaculemus, et suam Auctori manum restituamus. Legendum puto,

Qualiter expressum ventis per nubila fulmen,
Aetheris impulsi ut *sonitu mundique fragore*
Emicuit, rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua praestringens lumina flamma,

Emicuit, rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua praestringuens lumina flamma:
In sua templa furit: nullaque exire vetante
Materia, magnamque cadens, magnamque revertens

153. *pavore* c. pro *paventes.* 154. perstring*ens* b. d. *praest*ringens c.

In sua templa furit; DURAQUE *exire vetante*
Materia, *magnamque cadens*, *magnamque revertens*,
Dat stragem late, *sparsosque recolligit ignes.*

Impulsi UT scribo, sensu postulante, hic enim exciderat particula ut, quemadmodum colligi potest ex Oxon. Codice, in quo, teste OUDENDORPIO, erat *impulsu. Dura materia* pro *nulla* legendum, non est quod multis probare adnitar. *Dura* enim nisi materia esset, *non vetaret exire sive non obstaret*, obstantia enim disjicit fulmen. Errat vero hic CAMERARIUS, qui dicit, *similitudinem esse ἄνευ ἀποδόσεως.* Haec enim jam praecesserat, cum de Caesare dixit *v.* 149.

impellens, *quidquid sibi summa petenti*
Obstaret, *gaudens viam fecisse ruina.*

qua ipsa *ἀποδόσει* Emendatio nostra robur accipit et verissima declaratur. JEV.

153. *Emicuit*, *rupitque diem*, *populosque paventes*
Terruit, *obliqua praestinguens lumina flamma:*
In sua templa furit:] Primus omnium Pulmannus ex unico Codice PRAESTINGUENS in textum recepit: hunc secutus est Bersmannus, et deinceps Grotianas editiones commaculavit inficeta lectio. Quid enim? an, quoties fulmen erumpit, *praestinguit* populis oculos, et excoecat genus humanum? Omnes nostri codices vel PRAESTRINGENS vel quod idem est, PERSTRINGENS; posterius adsciscunt Colbertini duo et Lactantius ad Statium [Theb. v. 666]. Ceterum si filum orationis sequaris, facile deprehendes, conjunctionem hinc abesse; *(Qualiter*, ait, *fulmen emicuit rupitque diem*, *populosque terruit*, *in regna* sua furit. Deest, inquam, connexio, vel, Fulmen QUOD *emicuit*, sive CUM *emicuit*, furit in sua templa; vel, Fulmen *emicuit*, ET *furit* in sua templa. Ne innsta maneat haec macula, sic refingo,

— *per nubila fulmen*
UT MICUIT, *rupitque diem*, *populosque paventes*
Terruit, *obliqua* PRAESTRINGENS *lumina flamma;*
In sua templa furit.

Ut micuit, Cum primum micuit, Postquam micuit. Seneca Agam. 495.

Et nube dirum fulmen elisa micat.

Silius XVII, 252.

Hinc rupti reboare poli, *atque hinc crebra* MICARE
Fulmina.

Livius 40, 58. Cum ingenti fragore coeli *tonitribus et fulguribus praestringentibus aciem oculorum*, *sed fulmina etiam sic undique* micabant *ut peti viderentur corpora.* Ceterum in hoc tota comparationis vis et venus est; quod ut Fulmen in *sua* templa, ita Caesar in *suam* civitatem ac patriam furebat.

155. —*Nullaque exire vetante*

Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes.
Hae ducibus causae suberant: sed publica belli
Semina, quae populos semper mersere potentes.
Namque ut opes nimias mundo fortuna subacto
Intulit, et rebus mores cessere secundis,
Praedaque et hostiles luxum suasere rapinae:
Non auro, tectisve modus: mensasque priores
Adspernata fames: cultus gestare decoros

158. hee c. *suberant*, ber ex *per* man. ead. in membr. eras. c. 161. Intulit in marg. *incidit* sine signo tamen c. 163. *tectis*que d.

Materia, magnamque cadens, magnamque revertens Dat stragem late,] Geminatur, ut vides, QUE; quod non est moris apud Nostrum, inter *Cadens* ac *revertens*, non est plena sed obscurior oppositio. Repone, si literarum ductus sequi velis, VADENS, si sententiae ductum,

— nullaque exire vetante
Materia, magnam VENIENS
magnamque revertens —

Plin. Hist. II, 56. *Nec tam* adventus *fulminum spectatur, quam* reditus. Et mox, *Itaque plurimum refert, unde* venerint *fulmina, et quo* concesserint. Denique, *Cum a prima caeli parte* venerint, *et in eandem* concesserint, *summa felicitas* portenditur. Vides hic adventum, reditum, venire, concedere, eodem Antitheto, quo Noster,

Magnam, veniens, *magnamque* revertens. BENTL.

164. *Cultus gestare decoros*] HEINSIUS hunc locum tamquam suspectum obelo notaverat. *Cel.* BURMANNUS quoque nescire fatetur, cui haec contorta placere possint. Olim spuria haec putabam, cum quia castam Latinitatem offendere videbatur *cultus decoros gestare nuribus* pro *gestari a nuribus*, tum *quia fecunda virorum paupertas* HORATIO sublecta videbatur, atque adeo intermediis abjectis legebam,

Non auro tectisve modus, mensasque priores
Adspernata fames, totoque accessitur orbe,
Quo gens quaeque perit.

Attamen cum *fecunda virorum* (FORTIUM) *paupertas* elegantissima simul et venustissima locutio mihi videretur, bonoque judicio, HORATII imitatione, expressa (ex *Lib.* 1. *Od.* XII. *v.* 42.

Hunc et incomtis CURIUM *capillis*
UTILEM BELLO *tulit et* CAMILLUM
Saeva PAUPERTAS *et avitus apto*
Cum lare fundus.)

damnare aut confodere ausus non sum, adeoque de medicina cogitare coepi. Quid si igitur hoc modo legamus,

CULTU CERTARE DECORO
CUM *nuribus* COEPERE *mares.*

hoc sensu: *tum coepere mares cultu et ornamentis ad luxuriam uti*, *et cum puellis in certamen*

Vix nuribus, rapuere mares: foecunda virorum
Paupertas fugitur; totoque accersitur orbe,

166. *accersitur* in marg. *acquiritur* signo quodam notatum c.

descendere. *Certare cultu decoro*, ut *certare muneribus.* VIRGIL. *Ecl.* II. *v.* 57.

Nec si MUNERIBUS CERTES, *concedat Iolas.*

CULTUS enim non tantum *vestes*, sed omnem *mundum muliebrem* notat, quo se ornant puellae, unde *operosas cultibus puellas* dixit NASO *Lib.* II. *Amor. Eleg.* X. *v.* 5.

Utraque formosa est, operosae CULTIBUS *ambae*,

ut taxare videatur Poeta corruptos seculi sui mores, quo viri in plus quam muliebrem mollitiem et luxuriam solvebantur. Viros enim luxurioso illo seculo non pudebat MITRAM *capiti imponere*, MONILIA *collo aptare*, MULTICIA *sumere* sive *vestes tenuissimo filo textas*, *per quas corpus transluceret*, SYRMA *fluxasque togas gestare*, ut testatur JUVENAL. *Sat.* III. *v.* 66. et 64. SENEC. *in Oed. v.* 422.

Inde tam MOLLES *placuere* CULTUS,
Et sinus laxi fluidumque SYRMA.

MOLLES enim CULTUS ibi sunt ornamenta muliebria, quibus ornatus erat Bacchus, nempe MITRA et SYRMA *laxaeque vestes*, quas gerere fingitur. Facilis autem lapsus Librariorum *certare* in *gestare* mutantium. JEV.

165. —*Foecunda virorum Paupertas fugitur;*] Palladas: [Brunck Analect. T. II, p. 430, 112.]

Μισοῦνται πενίην μητέρα σωφροσύνης. GROTIUS.

Nihil ad hunc locum facit Palladae versiculus. — *Odio habent paupertatem matrem temperantiae*, frugalitatis, pudicitiae; alia res agitur. Paupertas publica ideo fecunda virorum (sic enim Priscianus legit p. 1165.) hic dicitur, quod pauper populus numerosam sobolem creet, dives vero et luxuriosus exiguam. Seneca Epist. 87. *His interrogationibus suasuri aut dissuasuri sumus? his effecturi*, ut populus Romanus paupertatem, fundamentum et caussam imperii sui, *requirat ac laudet? divitias autem suas timeat?* Livius VII, 25. *Undique non urbana tantum, sed etiam agresti juventute decem legiones scriptae dicuntur, quaternum millium et ducenorum peditum, equitumque trecenorum quem nunc novum exercitum, si qua externa vis ingruat, hae vires populi Romani, quas vix terrarum capit orbis, contractae in unum, haud facile efficiant: Adeo in quae laboramus sola crevimus*, DIVITIAS LUXURIAMQUE. Ceterum ex hoc loco copias suas auxit Silius, de luxu Campano XIII, 352.

Egeritur praeda, et victus *alimenta superbi*,
Queisque bonis periere, *virum de corpore* vestes
Femineae, mensaeque alia tellure *petitae*.

In quibus illa Nostri elucent,

— — — *mensasque priores*
Aspernata fames, cultus, *gestare decoros*
Vix nuribus, *rapuere mares*,
— —
— — *totoque arcessitur orbe*,
Quo gens quaeque perit.

Quo gens quaeque perit. tunc longos jungere fines
Agrorum, et quondam duro sulcata Camilli

Atque hinc in alio Silii loco de iisdem Campanis XI, 41.

— — — *madefacta veneno*
Assyrio manibus *vestis, medioque dierum*
Regales epulae, etc.

Fred. Gronovii emendatio confirmatur. Quem enim non offendat illud *Manibus!* Alii alia tentaverunt, sed ille felicissime. MARIBUS, ut supra, *Virum* de corpore vestes femineae, et, Cultus gestare decoros vix nuribus, rapuere *mares*. Seneca Nat. Quaest. VII, 31. Muliebres munditias antecessimus: colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri sumimus. Idem in Hippol. 206.

Tunc illa magnae dira fortunae comes
Subit libido; non placent suetae dapes,
Non tecta sani moris, aut vilis cibus.

Mendum hic grandius agnovere Gruterus et Gronovius. Quorsum enim *cibus* post *dapes?* Hic timidiuscule tentat, HUMILIS, aut VILIS TORUS. Sed *humilia* et *vilia* in ampla fortuna jure ac merito non placent, unde sic refingo,

Non tecta sani moris, aut CULTUS PRIOR.

Cum semel in textum admisissent aut *Ullos* aut *Vilis*, necessario quaerendum erat nomen substantivum.

167. — *Tunc longos jungere fines Agrorum,]* Mox tertio abhinc versu rursus habebimus,

Longa sub ignotis extendere rura colonis.

Ergo hic repone,

Tunc LATOS *jungere fines.*

Seneca Epist. 90. *Licet in provinciarum spatium rura dilatet, et possessionem vocet per suam longam peregrinationem; nulla nos finium propugatio eo reducet, unde discessimus.* Et de Ira I. [cap. 16, fin.] *Et sub singulis villicis* LATIORES *habet* FINES, *quam quos consules sortiebantur.* Inde *latifundia* dicta. Plin. Hist. VIII, 7. *Verum confitentibus latifundia perdidere Italiam.* Ceterum in verbis istis *sub ignotis colonis* duplex sui saeculi reprehensio est; quod rura, quae olim ipsi domini colebant, nunc colonis elocentur; eisque etiam ignotis; quippe, ut Columella I, 7. Si praedium locandum fuerit, *is patris-familias felicissimus fundus est, qui colonos* indigenas *habeat, et tamquam in paterna possessione natos jam inde a cunabulis longa familiaritate retineat.*

168. — *Et quondam duro sulcata Camilli Vomere,]* Omnis quidem *vomer* per se durus est, ut Virg. Georg. III, 515.

Ecce autem duro *sub* vomere *taurus.*

Numquid tamen vomer Camilli durior erat vomeribus saeculo Pompeji factis? Scripsit auctor:

— *et quondam* DURI *sulcata Camilli*
Vomere. —

Major agricolae laus, quod ipse durus est, quam quod vomer. *Duri Catonis.* Virg. Georg. I, 160.

Dicendum et quae sint duris agrestibus *arma.*

Passim venit *durus* pro patiente, labrioso, paucis contento.

Vomere, et antiquos Curiorum passa ligones
Longa sub ignotis extendere rura colonis.
Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret,
Quem sua libertas immotis pasceret armis.

169. *Curionum* b. c.

170. *Longa sub ignotis.]* *Laxa* legit Cortius, quia antea *longos agrorum fines* dixit, contra Codices tamen, ut testatur Burmannus, qui si quid mutandum *lata* legere malit. Hortensius mirum in modum se torquet neque exitum videt. Olim tentabam *curta* id est *parva* Curiorum *rura*. Nunc aliud quid mihi succurrit. Illud *longa* ex Glossa originem traxisse crediderim, qua vox aliqua (prima litera corrupta uti initio versuum in MSS. fieri solet) librario non intellecta ideo omissa explicata fuerat. In codice crediderim fuisse: *Sq. i. e. longe.* Hinc error natus, et tandem *longe* in *longa* conversum textui irrepsit, quod verisimile facit ductus literarum in *lge* et *sq.* Usque latere arbitror. *Usque* id est *longe*, *continuo*, *semper*, *jugiter*, *diu.* Quare legendum suspicor,

tum longos jungere fines
Agrorum, et duro quondam sulcata Camilli
Vomere, et antiquos Curiorum passa ligones,
Usque sibi *ignotis extendere rura colonis.*

usque extendere id est *continuo*, *perpetuo.* Horat. *Lib.* 1. *Od.* xvii. *v.* 4.

Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus, et igneam
Defendit aestatem capellis
Usque *meis pluviosque ventos.*

et *Lib.* ii. *Od.* xviii. *v.* 23.

Quid, quod usque *proximos*
Revellis agri terminos, et ultra
Limites clientium
Salis avarus?

et alibi saepius. Ovid. *Lib.* 1. *Art. Am.* 454.

Hoc opus, hic labor est, primo sine munere jungi
Ne dederit gratis quae dedit usque *dabit.*

et *de Remed. Am. v.* 537.

Perfruere usque *tua nullo prohibente puella,*

usque id est *continuo* et *ad satietatem.* Novis adeo agris coemtis, *usque* sua rura extendebant Romani, *colonis* sibi *ignotis*, sive *quorum ne decima quidem pars dominum suum noverat*, ut ait Petron. *in Satir. Cap.* xxxix. ubi *vid. not.* Reines. De hac in novis agris coemendis insania *vide* Juvenal. *Sat.* xiv. *v.* 140. Jev.

172. *Quem sua libertas immotis pasceret armis.]* Immo restitue,

Quem sua libertas immotis
pasceret arvis.

Nempe id quod ante questus est v. 28.

Horrida quod dumis multosque inarata per annos
Hesperia est, desuntque manus poscentibus arvis.

Populus in urbe sedebat otiosus, ludisque occupatus, agris interim neglectis. Livius iv, 12. *Coepere a fama mala, seu ad-*

Inde irae faciles, et, quod suasisset egestas,
Vile nefas: magnumque decus, ferroque petendum,
Plus patria potuisse sua: mensuraque juris
Vis erat: hinc leges, et plebiscita coactae;
Et cum Consulibus turbantes jura Tribuni:

176. *plebis scita* d.

versus annus frugibus fuit, seu dulcedine congiorum et urbis, deserto agrorum cultu. Virg. Georg. I, 123.

— *pater ipse colendi*
Haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
Movit agros.

Seneca de Benef. IV, 14. *Beneficium damus arbustis? quae colimus, ne siccitate, aut* IMMOTI *et neglecti* SOLI *duritia laborent.* BENTL.

Rarior haec elegantissima tamen Lucani Phrasis BENTLEJUM fefellit, adeoque frustra ab eo sollicitata fuit. *Immotis arvis* rescribi volebat Vir Summus. De Romanis loquitur Poeta, populo bellis indurato, qui continua bellandi consuetudine armis dediti pacem ferre non poterant, et, si cum externo hoste bella gerere non possent, inter se bella gesturi erant. Testantur continuae seditiones in pace motae, quibus libera Roma, quamdiu hostem haberet. Jubeas Mavortium illum populum agros colere et exitum videbis: et quam absurdum sit dicere, *Libertatem eos non pascere* ARVIS INARATIS! *Libertas non pascebat Romanos armis immotis* significat: *Populus Romanus, quamdiu* IN LIBERTATE *et* SUI JURIS *erat,* SINE BELLO VIVERE *non poterat.* Pari modo locutus OVIDIUS *Lib.* IV. *Met. v.* 263. de Clytie, in heliotropium conversa,

Perque novem luces, expers undaeque cibique,
Rore mero lacrimisque suis JEJUNIA PAVIT,

id est *jejuna vixit rore et lacrimis.* JEV.

176. — *Hinc leges, et plebiscita coactae;]* Sic quidem editiones et major pars codicum *plebiscita:* quod et adsciscit Priscianus p. 1100. *Diversa,* inquit, *genera similiter construuntur, ut Lucanus in* I. *Hinc leges et plebiscita coactae.* Pace tamen magni Magistri, plus placet altera lectio, quam codex Puteaneus tresque ex nostris alii praeferunt,

Hinc leges et PLEBIS SCITA *coactae.*

Scita plebis coactae, casu patrio; non, ut ille, *leges coactae.* Seneca Epist. 95. *Ex senatus consultis plebisque scitis saeva exercentur, vetita privatim.* Livius III, 67. *Vidimus auxilium tribunicium, provocationem ad populum,* scita plebis *injuncta patribus.* Valer. Max. IX, 7. [Mil. Rom. 1.] *Sed quis ferat militem* scita plebis *exitio legati corrigentem?*

177. *Et cum Consulibus turbantes jura Tribuni:]* *Turbare* quidem *jura.* Livius VII, 6. *Deletum cum duce exercitum documento fuisse, ne deinde turbato gentium jure comitia haberentur.* Sic et *turbare leges.*

Sed nihilominus *jura* ista ex loco hoc exturbanda sunt, quia altero abhinc versu praecesserat JURIS. Reponendum:

Et cum consulibus turbantes ROSTRA *tribuni.*

Noster IV, 799. de Curione trib. pleb.

Quid nunc ROSTRA *tibi prosunt* TURBATA, *forumque?*

Plin. Hist. XVI, 3. *Postquam vero tribuniciis seditionibus rostra calcari ac pollui coepere.* Sic *turbare comitia, fora, conciones.* BENTL.

Euge! Consules cum Tribunis turbabunt jura, inter quos perpetua fuit discordia? ἄτοπον. Ingeniosissima videri merito possit BENTLEJI conjectura pro *jura* rescribendis ROSTRA, nisi versus spurius esset. Cedo enimvero an ex luxu et bellandi cupidine Consules et Tribuni, jura vel rostra turbantes, orti fuere? Nemo hoc dixerit. Dudum suboluit illud mihi mangonium. Ineptus Poetaster, cum hic *Legum* et *Plebiscitorum* mentionem factam videret, CONSULES et TRIBUNOS necessario requiri putavit, adeoque Lucano de suo liberalis fuit! Redeat igitur inficetus versiculus eo, unde malum intulit pedem. *Ex luxu*, inquit Poeta, *haec mala orta sunt*, nempe

Leges et plebis SCITA *coactae:*
Hinc rapti pretio fasces, sectorque favoris
Ipse sui populus, letalisque ambitus urbi,
Annua venali referens certamina Campo.

ejecto hoc inepto Emblemate, manum suam nunc demum agnoscit Lucanus.

Juverit me hac occasione cultissimum NASONEM ineptis hujusmodi sordibus expurgare, ingratae liberalitatis diu pertaesum. Turpiter grassata fuit Interpolatoris audacia in *Lib.* 1. *Amor. Eleg.* v. *v.* 22. quod miror BURMANNUM Criticorum facile Principem subodoratum non fuisse. Quid enim, quaeso, delicatissimo Poetae cum inepto hoc atque, ut ait CATULLUS, *pleno ruris et inficetiarum* Disticho?

Singula quid referam? nil non laudabile vidi,
Et nudam pressi corpus ad usque meum.

Premere puellam nudam ad usque corpus suum adeo est elegans, ut nihil supra! Quis non gratias agat elegantissimo huic nugatori, qui hac gemma ornatam voluit tersissimam Nasonis Elegiam, quae inter omnes excellit tamquam Minerva Phidiae! Barbaries mera est *premere puellam ad usque corpus suum*, et absque hoc nihilominus suspectum foret. Nam cum *versu* 17. dixerit Poeta,

In toto nusquam corpore menda fuit:

insulse hic et otiose adjectum merito videatur, *se nil non laudabile vidisse.* Praeterea *nudam pressisse* novum non est, cum ante dixerit *eam sine velamine ante oculos suos stetisse.* Tandem ipse NASO hoc Distichon a se abdicat! Cum enim VATES CYTHEREIUS in fine carminis dicat: *Caetera quis nescit?* ultro res clamat NASONEM, quas cum Corinna sua delicias fecerit, non evulgare, sed Lectoribus cogitandum relinquere voluisse. Abeat igitur in malam crucem putidissimum illud magonium!

Nunc promissis ad *v.* 113. factis nos exsolvamus atque ostendamus, quomodo insulsi Monachi in Poetis grassati fuerint, ut delicias suas, versus vulgo LEONINOS dictos, iis obtruderent. PROPERTIUM igitur illorum ine-

ptiis liberemus *Lib.* I. *Eleg.* VIII. *v.* 11.

Nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena.

Notat hic Broukhusius, illud *Tyrrhena* cum vicino *arena* ingratum sonum efficere. Optimo Poetarum judici hoc libenter concedo, verum a Poeta ita profectum non esse, certo mihi persuasus sum. Credo enim et verissime arbitror, ultima verba in duobus distichis trajecta et transposita ab insulsis Monachis, Leoninorum versuum amatoribus. Locum sic constitue et veram habebis Propertii manum:

Nec tibi Tyrrhena solvatur funis AB ORA,
Neve inimica meas elevet aura preces:
Et me defixum IN *vacua patiatur* ARENA
Crudelem infesta saepe vocare manu.

[In hoc Propertii loco venerandum Patruum suum eandem plane tentasse verborum trajectionem atque eodem modo verba Poetae constituisse, mihi in eadem Epistola significavit dignissimus tanti nominis heres, P. Burmannus Secundus (in schedis puto ineditis quia aliter mihi non constat) adscripto ejusdem Poetae loco *Lib.* II. *Eleg.* XIX. *v.* 43.

Putris et in vacua requiescit navis arena.

Vehementer gaudeo mihi hac parte convenisse cum Viro Summo, siquidem non temere aut frustra sic locum illum tentasse videri possim, gloriam inventionis libenter cessurus Praeceptori optimo. *Ex Addend.]* *Solvere funem ora* vel *ab ora litoris* locutio proba, quae et restituenda Quinctiliano *in Praefat. Inst. Orat. et ora solventibus bene precemur.* Et *Lib.* IV. *Cap.* 11. *p.* 328. *Ed.* Burmann. *Sublatae sunt ancorae. Solvimus ora, profecti sumus.* Vulgo *oram* legitur. Oram *enim funem nauticum esse, quo navis a puppi alligatur ad portum,* gratis a Viris Doctis poni arbitror et sine ulla auctoritate. Nusquam certe hoc sensu vocem illam Veteribus usurpatam vidi. Livii locus *Lib.* XVII. *Cap.* XIX. nihil juvat, quippe qui mendosus est atque ita constituendus videtur: *Vixdum omnes conscenderant, quum alii* REVOLUTIS ROTIS *ancoras evellunt, alii ne quid teneat ancoralia incidunt. Revolutis* ROTIS lego sive *rotulis*, quibus ancoralia circumvolvere et ita ancoras educere soliti erant. Graves enim erant ANCORAE et ideo *rotulas* adhibebant ad eas evellendas, et sic tamen multo labore opus erat, unde vocibus et clamoribus se hortabantur nautae. Inde *pigrum unçum* vocat Valer. Flacc. *Lib.* II. *v.* 428.

Has inter lacrimas legitur PIGER UNCUS *arenis.*

quia tarde sequebatur ancora. Lucan. *Lib.* II. *v.* 693. de tacita fuga classis Pompejanae;

Cum tacitae solvere rates, non ancora VOCES
Movit, dum spissis evellitur UNCUS *arenis.*

et sic tamen non sequebatur quandoque, ut URINATORE opus esset ad solvendam arenis ancoram. *Lib.* III. *v.* 697.

Eximius Phoceus animam servare sub undis
Scrutarique fretum, si quid mersisset arenis,
Et nimis affixos unci convellere morsus,
Adductum quoties non senserat ancora funem.

Hinc videmus apud Livium, *Poenorum nautas praepropere se e litore in naves proripientes ut classi Romanae occurrerent, alios* REVOLUTIONE ROTULARUM *anco-*

Hinc rapti pretio fasces, sectorque favoris
Ipse sui populus; letalisque ambitus urbi;
Annua venali referens certamina Campo:
Hinc usura vorax, avidumque in tempore foenus,
Et concussa fides; et multis utile bellum.
Jam gelidas Caesar cursu superaverat Alpes;
Ingentesque animo motus, bellumque futurum

178. rapt. fasc. precio b. 183. cursu Caes. c.

ras evellisse, alios ne quid moraretur ipsos funes ancorarios incidisse. Sed redeamus ad Propertium, in quo rescripsi IN *vacua arena*, quae praepositio absorpta fuerat ab ultima litera vocis *defixum*. *Vacua arena* sive *vacuum litus* hic longe praestat *orae vacuae* apud PROPERTIUM, et emendationem nostram certissimo argumento probat: nam non in ORA VACUA, sed *in vacuo Tyrrheni maris litore* miserum vatem reliquisset delicata CYNTHIA. *Ora Tyrrhena* enim est LITUS ITALIAE. Judicent Eruditi. JEV.

178. *Hinc rapti pretio fasces,*] Omnes codices paulo vetustiores cum editione Romana mutato vocum ordine,

Hinc rapti FASCES PRETIO, *sectorque favoris.*

Qui omnino sequendi sunt; versus enim grandior pleniorque sic incedit.

181. — *Avidumque in tempore foenus,*] Colbertinus secundus, Harleianus, et cod. Coll. Trin. cum uno Pulmanni, *in* TEMPORA, quod doctius et speciosius est. Seneca Troad. 485.

— *in luctus suos*
Rex non avarus.

Silius x, 340.

— *avidasque ad futile votum*
Spes juvenis frenare parat.
BENTL.

Quid sit foenus *avidum in tempora vel tempore* doceri velim. Ego qui meus est stupor plane non capio. Aestuant Interpretes et explicant AVIDUM FOENUS, *exedens homines quo diutius manet.* Haud vidi magis! BURMANNUS recte monet, *Scholiasten sibi legisse videri* AUCTUM IN TEMPORE *foenus*, et capit de USURA *in* SORTEM *imputata.* Haeret tamen et Lucano proprias relinquit duras locutiones. Sic faba in miserum poetam cuditur! immerito tamen: nam culpa librariorum est. Menda latet quam propitio Apolline jam eluemus. Lego:

Hinc usura vorax AUCTUMQUE *in* FOENORA *foenus.*

FOENUS enim, *in* SORTEM *imputatum, denuo auget ipsum* FOENUS. Nulla probatione hoc indiget. Locus LIVII [VII, 38], a summo quondam PATRONO meo adductus, omni est exceptione major. Probat, si quid sentit post fata, alumni sui conatus et

Plaudit ab excelso felix BURMANNUS *Olympo.*
JEV.

184. *Ingentesque animo motus,*] Ita scripti editique INGEN-

Ceperat. ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,
Ingens visa duci patriae trepidantis imago,
Clara per obscuram vultu moestissima noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,

TES, quod tamen falsi arguit damnatque repetita vox illa versu abhinc altero,

> INGENS *visa duci patriae trepidantis imago.*

Ex his alterutrum mendosum esse jam constat: posterius vero recte se habere fidem facit Claud. I. Eutrop. 390. de eadem Romae imagine,

> *Dimovit nebulam, juvenique apparuit* INGENS;
> *Tum sic orsa loqui.*

Prius ergo hinc removendum est, cujus loco restituo,

> SURGENTESque *animo motus, bellumque futurum,*
> *Ceperat.*

Surgentes, incipientes, nascentes, orientes; ut mox *futurum.* Noster VI, 322. de hoc ipso rerum statu:

> *Hesperiam potui,* MOTU SURGENTE, *tenere.*

Aen. IV, 43.

> *Quid* bella *Tyro* surgentia *dicam?*

Ceterum in colo sequenti hic ordo est, *Imago patriae visa adstare et loqui* (verba) *permixta gemitu.* Aen. III, 150.

> *Penates,*
> — visi *ante oculos adstare jacentis*
> *In somnis multo manifesti lumine.*

Ubi vides, quid *clara* apud Nostrum velit. Silius I, 631.

> — *praesens adstare Sagunti*
> *Ante oculos visa est extrema precantis* imago.

Gemitu permixta (verba scilicet,) ut Silius XVII, 84.

> *Sic Latius* permixta *minis, et cassa movebat*
> *Ductor.*

Ubi SET cassa, quod est SED, reponendum. S. litera absorpta in *minis,* quod passim fit in membranis vetustioribus.

188. — *Effundens vertice crines, Caesarie lacera,*] Cave suspiceris mendum hic subesse, quod post *crines* addit *caesariem:* sic enim et alibi VIII, 680. de Pompejo,

> — *hirta* coma *et generosa fronte decora*
> *Caesaries.*

et Silius [IV, 200]

> — *flavam qui ponere victor*
> Caesariem crinemque *tibi, Gradive, vovebat.*

et VI, 426. de Regulo.

> — *horrida cano*
> *Vertice descendens ingentia colla tegebat*
> Caesaries, *frontique* coma *squalente sedebat.*
> *Terribilis decor.*

et denique VIII, 561. de Scipione Africano,

> *Martia frons, facilesque comae, nec pone retroque*
> Caesaries *brevior.*

In Hypercritico suo [VI, 6. p. 779.] Julius Scaliger, ubi de Lucano censuram agit, *Dubitandum,* inquit, *an pure loquatur, qui Veneris comam, caesariem appellat, id quod fecit Claudianus; sic et Lucanus in primo.*

Lucani locus, quem notat, hic est; Claudiani, de Nupt. Honorii 99.

Caesariem tunc forte Venus subnixa corusco
Fingebat solio.

Nempe Magistri sanxerunt, caesariem non nisi de viris dici. At, opinor, utrosque absolvet Scaligeri deus Virgilius, ejusdem si quod est criminis reus. Georg. IV, 336.

Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,
Caesariem effusae nitidam per candida colla. BENTL.

Haerent hic et magno laborant aestu Doctissimi Interpretes, de Romae CAESARIE solliciti, quam tamen viris et mulieribus promiscue dari. ex Virgilio clarissime evicit BENTLEJUS. Rem igitur expeditam habemus, et poeta amplius non ineptit? Immo vero ineptiret maxime, si ita nobis haec reliquisset. Quaeso enim, nonne turpe fuerit Deae Mavortiae lacerare crines, quae in adversis semper constantissima fingitur? et quid miri narrat, quod eam dicit *nudis adstare lacertis?* Credo hoc ideo fecisse, ne quis forte putaret eam *sedisse* et *tectis* quidem *lacertis*. Ridicule profecto! Mavortia Roma *nudos* semper et *exsertos lacertos* habet, si quid credimus elegantissimo CLAUDIANO *in Prob. et Olyb. v.* 85.

Dextrum nuda latus, NIVEOS EXSERTA LACERTOS,
Audacem retegit mammam.

adstare quoque ineptum: si enim non *adstitisset*, loquentem eam audire quomodo Caesar potuisset? Praeterea scire velim, quomodo *clara Romae imago* Caesari tam clare visa fuerit *per obscuram noctem*, ut *moestissimum vultum* et *canos crines* discernere potuerit, siquidem hujus rei nulla reddi posse videtur ratio. Sentis, erudite Lector, interpolatoris audaciam? Faxo jam scias quid sit sobrie philosophari et bonum Criticum agere. *Lugens* pro *Ingens* recte emendatum HEINSIO: quare, abjectis duobus spuriis versibus nempe 187 et 189, ita rescribendum puto.

LUGENS *visa Duci patriae trepidantis imago,*
Turrigero SACROS *effundens vertice crines,*
HAEC *gemitu permixta loqui.*

Lugens Roma, *solutis sacratis comis* (uti in LUCTU soliti erant Romani) *visa Caesari haec verba gemitu permixta loqui.* Pronomen illud *Haec* in *Et* mutatum (uti saepe in MSS. fieri consuevit) has turbas concitavit. Clarus dies erat, cum Caesar ad Rubiconem venit, teste SUETONIO *Cap.* XXXI. et *claro die* OSTENTUM *Caesari factum*, ut jam OBSCURA NOCTE, qua *moestum* Romae *vultum* adeo discernere facile non potuit Caesar, tuto carere possimus. Dein vero *Lugens Roma, soluta crines sacros*, laceram caesariem ipsa damnat et plane respuit. SACROS denique rescripsi pro *Canos*. Quae enim quaeso haec est imprudentia, DEAE *fortissimae*, *invictissimae* et AETERNAE dare CANITIEM veluti annosae vetulae? Diis immortalibus *sacros crines*, *ambrosias comas* tribuunt poetae, et merito. TIBULL. *Lib.* III. *Eleg.* III. *v.* 25. de coma Phoebi,

Saepe horrere SACROS *doluit Latona capillos.*

VIRGIL. *Lib.* I. *Aen. v.* 403.

AMBROSIAEQUE *comae divinum vertice odorem*
Spiravere.

Nec est quod dicat aliquis, vulgatam CANOS defendere et tueri SERVIUM ad VIRGIL. VIII, *Aen. v.* 32. ubi Tiberinus *Senior* dicitur. SENIOR, ait, *aut propter spumas aut propter reverentiam.*

Caesarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permista loqui: Quo tenditis ultra?
Quo fertis mea signa, viri? si jure venitis,
Si cives: hucusque licet. Tunc perculit horror
Membra ducis, riguere comae, gressumque coercens
Languor in extrema tenuit vestigia ripa.
Mox ait: O magnae qui moenia prospicis urbis
Tarpeia de rupe tonans, Phrygiique penates
Gentis Juleae, et rapti secreta Quirini,
Et residens celsa Latialis Juppiter Alba,
Vestalesque foci, summique o numinis instar,
Roma, fave coeptis: non te furialibus armis
Persequor: en adsum victor terraque, marique
Caesar, ubique tuus, (liceat modo) nunc quoque miles.

189. a*st*are b. c. 193. co*h*ercens, ita semper b. c. d. 195. *re*spicis d. 196. *frig*iique ita semper b. c. d.

Sic Lucanus de ROMA *adhuc florente.*

Turrigero CANOS *effundens vertice crines;*

nam vel vitioso Codice usus est SERVIUS, vel fugit eum ratio. Tiberinus enim *senior* recte dicitur, adeoque ipsi CANITIES, ut reliquis MINORUM GENTIUM Diis, tribui jure potest, *Deo* quippe *fluvii* et EX PLEBE *Deorum:* sed *Deae Mavortiae*, MUNDI REGINAE, AETERNAE, *inter sidereos polos receptae*, ut RUTILIUS *in Itin. Lib.* I, *v.* 48. ait, CANITIES *propter reverentiam* hic certe convenire non videtur. Judicent poeticarum elegantiarum periti! JEV.

198. *Et residens celsa Latialis Juppiter Alba,]* Colbertinus vetertimus, LATIARIS, et sic infra 535. idem codex,

Percussit LATIARE *caput.*

Neque aliter meliores codices apud Livium et alios. Forte etiam corrigendum, *Latiari Iuppiter.* Nam Plinio est Juppiter *Latiarius*, et Graecis semper *λατιάριος.* Cicero pro Milone c. 31. [§. 85.] *Tuque ex edito tuo monte* Latiaris *sancte* Juppiter. Codex vetustissimus apud Gruterum *Latiari.*

199. — *Summique o numinis instar, Roma,]* Hinc Martialis VII, 11.

Perque tuas aures, magni mihi numinis instar.

et Silius XIII, 623.

— *o magni mihi numinis instar,*
Cara parens.

Ille erit ille nocens, qui me tibi fecerit hostem.
Inde moras solvit belli, tumidumque per amnem
Signa movet propere. sic cum squalentibus arvis

205. *tulit* prop. b. c. d. sic*ut* *sp*alent. b. sic *ut* sq. d. *arvis* man. sec. in membr. erasa. c.

203. *Qui me tibi fecerit hostem.]* Ita si scripsit poeta, ridiculus fuerit sibique contradixerit. Antea dixit *se Romam non persequi armis furialibus, se semper pro ea militasse, et jam quoque si liceat, pro ea militare paratum,* quomodo igitur jam quis illum hostem patriae fecerit? Lucani tamen haec culpa non est, sed librariorum male describentium. Lego parva mutatione

Ille erit, ille nocens, qui TE MIHI *fecerit hostem,*

id est, *qui fecit ut Tu, O Roma, hostili in me animo saevires, et me* HOSTEM PATRIAE *judicares.* JEV.

205. — *Sic cum squalentibus arvis Aestiferae Libyes.]* Illud *Cum* quod ex uno codice primus admisit Bersmannus, onerat impeditque sententiam. Manuscripti fere omnes cum Romana ac Veneta SICUT. Repone ex codice Regio et Bersmanni altero,

SIC IN *squalentibus arvis.* BENTL.

Corruptus locus, quod tamen nemo hic animadvertit. Ἀπόδοσις hujus similitudinis, quae praecessit, particulam *quum* otiosam reddit, quae sensum turbat. Confirmatur hoc *versu* 208.

Mox ubi se saevae stimulavit verbere caudae.

Unica corruptionis caussa est vox *subsedit*, quae fecit, ut Criticus aliquis male sedulus *τὸ quum* intrusum iret. Vi similitudinis hic non *praeteriti*, sed *praesentis temporis* verbum requiritur, adeoque *subsidit* a verbo *subsido* rescribendum; nam praeteritum *subsedit* a *subsideo* descendit, cum *subsido subsidi* in praeterito faciat, ut olim monui in observatione quadam, ad *Lib.* v. *v.* 226. cum *Cel.* BURMANNO communicata, et ab eo *sub nomine cujusdam disciplinae suae alumni* ibidem inserta. Legendum si quid video mutata distinctione:

Sic IN *squalentibus arvis*
Aestiferae Libyes viso leo cominus hoste
SUBSIDIT *dubius, totam dum colligit iram.*
Mox ubi etc.

Dicit Auctor: *Caesar substitit ad Rubiconem, dubius animi, recederetne an infesto exercitu Romam peteret. Dein* TUMIDUS *ira* (ita enim recte BURMANNUS) *signa propere movit et Rubiconem transiit. Ita quoque leo Libycus, hoste cominus conspecto,* DUBIUS SUBSIDIT *in hostem illum irruat nec ne, donec irarum stimulos concipit. Mox demum collecta ira venabula spernit, vulnerisque securus per ipsam hastam exit in hostem.* Res ultro patet: pluribus igitur non adstruam. Probant Codex Bersmanni et Vossianus quint. qui clare *sic in* exhibent. [Atque ita e duobus Codd. video protulisse Bentlejum, quem laude sua fraudatum nolim. *Ex Addend.]* Alii Codd. fere omnes vel *sicut*, vel *sic* vel *sic cum* repraesentant.

Aestiferae Libyes viso Leo comminus hoste
Subsedit dubius, totam dum colligit iram;
Mox ubi se saevae stimulavit verbere caudae,

206. lib*ies* c. d. leo viso c. 208. *seve* c, qui semper *e* pro *ae* et *oe* habet.

Age! Senecae *Tragico* dum vacat maculam abstergamus turpissimam in *Herc. Oet. v.* 1072.

Audito quoque navita,
Inferni ratis aequoris
Nullo remigio venit.

Heinsius mendosum locum ita refingebat. Adjutum *q. navitam Inf. r. ae. Nullo remigio* vehit. *Adjutum* videlicet *cantu Orphei.* Gronovius minori mutatione verius emendari posse sperabat *Attento quoque navita.* Frustra. Lege siquid credis bone Lector homini Mercuriali:

Auritum *quoque navitam*
Inferni ratis aequoris
Nullo remigio vehit.

[Ita *auritas silvas* in Cassii Parmensis Epigrammate restituit Oudendorpius, teste P. Burmanno Secundo *ad Anthol. vol.* 1. *pag.* 98. *et* 625. *Ex Addend.*] *Cantu Orphei tracta ratis sine ullo remigio vehit Charontem* carmina stupentem. Horat. *Lib* I. *Od.* xii. *v.* 11. de Orpheo,

Blandum et auritas *fidibus canoris*
Ducere quercus,

id est *carmina ejus stupentes.* Plaut. *Prol. Asinar. v.* 4.

Face jam, tu praeco, nunc omnem auritum *poplum.*

auritum et *auditum* in MSS. saepe confusa. Gellius *Lib.* vii, *Noct. Att. Cap* vii. *Quaedam animalia, alia alio* (sensu) *carent, et aut* caeca *natura gignuntur, aut* inora inaurita-ve. Citat hunc Gellii locum Nonius Marcellus, sed perperam *inodora* et *inaudita* exhibet. Nihil verius hac emendatione. Jev.

206. — *Viso Leo comminus hoste Subsedit dubius,*] Cur vero *subsedit* tempore praeterito? Quasi hic unius cujusdam leonis mos esset, et non natura omnium. Repone subsidit. Silius v, 309. de leone ex Nostro mutuatus:

Haud secus e specula praeceps delatus opaca,
Subsidens *campo submissos contrahit artus.*

Vides hic *contrahit*, et in Virgil. Aen. xii, 6.

— Movet *arma leo:*

Ergo et hic *subsidit*, non *subsedit.*

208. *Mox ubi se saevae stimulavit verbere caudae,*] Pulcherrimam sane descriptionem unius vocabuli vitio dehonestavit. Cui enim placeat illud, saevae *caudae?* praesertim cum in se leo, non in hostem, flagello caudae utatur. Plinius Hist. viii, 19. de leonibus: *In principio iracundiae, terra verberatur cauda: incremento, terga ceu quodam incitamento flagellantur.* Leo quidem saevus, et verbera etiam saeva; sed *caudam saevam* nisi in scorpio vel ejusmodi alio vix auribus propitiis accipias. Seneca patruus in Oedip. 95. de Sphinge:

Cumque e superna rupe jam praedae imminens

Erexitque jubam, et vasto grave murmur hiatu
Infremuit: tum torta levis si lancea Mauri
Haereat, aut latum subeant venabula pectus,
Per ferrum tanti securus vulneris exit.
Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis
Puniceus Rubicon, cum fervida canduit aestas.

209. juba*s* et d. *grave* deest in d. 210. tu*nc* b. d. 214. Puniceus supra ni scriptum est *vel mi* in b.

Aptaret alas verbere, et caudam movens
Saevi leonis more, conciperet minas,
Carmen poposci.

Sic dederunt viri summi Jos. Scaliger et Fred. Gronovius Sed ut condonem eis, *verbere alas aptare;* quis ferat illud tam languidum, in *saevi* leonis ira *moveri* tantum caudam? Veterrimi Senecae codices *caudae* habent: tu vero memento, *movens* dempto apice in priscis membranis scribi, *moves.* Lege:

Aptaret alas; verbere et caudae GRAVES,
Saevi leonis more, conciperet minas.

Vides, opinor, Nostrum *verbere caudae* ex patrui penu accepisse, sed utinam pro *saevae* aliud quoddam epitheton nobis dedisset. Homerus de leonibus, οὐρῇσι μακρῇσι, caudis longis.

211. — *Aut latum subeant venabula pectus.]* Martialis VIII, 55. de leone ex hoc ipso loco desumtum,

Grandia quam decuit LATUM VENABULA PECTUS.

213. — *Parvisque impellitur undis Puniceus Rubicon.]* Scio quid sit *undas impellere*, vel ex Georg. IV, 305.

Hoc geritur Zephyris primum impellentibus *undas.*

Venti scilicet impellunt undas. At quid hoc est, quod *Rubicon suis undis impellitur?* Ergone fluvius diversum quiddam est ab undis suis? Quid quod istae *parvae undae* sunt ipsa glacie frigidiores? Quis sic locutus est? Huc accedat, quod decem versiculorum spatio ter eadem voce linea clauditur, *Impellitur undis, Auxerat undas, Fluminis undas.* Sine dubio flagitia librariorum haec sunt, non incuria auctoris. Quid si ille sic scripserit?

Fonte PLUIT *modico,* PARVAQUE IGNOBILIS URNA,
Puniceus Rubicon, cum fervida canduit aestas.

Certe cum *puniceum* dicit, quasi nomen a *rubore* ductum sit, videtur personam fluvio dare, ut alii passim. Aen. VIII, 64.

Coeruleus Tibris, coelo gratissimus amnis.

Ibid. VII, 792.

Caelataque amnem fundens pater Inachus urna.

[Claudian. in Rufin. I, 133.]

— *et Rhenus projecta torpuit* urna.

[Id. in Eutrop. II, 171.]

— *et aurata Pactolus inhorruit* urna.

Jam vero *ignobilis* adeo apposite, ut nihil magis. BENTL.

Menda inquinatum sensit hunc locum BENTLEJUS, quippe bis *undas* in continenti, exiguo versuum spatio, otiose repetitur. Tentat igitur et refingit:

Fonte FLUIT *modico* PARVAQUE IGNOBILIS URNA,

male et contra scriptos Codd. LUCANI manum quaerimus, non acumen BENTLEJI. CADIT recte se habet. *Torrens* enim est, qui aquis auctis *cadere* et *ruere* proprie dicitur. OVID. *Lib.* III, *Amor. Eleg.* VI. *v.* 7.

Parvus eras, memini, nec te transire refugi,
Summaque vix talos contigit unda meos.
Nunc RUIS, *opposito nivibus de monte solutis,*
Et turpi crassas gurgite volvis aquas,

undis quoque hic non sollicitandum, sed legendum PARCIS *undis.* PARVUS enim amnis, MODICO fonte fluens, PARCAS sive *exiguas* undas volvat necesse est. Sic PARCA *mica salis* OVIDIO *Lib.* II, *Fast.* v. 538. et PARCA *vina, eod. Lib. v.* 636.

PARCA *precaturae sumite vina manus.*

Emendandi vero ratio satis manifesta est *v.* 217. ubi *undae* otiose repeti videntur: quia cum dicit *hiemem praebuisse* VIRES, illud *auxerat undas* nimis languidum est. Lego igitur, ut scripsisse puto poetam:

Fonte cadit modico, PARCISQUE *impellitur undis*
Puniceus Rubicon etc.
Tunc vires praebebat hiems, atque auxerat IRAS
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et CALIDIS *Euri resolutae flatibus Alpes.*

IRAS id est *violentiam* et *saevitiam.* VIRES sive *aquas dabat* HIEMS; IRAS et *violentiam augebant* TRES CONTINUAE PLUVIALES NOCTES et TEPENTES *Euri flatus, qui Alpinas nives solvebant.* IRA de *violentia* AMNIS eleganter dicitur. LUCAN. *Lib.* X, *v.* 316.

Quis te tam lene fluentem
Moturum tantas violenti gurgitis IRAS,
Nile, putet?

CALIDIS vero sive *tepidis Euri flatibus* melius quam *madidis* nix Alpina resolvi posse videtur. Aestas enim appropinquabat et *aestivi* Venti *calidi.* Praeterea PLUVIALIS CYNTHIA *madidos Euri flatus* otiosos reddere videtur. [Cel. SCHRADERUS conjiciebat;

Et madidis AUSTRI *resolutae flatibus Alpes.*

quod firmari possit loco OVIDII *Lib.* I. *Met. v.* 264.

MADIDIS NOTUS *evolat alis.*

et *pluviali Cynthiae* non male conveniat. Eligat Lector. Aeque libenter enim amicissimi Viri conjecturam laudari videbo ac meam. *Ex Addend.*]

PROPERTIUM denuo spurcis Monachorum sordibus liberemus mala audacia corruptum. *Lib.* I, *Eleg.* XVII, *v.* 5.

Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti,
Adspice quam saevas increpat aura minas.

Leoninum hunc versum debemus ut dixi liberalitati Monachorum; nam ab Auctoris manu profectum fuit *flatus,* quod a glossa loco motum. FLATUS Propertio *ventus.* Sic *Lib.* II, *Eleg.* XIX, *v.* 67.

Mendaces ludunt FLATUS *in amore secundo.*

Digrediamur ulterius et VALERIO FLACCO, optimo poetae, qui

proxime ad Virgiliani carminis majestatem accedit, opem feramus *Lib.* 1, *v.* 662.

Aesoniamque capit pateram, quam munere gaudens
Liquerat hospitio, pharetrasque rependerat auro
Salmoneus; nondum ille furens, cum fingeret alti
Quadrifida trabe tela Jovis, contraque ruentem
Aut Athon aut Rhodopen, moestae nemora ardua Pisae,
Aemulus et miseros ipse ureret Elidis agros.

Locus intricatus et qui Doctissimorum virorum ingenia torsit. Illa enim *contraque ruentem aut Rhodopen* explicationem non recipiunt. In aliis Codd. legitur *moestae moenia Pisae*, atque in iis τὸ *ardua* non comparet. Tentemus (in desperato enim loco tentare non nocet) an malo ulceri mederi et poetae manum quodammodo restituere possimus. Facillima emendatione ad ductum literarum proxime accedente lego hunc locum:

Aesoniamque capit pateram, quam munere gaudens
Liquerat HOSPITII, *pharetrasque rependerat auro*
Salmoneus; nondum ille, furens QUI *fingeret alti*
Quadrifida FACE *tela Jovis* TONITRUMQUE *ruentem*
Aut Atho aut Rhodopen, moestae CUM *moenia Pisae*
Aemulus et miseros exureret Elidis agros.

hospitii cum HEINSIO lego pro *hospitio. Gaudens munere hospitii* id est *accepto ab Aesone munere hospitali*, PHARETRIS nempe, quas compensaverat hoc AURO sive *aureo poculo*, *in tesseram hospitalem ipsi vicissim dato.* Sic AURUM pro *poculo aureo*, idem VALER. *Lib.* 1. *v.* 337.

O si mihi sanguis,
Quantus erat cum signifero cratere minantem
Non leviore Pholum manus haec compescuit auro!

nondum ille furens qui elegans locutio. LUCAN. *Lib.* 1, *v.* 171.

Non erat is populus, QUEM *Pax tranquilla juvaret.*

Virgil. 11. *Aen. v.* 274.

quantum mutatus ab ILLO
Hectore, QUI *redit exuvias indutus Achillis.*

Vid. BURMANN, *ad d. l.* LUCANI *et ad Ovid.* VII, *Met. v.* 43. QUADRIFIDA FACE vero lego id est *quatuor facibus ardentibus, ita connexis ut fulmen imitarentur:* nam *quadrifida* illa *trabs* nauci esse videtur. Mox pro *contraque ruentem* rescripsi *tonitrumque ruentem;* utrumque enim et *tonitrus* et *tonitru* recte dicitur. Eleganter vero tonitru RUERE dicitur *Atho aut Rhodopen* id est *ferire, dejicere;* manifestissima VIRGILII imitatione *Lib.* 1. *Georg. v.* 332.

Ille flagranti
Aut Atho aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo
Dejicit.

Vid. ibi not. HEINS. *Pisae moestae moenia* dixit propter cives, qui dolebant tanto regis fastu omnia perdi et insontes trucidari, quam crudelitatem tangit SERVIUS ad VIRGIL. *Lib.* VI. *Aen. v.* 585.

Vidi et crudeles dantem Salmonea poenas,
Dum flammas Jovis et TONITRUS *imitatur Olympi.*
Quatuor hic invectus equis et lampada quassans
Per Grajum populos mediaeque per Elidis urbem
Ibat ovans, Divumque sibi poscebat honorem.

Perque imas serpit valles, et Gallica certus
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.
Tunc vires praebebat hyems, atque auxerat undas
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et madidis Euri resolutae flatibus Alpes.
Primus in obliquum sonipes opponitur amnem,
Excepturus aquas. molli tum cetera rumpit

216. *h*auserat c. 218. cinthia *c* in membr. erasa c. 221. tu*nc* cet. c.

Demens qui nimbos et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularat equorum!

Integrum locum adscripsi. VALERIUM enim optime illustrat magni sui magistri vestigia prementem. TONITRUS in Virgilio praefero τῷ SONITUS, quia cum *flammis Jovis* sive fulmine conjungitur, et quia sic in MSS. legitur et VALERIUS confirmat. *Quadrifida* FACE ibi probat Servius et ipse Virgilius cum dicit LAMPADA *quassans*. *Moenia*, *moenera*, *nemora* in MSS. saepe permutantur, quod corruptae lectioni ansam dedit. Fulciendo enim versui τὸ *ardua* adjectum fuit. Pro *ipse ureret* HEINSIUS *exureret* optime restituit. Haec de difficillimo hoc loco, quae Doctis expendenda relinquo. Nunc Lucanum resumamus. JEV.

217. — *Atque auxerat undas Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,]* Val. Flaccus II, 56.

Puraque nec gravido *surgebat* Cynthia cornu.

Tertia luna quae sit, quaerunt interpretes: noxne tertia sit ab interlunio, an tres noctes continuae. Ita Plinius quidem, rei rusticae scriptores, aliique, *luna tertia*, *quarta*, *septima*, *decima quinta*, etc. de singulis noctibus dicunt. At quia *jam* addit Noster, omnino intelligendum, et tertiam, et secundam, primamque lunam pluviales fuisse.

222. *Turba vado fracti faciles jam fluminis undas.]* Codices nostri universi cum Romana et Veneta alio et faciliore ponunt ordine:

Turba vado faciles jam fracti *fluminis undas.*

Sed, ut jam dictum; illud UNDAS ter intra paucas lineas repetitur, idque in eadem sede ac fine versus merito lectorem offendat. Quin etiam, *molli vado*, et *faciles undas*, quam prope ad tautologiam accedunt? Vix dubitare possum, quin sic a poeta editum sit:

— *molli tum cetera rumpit*
Turba vado faciles jam fracti fluminis IRAS.

Horat. II. Carm. 12, [26.]

— *aut* FACILI SAEVITIA *negat*
Quae poscente magis gaudeat eripi.

Noster I, 173. licet sensu diverso,

Inde IRAE FACILES; *et quod suasisset egestas,*
Vile nefas.

Juvat etiam illud *fracti:* nam *iram frangere* et *fracta rabies* passim occurrunt.

Turba vado fracti faciles jam fluminis undas.
Caesar ut adversam superato gurgite ripam
Attigit, Hesperiae vetitis et constitit arvis,
Hic, ait, hic, pacem, temerataque jura relinquo;
Te Fortuna sequor: procul hinc jam foedera sunto.
Credidimus fatis, utendum est judice bello.
Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina ductor
Impiger, et torto Balearis verbere fundae
Ocyor, et missa Parthi post terga sagitta:
Vicinumque minax invadit Ariminum, ut ignes
Solis lucifero fugiebant astra relicto.

222. fac. jam fract. b. d. 228. teneb. noct., ante v. tenebr. et ante v. ductor aliquid erasum est, praeterea *ductor* in margine quoque legitur, sed puncto adposito notatum c. 229. *it* tort. c. 231. *et* ign. b. c. d.

227. *Credidimus fatis.]* Heinsius legit *Credimus en fatis.* Burmannus rescribit *Cedimus en! fatis.* Ego vero, ita mihi faveat Critica, expungendum ineptum hunc versum pronuntio. Interpolatoris manum faxo quivis facile agnoscat. Quid enim causae esse putemus, cur poeta, cum de uno Caesare in singulari numero dixerit: relinquo *pacem et jura temerata; te jam* sequor, *Fortuna*, frigide et inepte subjungat numero plurali Credidimus *fatis?* Nemo hoc divinaverit! Praeterea cum Fortuna, quam se sequi dicit Caesar, nihil *certa ratione*, omnia *caeco impetu* agat: fata contra *certa fixaque* providentiae *lege* regantur adeoque immutabilia sint, quomodo, quaeso, haec ulla ratione componi posse videantur? tum vero illud *utendum est judice bello* adeo humile et abjectum, adeo plebejum sonat, ut rus olere magis quam poeticum genium spirare videatur. Tandem ipse Auctor pro suo eum agnoscere nolle clamat. Cum enim hic dicat, *se relinquere pacem et jura temerata; sequi se Fortunam: nihil sibi amplius negotii esse cum foederibus pacis!* nonne ex indignabundo Caesaris animo et abrupto dicendi genere quivis facile intelligat eum bella moturum? Quare lego expulso hoc turpi emblemate:

Hic, ait, hic pacem temerataque jura relinquo:
Te, Fortuna, sequor: procul hinc jam foedera sunto!
Sic fatus etc.

ita magis erigitur sensus, viresque capit Caesaris indignabundi oratio, et simul vitatur illud insuave *κακόφωνον* in *fatis* et *fatus,* quod alioquin teretes et delicatas aures vehementer laederet. Benigna eruditorum suffragia exspectat haec observatio. Jev.

231. *Vicinumque minax inva-*

dit Ariminum, ut ignes Solis lucifero fugiebant astra relicto.] Et habent codices universi: ut ex conjectura adscivit Grotius, quae tamen rejicienda est, si magis placet ARIMINON. Mihi certe unice placet, ut II, 466.

Varus, ut admotae pulsarunt
Auximon alae.

Quae coactus poeta fecit, ut evitaret scabram illam et ingratam syllabae elisionem. *Rhegion* vero Ovidii [Met. XIV, 40] non omnino huc facit, nam urbs Graeca erat, et Graeco nomine efferenda: Stephanus, Ῥήγιον, πόλις Ἑλληνίς. Sic igitur locum constituit Grotius:

Vicinumque minax invadit Ariminon, ignes
Solis lucifero fugiebant astra relicto.

Nollem factum: nam praeterquam quod arena sine calce sunt, et necessario requiritur conjunctio; etiam aliud obstat, quod a nullo doctus, ipse vero animum advertens jam tecum communicabo. In versu heroico raro admodum fit distinctio plenior pausa, vel clausula, in pede quinto: sed ubicumque illud fit, tum quia in legendo vox ob coli finem deprimitur et ἐν θέσει est, ea erigenda est in priore syllaba pedis sexti, idque ex arcana Musices ratione, quam qui aurem habet, admonitus a me, facile deprehendet. Hanc ejus syllabae elevationem ut consequantur poetae, conficiunt sextum pedem ex duobus monosyllabis: eo enim pacto vox in quinto pede demissior, in sexto necessario extollitur. Vide modo haec Virgiliana: Ecl. VII, 35.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: àt tu, etc.

Aen. III, 695.

Occultos egisse vias subter mare; quì nunc, etc.

XII, 526.

Aeneas Turnusque ruunt per proelia: nùnc, nunc, etc.

V, 372.

Victorem Buten immani corpore; quì se, etc.

ib. 624.

Traxerit at letum patriae sub moenibus: ò gens, etc.

ib. 713.

Huic trade amissis superant qui navibus; èt quos, etc.

Et Lucani ista VI, 700.

Persephone, nostraeque Hecates pars ultima, per quam, etc.

Vides hic vocem monosyllabi virtute extolli: quod eo justius fit, cum monosyllabon repetitum est, et majorem inde emphasin adipiscitur, ut in his Maronis: Ecl. V, 83.

Nec *percussa sonant fluctu tam litora; nèc quae,* etc.

VI, 39.

Incipiant silvae cum *primum surgere; cùmque,* etc.

Georg. I, 80.

Ne *saturare fimo pingui pudeat sola; nève,* etc.

ib. 223.

Debita quam *sulcis committas semina; quàmque,* etc.

Atque hac repetiti verbi potestate, nonnumquam et dissyllabon pedem ultimum obtinet; ut Noster VII, 350.

Ipsi *tela regent per viscera Caesaris, ipsi*
Romanas sancire volent hoc sanguine leges.

Virgilius V, 633.

Nullane *jam Trojae dicentur moenia? nùsquam*

Jamque dies primos belli visura tumultus
Exoritur: seu sponte deum, seu turbidus Auster

Hectoreos amnes Xanthum et Simoenta videbo?

Hic enim *nulla* et *nusquam* repetitionis vim obtinent, sensu non syllabis convenientia. Non dicam tibi, ad has leges poetas ceteros, numerorum studiosos, accommodare se: ipse tibi credes, cum rem cognoveris. Quid ergo? An in hoc versiculo,

Vicinumque minax invadit Ariminon, ignes, etc.

emphaseos vim ullam aut vocis elevandae jus illud *ignes* sibi arroget? Minime vero: neque stare potest ob eandem causam sagacissimi Rutgersii [Var. Lect. 1, 12.] conjectura in Luc. 1, 74.

Antiquum REPETENS *iterum chaos omnia: mixtis*
Sidera sideribus concurrent.

Equidem crediderim *ignes* illos *Solis*, explicationis gratia, inter lineas ingestos mox versum ipsum ambusisse; quem sic refingo:

Vicinumque minax invadit Ariminon: ET JAM
CETERA *lucifero fugiebant astra relicto.*

Et jam, recepta phrasis in temporis notatione. Virgil. Aen. IV, 584.

ET JAM prima novo spargebat lumine terras.

Poterat quis, propius ad librariorum fidem, *Et jam Solem lucifero* etc.

234. *Seu sponte deum,]* Ita vulgo omnes Editiones. In MSS. quoque nihil varietatis deprehenditur. Sanior et accuratior critica tamen locum hunc corruptum arguat. Quid enim? an dies ille nubilus fuit SPONTE DEORUM sive *volentibus Diis?* quasi vero inventus quis fuerit, qui dubitaret an non *invitis* et *nolentibus Diis* nubila tenuissent lucem. Nugae! Ridiculus esset Auctor, ab ejus manu ita profectum si foret. Culpa est Librariorum quod liquido statim evincam. Quam vellem plures antiquos Lucani Codices excutere liceret tum se merito nostra jactaret critica et de poeta hoc melius mereri posset! Lego, nulla fere mutatione:

DUMQUE *dies primos belli visura tumultus*
Exoritur (seu sponte DEUS, *seu nubilus Auster*
IMPULERIT) *moestam tenuerunt nubila lucem.*

Pro *Jamque* rescripsi *Dumque* sensu exigente. *Dmque* et *Imque* fere nihil differunt in MSS. initio versuum, unde facile confunduntur. *Impulerit* legitur in Cod. Oudendorpiano, atque ita erat in Veneta, Brixiana et Mediolanensi editione. *Dum dies ille*, inquit poeta, *qui primos tumultus belli videret exoritur, coelum nubilum fuit, ut solis splendor non videretur, sive sol sponte condiderit lucem suam, seu turbida tempestas australi vento concita solem obtexerit et coelo fugaverit. Deus* sive *Sol* sponte condidit lucem, vel Auster turbidus coelo solem expulit. Sic *fugandi, coelo exturbandi* vim habet haec vox *Lib.* VII, *v.* 452.

Astra Thyestes
Impulit,

i. e. *Solem coelo fugavit*, vid. supra ad *v.* 15. sic *impellere* notat *sternere, proturbare* supra de Caesare fulmini comparato,

IMPELLENS *quidquid sibi summo petenti*
Obstaret, gaudensque viam fecisse ruina.

Impulerat, moestam tenuerunt nubila lucem.
Constitit ut capto jussus deponere miles

235. impulerit, supra *i* a man. sec. *a* scriptum est c.

Lib. x, *v.* 60.

> *Quantum impulit Argos*
> *Iliacasque domos facie Spartana nocenti!*

sic *impellere muros* dicitur *aries* *Lib.* vi, *v.* 36.

> *Exstruitur, quod non aries* IMPELLERE *saevus,*
> *Quod non ulla queat violenti machina belli,*

veramque hanc esse emendationem, probat ipse poeta initio *Libri* vi, ubi fingit, *Solem retorsisse currum eo die, quo Pharsalicum proelium contigit*, ideo scilicet,

> *ne Thessalico purus luceret in orbe!*

Interea cultissimum NASONEM ab importuna interpolatoriae manus audacia vindicemus. Locus est *Epist.* xv. *Heroid. v.* 217.

> *Sive juvat longe fugisse Pelasgida Sappho*
> *(Non tamen invenies cur ego digna fuga)*
> *Hoc saltem miserae crudelis epistola dicat,*
> *Ut mihi Leucadiae fata petantur aquae;*

digna fuga pro *quam fugias* barbarum. Sappho utique non cogebatur fugere. *Crudelis epistola miserae saltem dicat ut fata petantur*, inficetum et invenustum atque insuper barbarum. Quam dolet cultissimus poeta, qui Tomis loco barbaro ab omni in scriptis barbarie longe abfuit, tantam sibi labem adspersam esse. Lego intermediis sordibus abjectis:

> *Si remeas, puppi ecce! tuae votiva paramus*
> *Munera: quid laceras pectora nostra mora?*
> *Sive juvat longe fugisse Pelasgida Sappho,*
> TUM *mihi Leucadiae fata petuntur aquae.*

Sive redis puppique vulgo editum, male: nam tum sensum nullum habent illa verba. *Votum fecerat Sappho pro felici Phaonis reditu;* quare *eo redeunte* votiva puppi munera solveret, unde pro *puppique* quod in vulgatis, *puppi ecce!* posui, cui emendationi favet interrogatio *quid laceras pectora nostra mora?* caetera plana sunt. JEV.

236. *Capto jussus deponere miles Signa foro,]* Quid hic monstri video! Foro capto, urbe expugnata, nullo audito tumultu, solo tubarum clangore excitati cives surgunt stratis, arma templis Deorum suspensa detrahunt, veluti hostes urbe ejecturi: viso autem medio in agmine Caesare diriguere metu, membra loco movere nequeunt: ponunt igitur arma et Caesar nihil in eos severe statuit aut animadvertit! Cui, quaeso, hoc umquam persuadebitur? Ineptus esset poeta, *si urbe capta cives arma sumsisse diceret.* Interpretes haec veluti sana praetereunt. Codices nihil variant. Librariorum haec culpa male describentium. Lege, si amas bonam mentem et tersas castioris eloquii delicias, bone Lector:

> *Constitit ut* CAPTO *jussus deponere miles*
> *Signa* LOCO, ET *stridor lituum clangorque tubarum*
> *Non pia concinuit cum rauco classica cornu,*
> *Rupta quies populi* etc.

CAPTO LOCO id est *castris ante urbem positis*, quod patet quia jubentur milites signa sive aquilas solo defigere. Illa enim quae dixit Auctor *v.* 231.

Vicinumque minax invadit Ariminum,

ita explicari debent: *Caesar plenus minarum noctu iter suscipit ad invadendum Ariminum.* Cum vero primo mane castris ante urbem positis classica canere jussisset, urbemque ad deditionem cogere instituisset, somno exciti cives arma capiunt. CAPERE LOCUM propria hac in re et militaris dictio est, id est *locum castris idoneum milite occupare.* CAESAR *de B. Gall. Lib.* III. *Cap.* 23. *Hi consuetudine populi Romani* LOCA CAPERE, *castra munire, commeatibus nostros intercludere instituunt.* Prius igitur LOCUM CAPIEBANT Romani id est *militibus missis occupabant,* quam castra munirent. LUCAN. *Lib.* IV, *v.* 34.

Luce nova collem subito conscendere cursu,
Qui medius tutam castris dirimebat Ilerdam
Imperat: huc hostem pariter terrorque pudorque
Impulit, et rapto TUMULUM *prior agmine* CEPIT;

ita unius vocis corruptae restitutio poetae aegro salutem peperit. [Firmat emendationem nostram elegantissima metaphora, a bellis Veneris desumta, cultissimus NASO *Lib.* 1. *Art. v.* 234.

Vinaque cum bibulas sparsere Cupidinis alas,
Permanet et CAPTO *stat gravis ille* LOCO,

ubi vide Notas Cel. BURMANNI, qui elegantissimam hanc locutionem pluribus exemplis illustrat. *Ex Addend.*] Lubet jam in transcursu emaculare aureum vere et elegantissimum carmen, quod a *Celeberrimo* P. BURMANNO SECUNDO, *Maecenate optimo* (cujus prolixo favori debebunt haec secula, si quid Musae nostrae in LUCANO laude et admiratione dignum praestiterint!) editum est *in nitidissima editione* ANTHOLOGIAE LAT. POET. *Lib.* III. *Carm.* CLXVII, quod hoc modo constituendum esse puto:

Praecisae silicis cautibus edite,
Silvestri juvenis, durior arbuto,
Trunco cum stupeas horridior, cupis
Formare HEU! PROPRIIS *carmina versibus?*
Sed quis te docilem judicet artium,
Quas natura dedit CORDE SAGACIBUS?
Solus ligna dolans RUNCINA *et asciis,*
Et duri resecans robora pectoris,
Vatem te POTUIT *fingere ligneum,*
Qui TAURUM *trabibus lusit adulteris,*
Vel qui struxit equum fraudis Achaicae.

Priore versu *Praecisae* recte rescriptum ab *Cl.* EDITORE. Pro *formare e propriis* scripsi *heu!* illa enim particula σχετλιαστικὴ hic necessaria admodum videtur, miseret quippe eum infelicis poetae, qui invita Minerva carmen tentaret. In MSS. *he, e* et *heu* frequentissime permutari notum Criticis. CORDE SAGACIBUS pro *cordis auctior*, quod vulgo exhibetur, legendum conjicio, ut scriptum fuerit in Cod. *cord̄ sacacb̄*, unde postea illud *cordis auctior vel acutior* profluxit, quod in Salmasiano Cod. reperiebatur. Sensus ipse postulat et probat hanc emendationem. Dicit enim Auctor lepidissimus, LIGNEUM *suum* VATEM *indocilem esse* EARUM ARTIUM, *quas natura dedit.* At *quibus*, cedo, nisi SAPIENTIBUS et iis, qui ad poeticam nati et a natura SAGACI

Signa foro, stridor lituum, clangorque tubarum
Non pia concinuit cum rauco classica cornu.

CORDE donati essent? RUNCINA *et asciis* scripsi, *fortes* enim illae *asciae* mihi placere non possunt. *Runcina* erat dolabrae majoris species, qua dolantur et levigantur asseres et dein *ascia* poliuntur. Graecis *ῥυγχάνη*. Nostratibus *een ruwe Schaave*. PLIN. *Lib.* XVI. *H. N. Cap.* XLII. de ABIETE, *cujus lignum in quacumque fabricae arte spectabile, ramentorum crinibus, pampinato semper orbe se volvens* (s. *volventibus*) AD INCITATOS RUNCINARUM RAPTUS, i. e. *ad celerrimos runcinae levigantis motus*. ARNOB. *Lib.* VI, [p. 200.] *adv. Gent. Serris, perforaculis, asciis, secta, effossa, dolata: terebrarum excavata vertigine, runcinarum levigata de* PLAGIS. Ita lego, vulgo *planis*. PLAGAE *runcinarum* sunt *continui runcinae lignum dolantis et levigantis motus*, quos PLINIUS, ut vidimus, *incitatos runcinae raptus* vocat. PLAGAE de *ictibus* et *modibus* corporum LUCRETIO familiare *Lib.* II. *v.* 531.

> *Undique protelo* PLAGARUM *continuato;*

id est *continuato ictuum motu*. Dein pro *poterit* rescripsi POTUIT summo, ni fallor, jure. Acumen enim carminis in eo totum consistere videtur. Quaerit Auctor, cum natura non sit poeta, quomodo tandem factus fuerit: et *argute* concludit. LIGNEUS *poeta cum sis, a nullo alio quam fabro lignario dolatus esse potes. Quare vel a Daedalo vel Epeo,* EQUI *Trojani fabricatore, factus esse videris.* VACCAM vero in TAURUM mutari debuisse res ultro clamat. Daedalus enim, ad Pasiphaen tauro jungendam, ligneam vaccam fabricaverat, atque ita *decepit* eum LIGNEA hac VACCA, quam ideo *trabes adulteras* vocat epigrammatis auctor. Ne quis vero gratis a me hoc dictum arbitretur, en! sponsorem hujus veritatis dabo OVIDIUM *Lib.* 1. *Art. Am.* *v.* 325. de Pasiphae,

> *Hanc tamen implevit* VACCA DECEPTUS ACERNA
> *Dux gregis, et partu proditus auctor erat.*

et *Epist. Heroid.* IV, *v.* 57.

> *Pasiphae mater,* DECEPTO *subdita* TAURO,
> *Enixa est utero crimen onusque suo;*

hinc patet, VACCAM ex glossa, qua *trabes adulteras* explicaverat Vir Doctus, ortam in textum irrepsisse. Ita pristino nitori restitutum fuerit lepidum epigramma! JEV.

237. *Signa foro, stridor lituum,]* Repono, ET *stridor*, ordo enim et orationis series sic procedit: *postquam miles in foro constitit*, ET *tubae classica concinuit, rupta est populo quies.*

238. *Non pia concinuit cum rauco classica cornu.]* *Pium*, et *non pium bellum* quid sit didicisse videor: Lucret. v, 582.

> *Denique tantopere inter se cum maxima mundi*
> *Pugnent membra, pio nequaquam concita bello.*

Et *justum piumque bellum* lego apud Livium, Suetonium, alios. Sed quoniam bellum pium recte dicitur, an idcirco et *pia classica?* Quare autem tam languide et clementer Noster, *non pia*, potius quam impia? An ut Caesari parceret? Sane: et notus est nimii erga illum favoris. Propertius quidem, versus gratia, sic loquitur, III, 11, 55.

Rupta quies populi, stratisque excita juventus
Diripiunt sacris affixa penatibus arma,
Quae pax longa dabat: nuda jam crate fluentes
Invadunt clypeos, curvataque cuspide pila,

240. diri*puit* b. c.

Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
Nutrit in hospitio non, *Polydore*, pio.

Nempe *impio* metri ratio repudiavit: at Nostro quae necessitas aut verecundia? Quin nequaquam hic agitur de causa ac jure armorum: hoc tantum, quomodo Ariminenses cives somno excussi sunt, id factum tubarum fremitu et Gallorum hostium metu: viso autem Caesare signisque Romanis muti facti sunt illico. Repone igitur:

Martia *concinuit cum rauco classica cornu.*

Error ex scripturae compendio.

239. *Rupta quies populi, stratisque excita juventus]* Colbertinus secundus cum Bersmanni Pulmannique uno et altero, populis: melius profecto quam *populi:* non placent tamen binae voces sibilantes, *populis*, *stratis*, et Ariminenses unus erant populus. Lege igitur:

Rupta quies populo.

Statius Theb. ii, 125.

Illi rupta quies: *attollit membra toroque*
Erigitur.

Silius iii, 1.

Postquam rupta *quies* Tyriis.

240. *Diripiunt sacris.] Deripiunt* multi Codd. recte. Juventus nomen collectivum. Probat ipse Auctor addens,

nuda jam crate fluentes
Invadunt clypeos.

Deripiunt et *invadunt. Quos pax longa dabat* Langerm. Cod. quod non displicebat Burmanno ut constructio sit, *Invadunt clypeos, quos pax longa dabat fluentes nuda crate.* Vulgata non sollicitanda, nam *arma suspensa penatibus, quae pax longa dabat* sunt, *quae longa pace, tamquam jam non amplius usuri,* olim *suspenderant et penatibus sacraverant.* Pax pro *hominibus in pace viventibus,* Abstractum, ut ajunt, pro concreto. Tibull. *Lib.* 1. *Eleg.* xi. *v.* 45.

Interea Pax *arva colat.* Pax *candida primum*
Duxit aratores sub juga curva boves.
Pax *aluit vites et succos condidit uvae,*
Funderet ut nato testa paterna merum. Jev.

242. — *Curvataque cuspide pila,]* Cuspis quidem pili curvari potest; pila ipsa non ideo *cuspide curvari* dicentur. Reponendum:

Invadunt clypeos, truncataque *cuspide pila.*

Virgil. Aen. xi, 9.

Aptat rorantes sanguine cristas
Telaque trunca *viri.*

Ovid. Metam. ii, 199.

Vulnera curvata meditantem cuspide vidit.

Statius x, 337.

E

Et scabros nigrae morsu rubiginis enses.
Ut notae fulsere aquilae, Romanaque signa,
Et celsus medio conspectus in agmine Caesar,
Diriguere metu, gelidos pavor alligat artus,
Et tacito mutos volvunt sub pectore questus.
O male vicinis haec moenia condita Gallis!
O tristi damnata loco! pax alta per omnes,
Et tranquilla quies populos: nos praeda furentum,
Primaque castra sumus. melius, Fortuna, dedisses
Orbe sub Eoo sedem, gelidaque sub Arcto,

246. gelid*us* c. *occupat* art. b. c. d. 247. *in* pect. b. c. d. 249. damp*n*ata, ut fere semper, b. c. *missa* per, supra *missa* man. sec. *alta* duobus punctis inclusum scripsit in c. 251. dediss*et*, man. sec. *t* in *s* correxit. b.

Nunc tibi crudus honor, trunca arma, *cruorque virorum.*

Justin. VI, 8. *Nam sicuti telo, si primam aciem* praefregeris, *reliquo ferro vim nocendi sustuleris.*

246 — *Gelidos pavor alligat artus,]* Multi Codices, *Gelidus*, cum Romana: alii, sed pauciores *Occupat artus.* Ut Virgilius VII, 446. *At juveni oranti subitus tremor* occupat artus. Sed Noster multo libentius Patruum imitatur, quam Maronem. Oedip. 181. — *piger ignavos*
Alligat artus languor.

Herc, Fur. 1079.
Sopor indomitos alliget artus.

247. *Et tacito mutos volvunt sub pectore questus.]* Cave ne pro *mutos*, *moestos* quod saepe dicitur substituas, offensus propinqua duorum epithetorum significatione. Seneca patruus, Herc. Fur. 301.

— *tibi* MUTA *fide*
Longas Eleusin TACITA *jactabit faces.*

et 536.

Et MUTIS TACITUM *litoribus mare.*

251. — *Melius, Fortuna, dedisses Orbe sub Eoo sedem.]* Ferri potest FORTUNA, nam et haec sedes distribuit: Virgil. Aen. VIII, 333.

Me pulsum patria pelagique extrema sequentem
Fortuna *omnipotens et ineluctabile fatum*
His posuere locis.

Verum hoc interest, quod hic de unius exulis Evandri fortuna agitur, apud Nostrum de urbis et *moeniorum* situ ac loci natura. Sed si hac oratione *Fortuna* compellatur, qui factum est, ut quinto abhinc versu, iterum de eadem et tamquam absente querantur? *Quoties Romam Fortuna lacessit, Hac iter est bel-*

Errantesque domos, Latii quam claustra tueri.
Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem
Vidimus, et Martem Libyes, cursumque furoris
Teutonici. quoties Romam fortuna lacessit,
Hac iter est bellis. gemitu sic quisque latenti,
Non ausus timuisse palam: vox nulla dolori
Credita: sed quantum, volucres cum bruma coercet,
Rura silent, mediusque jacet sine murmure pontus,

253. La*c*ii, ita semper in b. 254. *fu*rentem b. c. d. 255. lib*i*es, ut semper b. c. d. 256. quoc*ie*ns, ita semper b. c. d. 260. *t*acet b.

lis: hoc certe ferri non potest. Quare Codicis Regii prioris lectionem amplectimur, quam vel sine ejus auctoritate veram et certam praestare possis.

— melius, NATURA, dedisses.

Natura et *Fortuna* non raro a librariis permutantur. Queruntur ergo de *Natura*, contra ac illi infra IX, 855.

— nil Africa de te,
Nil de te, Natura, queror.

Ceterum in his quae sequuntur,

Orbe sub Eoo sedem gelidaque sub Arcto,
Errantesque domos.

Reponendum est, *gelida*VE, *Errantes*VE, non enim in omnibus illis *simul;* sed in una aliqua ex illis sedibus constitui possent.

254. — *Cimbrumque ruentem Vidimus, et Martem Libyes,]* Veterrimi plurimique codices cum editione Veneta, FURENTEM. Negligenter; cum versu proximo videre esset, *cursumque* FURORIS. Ceterum cum *ruentem* Cimbrum, *furorem* Teutonicum asperis et atrocibus verbis, cur sodes in medio ardore tam humane honesteque *Martem* Libyes appellat? Vix dubito quin sic dederit Lucanus,

Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem
Vidimus, et RABIEM *Libyes, cursumque furoris*
Teutonici.

Vides nunc sententiam similem sui rectoque talo incedere, *motus, ruinam, rabiem, furorem,* quae in medio alioqui conatu deficit et praecumbit. Florus II, 18. [§. 15.] *In ultimam* rabiem furoremque *conversi.* Et 19. *Quasi per* rabiem et furorem et nefas *semet ipse laceravit.* Aeneid. VIII, 327.

Et belli rabies *et amor successit habendi.*

Rabies Libyae ut II, 535.

GALLICA per gelidas RABIES effunditur Alpes.

260. *Mediusque jacet]* *tacet* multi Codd. quod exemplis confirmat OUDENDORPIUS, sed tamen hic *jacet* praefert, *quia* SILENTIUM *satis indicat Poeta per τὰ* SINE MURMURE, *et* QUIETEM *notat per verbum* JACET, *et praeterea quia hoc verbum* LUCANUS *amare videtur.* Summo cum judicio haec Vir Doctissimus! Ast

aliud hic me male habet, quod dissimulare non possum. Cur, quaeso, dicit MEDIUM *pontum jacere sine murmure?* quomodo murmur medii maris ab hominibus terram incolentibus audiri possit! Quid multis te moror, Lector? legendum est,

> MOESTUS*que jacet sine murmure pontus,*

loquitur Auctor de BRUMA, quae gelu constringit mare, quod tum INERS et MOESTUM *jacet sine* FLUCTU et MURMURE. Sponsorem hujus veritatis habeo LUCANUM *Lib.* v. *vs.* 436.

> *Sic stat* INERS *Scythicas adstringens Bosporus undas,*
> *Quum, glacie retinente, fretum non impulit Hister,*
> *Immensumque gelu tegitur mare; comprimit unda*
> *Deprendit quascumque rates, nec pervia velis*
> *Aequora frangit eques, fluctuque latente sonantem*
> *Orbita migrantis scindit Maeotida Bessi.*
> *Saeva quies pelagi,* MOESTOQUE *ignava* PROFUNDO
> *Stagna* JACENTIS *aquae, veluti deserta* REGENTE
> *Aequora natura cessant.*

Adscripsi totum locum, quia haec pulchre illustrat et emendationem nostram confirmat. Miror Cl. OUDENDORPIUM hoc non vidisse, siquidem eundem hunc locum citat. *Aequora deserta* NATURA REGENTE vere et ex tripode conjectavit sagacissimus BENTLEJUS.

Digrediamur paululum, dum vacat, et laboranti RUTILIO opem feramus *Lib.* 1. *Itin. v.* 55.

> *Nam solis radiis aequalia munera tendis,*
> *Qua circumfusus fluctuat Oceanus.*

BARTHIUS *Lib.* XXII. *Advers. Cap.* 17. et *Lib.* XXXI. *Cap.* 8. *moenia* vel *munia* legebat. GRAEVIUS volebat *munera fundis*, ut *munera sua* tam late *funderet*, quam radii solis illustrent orbem. BURMANNUS recte ait, *munera tendere* ne latinum quidem esse, et tandem proposita conjectura sua,

> *Nam solis radios aequali munere pensas,*

dubitare se ait de sanitate loci. Experiamur et nos, si quid conjectando valeamus. Quid? si hoc modo legamus:

> *Nam solis radiis aequalia* LUMINA FUNDIS,
> *Qua circumfusus fluctuat Oceanus.*

Aurea Roma *aequalem* SOLI per totum terrarum orbem, qua eum ambit Oceanus, *splendorem fundit.* DEA enim hic et *totius mundi domina* depingitur Roma, cui ipsi Dii famulantur. Sol enim illustrando orbi Romano factus dicitur a poeta,

> *Volvitur ipse tibi, qui* CONSPICIT *omnia, Phoebus,*
> *Eque tuis ortos in tua condit equos.*

conspicit hic lego pro vulgato *continet*, in qua voce explicanda frustra sudarunt Doctissimi Interpretes: nisi forte (valde enim dubito) legendum sit *contuet*, ut *contueo* et *contueor* olim in usu fuerit, quemadmodum *contemplo* et *contemplor*. *Vid.* NON. MARCELL. *Cap.* VII. §. 11. et GELL. *Lib.* XVIII. *Noct. Att. Cap.* 12. Imitatus enim est Homerum,

> Ἠέλιός θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις.

OVID. *Lib.* 1. *Fast. v.* 85.

> *Jupiter arce sua totum cum spectat in orbem,*
> *Nil nisi Romanum, quod* TUEATUR, *habet;*

Tanta quies. Noctis gelidas lux solverat umbras:
Ecce faces belli, dubiaeque in proelia menti

262. dubieq*ue* man. al. *ue* scripsit, sub quo membr. erasa est. d.

universus enim terrarum orbis erat sub imperio Romae. Hinc CYBELES instar *turrita corona* ornatur a LUCANO *h. l. v.* 188. et a Caesare invocatur

SUMMIQUE O NUMINIS INSTAR
Roma fave coeptis!

et inde quoque RUTILIUS *v.* 47. eam vocat *Reginam* SUI MUNDI quem devicerat,

Exaudi, REGINA TUI *pulcherrima* MUNDI,
Inter sidereos Roma recepta polos;

fundere vero *lumina* sive *splendorem* frequens poetis. VIRGIL. *Lib.* II. *Aen. v.* 683.

Ecce levis summo de vertice visus Iuli
FUNDERE LUMEN *apex.*

VALER. FLACC. *Lib.* I. *v.* 572. de stella in fronte CASTORIS,

LUMENQUE *innoxia* FUDIT
Purpureum;

judicent Eruditi. JEV.

261. *Tanta quies. Noctis gelidas lux solverat umbras:]* Multa hic arguenda veniunt, nam turbas hic concitat illud NOCTIS, quippe ambiguo peccat oratio; sic enim promptum est distinguere, *Tanta quies noctis. Gelidas* etc. Non hoc in se admisisset Lucanus: neque enim olim ut nunc punctis et virgulis commata et cola discernebant: saltem, quod facillimum erat, sic verba collocasset:

Tanta quies. Gelidas noctis lux solverat umbras.

Bersmanni codex, Tanta quies *populis.* Sed sic a poeta datum:

Tanta quies. NONDUM *gelidas lux solverat umbras;*
Ecce faces bello.

Quod ex historia verum, nam πρὸ ἡμέρας Ariminum cepit, et statim luce orta hoc gestum est. Vide ut decenter et apte inferatur *Ecce* in re scilicet subita et inopinata. Virgil. XII, 650.

VIX *ea fatus erat, medios volat* ECCE *per hostes*
Vectus equo spumante Sages.

Sublato autem illo *Noctis* integra manet eademque sententia; ut II, 326.

Interea Phoebo gelidas pellente tenebras
Pulsatae sonuere fores.

Statius Theb. X, 385. ex hoc ipso loco:

NECDUM *totas* LUX SOLVERAT *umbras,*
Nescio quid visu dubium.

Valerius Flaccus V, 607.

Prius humentem LUX SOLVERAT UMBRAM.

Facilis autem erat lapsus *Nodu, Noctis.*

262. *Ecce faces belli,]* Dissentiant licet libri omnes, reponendum censeo, *Ecce faces* BELLO: quippe haec est verborum series, *Ecce fata addunt faces bello et stimulos menti.* Faces *addere, adjicere, admovere*, trita et tralatitia sunt. Tacit. Hist. I, 24. *Flagrantibus jam militum animis velut* faces addiderat.

Urgentes addunt stimulos, cunctasque pudoris
Rumpunt fata moras: justos Fortuna laborat
Esse ducis motus, et causas invenit armis.
Expulit ancipiti discordes urbe Tribunos
Victo jure minax jactatis curia Gracchis.

267. supra jactatis *vel expulsis* scriptum est. b.

263. — *Dubiaeque in proelia menti Urgentes addunt stimulos,]* Satis quidem commode *Urgentes:* melius tamen URENTES addunt stimulos: praesertim cum antea dixerat *faces.* Silius XVI, 512.

Unus erat super, et metae propioribus aegros
Urebat *finis* stimulis.

265. — *Justos Fortuna laborat Esse ducis motus, et causas invenit armis.]* *Motus ducis* ut supra, 184.

Surgentes animo motus, *bellumque futurum;*

et duodecimo abhinc versu,

Nos primi Senonum motus — *Vidimus.*

Sed vide an Lucano hoc conveniat, perpetuo Caesaris insectatori, ut fateatur id Fortunam laborare, *justos motus*, justam esse causam, justum piumque bellum suscipi. Quid quod ea ipsa qua defenditur causa, jure displiceat *motus;* quia toties inculcatur, praesertim cum tertio mox versu sequatur,

Hos jam mota Ducis *vicinaque signa petentes.*

enimvero non nimis belle, duorum versuum intervallo repetuntur ista *Ducis motus* et *mota Ducis.* In tanta horum librariorum ignavia licetne veniam sperare, si sic mutaverimus?

— justos Fortuna laborat
Esse duci QUESTUS, et causas invenit armis;

jure nempe vel Lucano confitente *questurus erat* Caesar, tribunos suarum partium e senatu pulsos et civitate exactos. Caesar infra 318.

Quid jam rura querar *totum suppressa per orbem.*

et II, 44.

Effundunt justas *in numina saeva* querelas.

Silius XVI, 408.

Atlanti senio invalidi, sed justa querentis.

Quanto autem minus est justos esse *questus* quam *motus?* Illud concedat vel Pompejanus quivis, hoc nemo eorum partium, minime omnium Noster. Silius ex hoc loco XV, 640.

— *Fortuna laborat*
Adversis documenta dare.

Et hinc vide, ut Fortuna fere consequatur, quicquid laboret: et causas sane armis Caesarianis invenit, an igitur et *justos motus?* Renuet, opinor, negabitque Lucanus. Causas invenit armis, ut Cicero Philipp. II, 22. *Tu M. Antoni, princeps C. Caesari, omnia perturbare cupienti,* CAUSAM *belli contra patriam inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat, quam* CAUSAM *dementissimi sui concilii et facti afferebat, nisi quod intercessio neglecta, jus tribunicium sublatum, circumscriptus a Senatu esset Antonius?*

267. — *Jactatis curia Gracchis]*

Hos jam mota ducis, vicinaque signa petentes
Audax venali comitatur Curio lingua:
Vox quondam populi, libertatemque tueri
Ausus, et armatos plebi miscere potentes.
Utque ducem varias volventem pectore curas
Conspexit: Dum voce tuae potuere juvari
Caesar, ait, partes, quamvis nolente Senatu,

268. *fata* ducis c.

Peiraredus *Mactati*, quia Tib. et Cajus Gracchi olim trucidati sunt: contra acutissimus Frid. Gronovius Observ. IV, 5. magno studio defendit *Jactatis;* quia Gracchi *in Tiberim tracti sunt.* At quod ostendendum erat, quis sodes usquam sic locutus est, *Jactatus in Tiberim?* Mihi quidem viri egregii frustra ac velut in somniis videntur laborare. Non enim ipsos illos Gracchos Noster intelligit, sed vivos, qui tum plebem agitabant, illorum similes, factiosos Tribunos: sic *Catones*, *Nerones*, *Catilinae*, vocitati sunt, qui eos aemulabantur. *Jactatos* ergo hic accipe, ut passim, conviciis minisque jactatos, laceratos, exagitatos.

271. — *Et armatos plebi miscere potentes.]* Curio, inquit, cum Tribunus plebis esset, *vox populi* erat, recte: quia is magistratus populi erat. Sed et *libertatem tueri ausus est;* populi nempe contra Senatus tyrannidem. Quid vero illud quod sequitur, *armatos potentes plebi miscere?* Laudat in his versibus sine dubio Curionem: an igitur hoc laudis est, armatum Senatum plebi collidere? Neque vero optimates *plebi miscentur,* nisi cum aut humiles et demissi sunt, aut laeti ac festi: Claudianus Nupt. Honor. 198.

Laxet terribiles majestas regia fastus,
Et sociam plebem *non indignata* potestas,
Confundat turbae proceres.

Quorsum igitur ARMATOS *potentes?* Armati certe non miscentur plebi, nisi in mutua caede. Sed ecce, ut opinor, veram Auctoris manum,

Ausus, *et* ATRATOS *plebi miscere potentes.*

Notum est, Tribunos plebis Senatori alicui praepotenti ac praegravi quotannis fere diem dicere ad populum, et in capitis discrimen trahere. Quod ubi factum est, ille reus continuo vestem mutare, pro candida, sordidatus atratusque prodire, plebi se miscere, circumire tribus, orare ac prensare singulos ut suffragiis isti suis opitularentur. Fortis vero et intrepidi Tribuni erat, sic diem potentibus dicere, quare recte habet AUSUS. Suetonius Nerone 47. *Varia agitavit*, *Parthosne an Galbam supplex peteret*, *an* ATRATUS *in publicam prodiret, proque rostris quanta maxima posset miseratione veniam praeteritorum precaretur.* Tacitus Ann. II, 29. *Libo interim veste mutata*, *circumire domos.* Livius II, 54. *Hoc anno rei ad populum Furius et Manlius circumeunt sorditati*, *non* PLEBEM *magis*, *quam juniores Patrum.* Sed obvia sunt loca, quae accumulare cujusvis est.

Traximus imperium, tunc cum mihi Rostra tenere
Jus erat, et dubios in te transferre Quirites.
Sed postquam leges bello siluere coactae,
Pellimur e patriis laribus, patimurque volentes
Exilium; tua nos faciat victoria cives.
Dum trepidant nullo firmatae robore partes,

michi
275. cum rost. *michi* man. sec. sub quo memb. eras. c. 277. *At* postq. b. d. sic et c; sed in margine *Sed* puncto notatum legitur. 279. faciet b. c. d.

278. *Patimurque volentes]* Quid hoc monstri! pelluntur tribuni e patria per vim odio et invidia optimatium et *volentes* exsulare se dicunt. Haec ἀσύστατα. Legendum conjicio;

Pellimur e patriis laribus, patimurque PUDENDUM
Exsilium,

turpe exsilium. SACROSANCTI enim tribuni: quare turpiter in exsilium mittuntur. Scholiastes *volentes* inepte defendit, dicens, *ne viderentur ad Caesarem* NECESSITATE, *non* FAVORE, *venisse.* Ridicule profecto! cur enim a victore Caesare in patriam restitui petunt, si *volentes* exsulant? Caesar intercessione tribunorum absens dignitatem suam tuebatur, quin et *Pompejo iratus et nobilibus in citeriorem Galliam transiit*, BELLO VINDICATURUS, *si quid de Tribunis, pro se intercedentibus, gravius a Senatu constitutum esset*, teste SUETON. *in Caes. Cap.* XXIX et XXX. Audiamus orationem Curionis,

dum voce tuae potuere juvari,
Caesar, ait, partes, quamvis nolente Senatu,
Traximus imperium etc.

Mentiri coram Caesare ausum fuisse Curionem, veri simile mihi non videtur. Sciebat Caesar eos sibi favere, ut nullo colore opus esset. Sed argutari diutius in hac re non libet. JEV.

279. — *Tua nos faciat victoria cives.]* Quanto aptius est quod libri fere omnes cum Romana et Veneta exhibent, FACIET? Illud timide optat victoriam; hoc promittit et spondet, ut jam nunc certam et facilem.

280. *Dum trepidant nullo firmatae robore partes,]* Paulo ante *partes* Caesaris habuimus, v. 274.

— *Dum voce* tuae *potuere juvari,*
Caesar, *ait*, partes.

Quaenam ergo sunt haec? non enim narrat. At satis constare dices, quia *nullo robore firmatae.* Non tali ope indiget Lucanus; scripsit enim,

Dum trepidant nullo FIRMATI *robore* PATRES.

Senatus quippe solus Caesari hostis: ille tum trepidabat, et paulo post cum duce suo et Consulibus urbem deseruit. Sic mox 365.

Degenerem patiere togam, regnumque Senatus.

Tolle moras: semper nocuit differre paratis.
Par labor atque metus pretio majore petuntur.

282. *Par labor atque metus pretio majore petuntur.]* Minime obscurus aut difficilis est Noster; nisi ubi Librarii caliginem offuderunt, ut in his verbis: quid obsecro est, *labor et metus petuntur?* Esto, ut *labor* honeste peti possit: at *metus* qua dulcedine quempiam sic allicit, ut petatur? Sensit vitium qui TENENTUR substituebat, infeliciter: restituo sententiam, auctoris elegantia dignam,

Par labor atque metus pretio majore MEREBUNT.

At nimis, inquies, a literis aberrat: haud ita longe, si apicibus solitis compendio scribas: hae solae enim literae restabunt in linea, *Petunt, Mebunt.* BENTL.

Locus intricatus. Interpretes omnes explicationi Scholiastae acquiescere videntur, quem si audiamus legendum utique fuerit:

Par labor atque metus pretio HIC *majore petuntur.*

HIC id est in hoc bello. *In hoc bello*, inquit, *tantus impendendus est labor et metus, quantus in bellis Gallorum, sed post victoriam plus consequeris: ibi enim Gallias subegisti, hic tibi serviet Roma et totus orbis, quia orbis illius est*, QUI SUBEGERIT. Ita enim legendum pro *quae subigitur.* Dissimulare tamen nolim, hanc Scholiastae explicationem mihi neutiquam probari, quippe ita poeta ineptus esset, turpique non tantum ταυτολογίᾳ laboraret, sed sibi ipsi aperte contradiceret. GEMINIS LUSTRIS *opus fuit Caesari ad debellandas Gallias*, ait *verbis Curionis* Auctor, et hic PAUCA PRAELIA *facili successu* requirit *ad devincendum* ORBEM Qua fronte, quaeso, jam dicat *parem laborem utriusque belli* esse? et quis umquam audivit, *metum impendi in bello?* praeterea de bellis Gallicis sermo ante non fuit, et exemplo Gallici belli ad firmandam hanc suam sententiam (quae utique hoc versu latere debet) utitur. Haec, puto, caussa fuit, cur GUJETO versus hic nothus visus fuerit. Videamus igitur et nos, an his tenebris lucem aliquam foenerari possimus. Adeste critices studiosi! stoicus poeta sententias vibrat acutas, adeoque paradoxas, et praeter vulgi opinionem veras. Legendum suspicor:

PAR LABOR ATQUE METUS: PRETIO HOC MAJORA PETUNTUR,

hoc sensu. *Aude tantum vincere: non est quod timeas, Caesar.* PAR LABOR ATQUE METUS! sive, *idem labor est superare et metuere pericula. Hoc pretio, audacia* scilicet, MAJORA id est *non privata petuntur. Forti audacia imperium orbis petitur.* Videas jam sequentia optime cohaerere,

Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum! facili HIC *si proelia pauca*
Gesseris eventu, TIBI *Roma subegerit orbem.*

Si HIC, inquit IN ITALIA *pauca proelia felicia feceris, brevi spatio totius terrarum orbis imperium comparaveris.* Quare particulam HIC suo loco restitutam volui. *Periculum* et *metus periculi* idem est; eodemque labore PERICULUM *ipsum* superaverit vir fortis atque *vanum* METUM. *Labor* pro *periculo.* TIBULL. *Lib.* 1. *Eleg.* 1. *v.* 45.

Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum. facili si proelia pauca
Gesseris eventu, tibi Roma subegerit orbem.
Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi
Excipit, aut sacras poscunt Capitolia laurus:
Livor edax tibi cuncta negat: gentesque subactas

286. *Nam* neque b. 287. lauros b. c. sed m. s. *o* in b.

Quem LABOR *assiduus vicino terreat hoste,*
Martia cui somnos classica pulsa fugent,

et *Valer. Flacc. Lib.* VI, *v.* 24.

Non illos ideo tanti venisse LABORES
Per maris,

id est *per pericula tam saevi maris.* PRETIO HOC nempe *forti audacia* MAJORA id est NON PRIVATA, sive *imperium Romae facile petas!* Huc enim spectant ea, quae dixit,

Tua nos faciat victoria cives!
Dum trepidant nullo firmatae robore PARTES,
Tolle moras. SEMPER NOCUIT DIFFERRE PARATIS.

Sic MAJORA *audere. Infra v.* 467.

TERROR, *ut immensae collecto robore vires*
AUDENDI MAJORA *fidem fecere, per omnem*
Spargitur Italiam,

ubi optime *terror* pro vulgato *Caesar* restituit BENTLEJUS. NON PRIVATA pro *summo imperio* sive *tyrannide* dixit *Lib.* II. *v.* 564.

NON PRIVATA *cupit, Romana quisquis in urbe*
Pompejum transire parat.

Judicent, quibus in comitiis criticis jus suffragia ferendi! JEV.

287. *Aut sacras poscunt Capitolia laurus] ut poscant* id est *licet Capitolinus Jupiter flagitet*, reponi volebat OUDENDORPIUS. BURMANNUS vero *noscunt* praeferre videtur. Ego vero, utut divinus non sim, conjicio his verbis ab auctore OVATIONEM, quam MEDIUM HONOREM vocat LIVIUS *Lib.* XXXIX. *Cap.* 29. designari, quod vel hinc patet quod statim subjungat:

Livor edax tibi CUNCTA *negat,*

id est non solum TRIUMPHUM, sed et OVATIONEM et omnia. Quare si de *ovationis* RITU plura nobis cognita essent, facilius verum videre et mentem Poetae assequi liceret. Nunc conjecturis verum quaerere debemus. *Myrtea corona* ornati erant imperatores, si OVANTES urbem intrarent. PLINIUS *H. N. Lib.* XV. *Cap.* 22. *Bellicis quoque rebus se myrtus inseruit, triumphansque de Sabinis Postumius Tubertus in consulatu (qui primus omnium ovans ingressus urbem est, quoniam rem leviter sine cruore gesserat) myrto* VENERIS VICTRICIS *coronatus incessit, optabilemque etiam (eam) arborem hostibus* (forte *Ducibus) fecit. Vid.* PANVINIUM, BULENGERUM et *alios Antiquitatum Scriptores.* Quandoque tamen et OLEA coronati fuerunt, teste eodem PLINIO *Lib.* XV. *Cap.* 4. *Oleae honorem Romana majestas magnum praebuit, turmas Equitum Idibus Juliis ex ea co-*

ronandas; item minoribus triumphis OVANTES; qui forte an *infimus honor* apud Romanos fuerit. *Summus honor* erat TRIUMPHUS, cum victis et imperio Romano subjectis hostibus lauro coronati CURRU urbem veherentur. *Medius honor* OVATIO, cum victis proelio quidem hostibus sed non plane debellatis, vel de ignobili hoste reportata victoria, myrto coronati *ovantes* urbem intrarent, sive EQUO sive PEDIBUS, nam de eo disputatum inter veteres refert GELLIUS *Lib.* v, *Noct. Att. Cap.* VI. *Infimus honor* CORONA OLEAGINA, cum sine sanguine hostibus in deditionem acceptis vel pace parta, OLEA coronati PEDIBUS urbem intrarent, quae cum OVATIONIS quaedam species esset *(ovationem* et *oleam* enim MINORES TRIUMPHOS vocare videtur Plinius l. c.) dubito, an inde veterum illa disputatio, Gellio memorata, originem suam non acceperit. Caeterum si PLUTARCHI sententia vera sit, OVATIONEM *ab* OVE *dictam et imperatores* OVANTES *in capitolio* OVEM *mactare, ut triumphantes* TAURUM, *atque ita vota solvere solitos fuisse;* tum vero admodum simile fuerit, eos similiter et *myrteam* et *oleam* in Jovis Opt. Max. gremio deposuisse, ut triumphantes *lauream:* adeoque dubitare hic liceret, an non dederit poeta

> *aut* SACRA SCANDIS *capitolia* MYRTO.

Scandere capitolia pro *triumphare* sive *majore*, sive *minore* TRIUMPHO. Sic *Lib.* IX. *v.* 600.

> *Hunc ego per Syrtes Libyaeque extrema triumphum*
> *Ducere maluerim, quam ter* CAPITOLIA *curru*
> SCANDERE *Pompeji;*

sacra vero *myrto* sc. VENERI, a qua J. Caesar genus suum ducebat. Jam *pscis* et *scnds* in MSS. obsolescentibus literis facile mutari possunt, in quibus cum *mto* esset librarius, de solo triumpho poetam agere arbitratus, notiorem vocem *lauros* supposuit, de OVATIONE et *myrtea corona* nihil cogitans. Quidquid hujus rei sit, certo constat, *Imperatores in bellum exituros, Latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto auspicia cepisse, votisque sollemniter nuncupatis ea auspicia domo secum sumsisse*, ut testatur LIVIUS *Lib.* XXII, *Cap.* I. Re igitur bene gesta, sive ipsis *triumphus* decretus sive *ovatio* concessa fuisset, ea quoque vota eosdem in capitolio sollemniter solvisse et sacra Diis fecisse omni dubio caret. Conjecturam meam super hoc loco proposuisse contentus, lectori aequo judicium permitto. [Hic forte non defuerint, qui temere a me haec mutari clament, atque conjecturae nostrae obstare crepent verba SUETONII *in Domitian. Cap.* VI. *De Cattis Dacisque post varia proelia duplicem triumphum egit. De Sarmatis* LAUREAM MODO CAPITOLINO JOVI RETULIT. Haec SUETONII verba eodem fere ordine compilavit EUTROPIUS *Lib.* VII. *Cap.* 23. Quibus ex locis constare posse contendant, locum hunc Lucani non de *triumpho* vel *ovatione* capiendum, sed de *imaginario* JURE LAUREAE, *Jovi* scilicet *Capitolino referendae*, quem honorem triumpho minorem statuit CASAUBONUS ad d. l. *Vid. ibid.* et TORRENT. et LIPSIUM. Imperatores enim victores, si vel res gestae triumpho minores essent, vel si propter modestiam triumphare nollent, *lauream Capitolino Jovi solam referre solitos fuisse* putant. Sed haec nihil contra nostram sententiam. Nam licet poeta nobis dedisset, ut vulgata se habet, vel ex nostra emendatione:

> *aut* SACRA SCANDIS *capitolia* MYRTO:

Vix impune feres: socerum depellere regno
Decretum est genero. partiri non potes orbem:
Solus habere potes. Sic postquam fatus, et ipsi
In bellum prono tantum tamen addidit irae,

290. Decr. gen. est. b. 292. bello d.

evicerim facile, de ovatione haec intelligenda esse, siquidem ex testimonio PLINII *Lib* XV, *Cap.* 29. nobis liquido constat, OVANTES *quandoque laurea cinctos fuisse*, *non minus quam myrto vel olea.* Praeterea errare videntur ad illum Suetonii locum Viri Docti, laureas quibus literas victoriae nuntias, fasces imperatorum et militum pila ornare soliti erant, cum laurea Capitolino Jovi referenda confundentes. Sed plura de hac re ad ipsum Lucanum; vel peculiari dissertatione haec materia, Deo volente, a me excutietur. *Ex Addend.]* JEV.

291. — *Sic postquam fatus, et ipsi In bellum prono]* Redit iterum illud PRONUS versu abhinc tertio, *Pronusque* repagula laxet, repone igitur,

In bellum PROMTO.

Saepe in hoc vocabulo peccarunt Librarii: quod suis locis ostendemus. Aliquando tamen rectum tenuerunt omnes, ut de ipso Caesare VII, 245.

Illa quoque in ferrum rabies promtissima.

et V, 320.

— Promtumque *ad vulnera pectus.*

Iterum: — *Tantum tamen addidit irae,*
Accenditque ducem, quantum] Contemplare paulisper seriem vocabulorum: *Tantum addidit irae etiam illi*, duci scilicet, *in bellum promto, Accenditque ducem.* Quisnam obsecro, hic *dux* est alter ab *illo? Iram Caesari addidit*, et *accendit ducem.* Aufer hoc tam puerile: sic enim ab auctore profectum credo:

— *sic fatus, et illi*
In bellum PROMTO TANTAM *tamen addidit irae*
Accenditque FACEM, *quantum clamore juvatur*
Eleus sonipes.

Ubi ordo est, *Tantam adjicit accenditque irae facem et illi* (per se) *in bellum promto.* Prima loci labes eis debetur, qui TANTUM reposuerunt, ideo quia sequebatur *Quantum:* hoc semel admisso, pronum erat in reliquis peccare, sed fefellit eos sua regula: quippe recte dicitur, *Tantam facem*, quantum juvatur. Noster supra 260.

Tanta *quies*, quantum *rura silent.*

Virgil. Aen. VI, 578.

— *tum Tartarus ipse*
Bis patet in praeceps tantum, *tenditque sub umbras*,
Quantus *ad aetherium coeli* suspectus *Olympum.*
BENTL.

BENTLEJUM optime correxisse crediderim *tantam facem irae* pro *ducem*, adeoque nihil in hoc loco jam morari lectorem posse videatur. Verum aliud me sollicitum habet quod non licet dissimulare. Nam quid illud *immineat foribus* hic sibi velit nullo modo expiscari licet. *Carceres* in certamine Olympico FORIBUS simul et REPAGULIS clausos fuis-

se, nullibi legisse memini. Nonne satis fuerit repagulum objectum fuisse, ne equi carceribus ante signum datum erumpere possent? quare illud *foribus* merito suspectum. Hinc suspicor auctorem nobis dedisse,

> *Quamvis jam carcere* CLAUSUS
> *Immineat* CURSU, *pronusque repagula laxet.*

Cursu pro *Cursui*. *Equus* CLAUSUS *carcere* id est *stans in carceribus* eleganter dicitur, *imminere cursui* id est *cursum tentare*. Pari modo OVIDIUS dixit *Lib*. I. *Met*. *v*. 146.

> IMMINET EXITIO *vir conjugis, illa mariti;*

id est vir uxorem, uxor virum de medio tollere tentat. LUCAN. *Lib*. VIII. *v*. 285.

> *Namque memor generis Carthaginis impia proles*
> IMMINET *Hesperiae;*

id est *minatur Hesperiae*, *Italiam devorare et in potestatem suam redigere cupit*. Et *Lib*. IX. *v*. 441.

> *Nam litoreis populator arenis*
> *Imminet*,

id est, *praedas tentat et quaerit in litore*. *Cursum minari* dixit STATIUS *Lib*. I. *Silv*. I. *v*. 47. Judicent eruditi!

Juvat subinde emendare VALERIUM FLACCUM *Lib*. I. *v*. 617.

> *Vasto pariter ruit igneus aether*
> *Cum tonitru, piceoque premit nox omnia coelo.*

NOX sive *tempestas premit omnia* adeoque et *coelum*. Quare legendum PICEO NIMBO. Sic *Lib*. II. *v*. 115. idem poeta ait,

> *Cum Dea se* PICEO *per sudum turbida* NIMBO
> *Praecipitat.*

STATIUS *Lib*. I. *Theb*. 97.

> *Sensit adesse dies:* PICEO *nox obvia* NIMBO
> *Lucentes turbavit equos.*

idem mendum eidem VALERIO insidet *Lib*. II. *v*. 517.

> *Qualis ubi a gelidi Boreas convallibus Hebri*
> *Tollitur, et volucres Rhipaea per ardua nubes*
> *Praecipitat*, PICEO *necdum* TEGIT *omnia* NIMBO;

vulgo *tenet omnia coelo*. Describit ibi initium tempestatis, cum nubes condensari incipiunt, et omne coelum nondum atrum vel nubibus obductum est. *Haemi* pro *Hebri* an non praestaret dubitat Cel. BURMANNUS. Sed vulgata sana: Hebrus enim Thraciae fluvius quae Boreae patria.

OVIDIUS jam remedium poscit, interpolatoris inepti sordes aspernatus jam diu, quippe quae cultissimam poesin maculant, in *Libro de Remed. Am*. *v*. 25.

> *Nam poteras uti nudis ad bella sagittis,*
> *Sed tua letifero sanguine tela carent.*

Spurium certe distichon et a mala manu; nam quaeso quid huc faciunt illae *sagittae nudae*, quibus ad nescio quae bella uteretur Cupido? et quam inepte subjicitur, *sanguine letifero ejus tela carere?* In malam rem igitur abeat hic inepti versificatoris pullus, siquidem eo ejecto sensus melius cohaeret:

> *Et puer es, nec te quidquam nisi ludere oportet:*
> *Lude; decent annos mollia regna tuos.*
> *Vitricus et gladiis et acuta dimicet hasta,*
> *Et victor multa caede cruentet humum.*
> *Tu cole maternas, tuto quibus utimur, artes,*
> *Et quarum vitio nulla fit orba parens.*

MOLLIA REGNA *decent annos pue-*

Accenditque ducem, quantum clamore juvatur
Eleus sonipes, quamvis jam carcere clauso
Immineat foribus, pronusque repagula laxet.
Convocat armatos extemplo ad signa maniplos:
Utque satis trepidum turba coeunte tumultum
Composuit vultu, dextraque silentia jussit:
Bellorum o socii, qui mille pericula Martis
Mecum, ait, experti, decimo jam vincitis anno.

296. ext*i*mplo. c. d.

riles id est PUERI *molliter haberi et educari debent; ludere* eos decet non *pugnare.* CUPIDINEM decet *maternas artes agitare;* LUSUS, RISUS, JOCOS *celebrare.* BELLA *Marti relinquenda sunt.* JEV.

299. *Bellorum o socii, qui mille pericula Martis] Martis,* ut opinor id ipsum est quod *belli.* Hoccine ergo placet, *o socii bellorum, qui mille pericula belli mecum experti estis?* An ideo *socii bellorum,* ut intelligatur vocatos fuisse eos commilitones? Caesar enim, Suetonio [Jul. cap. 67.] teste, *non milites eos pro concione, sed blandiore vocabulo commilitones appellabat.* Atqui sub ipsa Pharsaliae pugna, cum blanditiis vel maxime opus erat, *milites* appellat, VII, 251. certe si morem compellandi milites per exempla exquirimus, supervacuum est *bellorum:* Noster II, 483.

Socii, *decurrite*, *dixit.* —

et VI, 164. *Vicimus o* socii —

Virgilius [Aen. I, 198.]

O socii, *neque enim ignari sumus* —

Sed obvia sunt loca. Memini equidem legisse, apud Livium puto, *socios bellorum,* de copiis socialibus et auxiliaribus dictum, qui tamen sensus Lucani huic loco minime convenit. Quid igitur fiet? Evicimusne, an non, sine damno sententiae facile abesse posse *bellorum?* Sensum eundem plerumque esse, si *socii* tantum vocentur? Nullos in allocutione militum intelligi *socios,* nisi militiae et periculorum? Nec adhuc tamen quod gravissimum est diximus, nempe quarto abhinc versu rediit *bellorum.* Non praestabo equidem, quod substiturus sum, revera Lucani esse: satis erit si Lucano non indignum videbitur:

Hoc ERAT, *o socii, qui mille pericula Martis*
Mecum, ait, experti, decimo jam vincitis anno?
Hoc *cruor Arctois meruit diffusus in arvis?*

Pronuntiasse dicitur Caesar, *voce acuta,* ardenti motu gestuque; neque dubites quin voci et motui verba ipsa dicentis convenirent et congruerent, inde in apologia, [pag. 546. ed. Vulc.] *Graccho impetum, Caesari calorem* praedicat Apulejus. Praeterea iratus et inflammatus hic loquitur, Lucano testante. Quid ergo aptius, quam ab interrogatione et repetitione exordiri, *Hoc erat. Hoc cruor?* Ita alii frequenter, et plerumque, ut hic, in principio orationis. Ovid. Met. XI, 694. Val. Flacc. I, 627. et VIII, 160. Seneca Troad. 738.

Hoc cruor Arctois meruit diffusus in arvis,
Vulneraque, et mortes, hyemesque sub Alpibus actae?

Caesar ipse profligatis Pharsalia hostibus, HOC *voluerunt*, *tantis rebus gestis*, *condemnatus essem*, *nisi ab exercitu auxilium petiissem*. Sed modus esto; nescio quomodo, quod initio meum esse putaveram, incipit Lucani ipsius esse.

302. *Vulneraque, et mortes, hyemesque sub Alpibus actae?]* Agnosco sane ut legitime dictum *sub Alpibus*, memor istius Horatiani, [Od. IV, 4, 17.]

Videre Rhaetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem.

Sed dubitare liceat, an bona fide Lucanum exscripserint Librarii: primo, ex historia falsum hoc est; neque enim per decem illas hiemes unquam *sub Alpibus*, hiberna horum militum erant. Sane illis tam beatis esse non licuit, ut in fertilissimis illis et amoenissimis regionibus hiemarent, tantum abest, ut hoc inopiae et tolerantiae exemplum hic fieret. Dederat Auctor, ni fallor:

Hiemes sub PELLIBUS *actae.*

Latinus Pacatus in Panegyrico Theod. *Summatim illud tuum attingam cum patre divino castrense collegium*, ACTAS SUB PELLIBUS HIEMES, *aestates inter bella sudatas*, etc. Tacitus Ann. XIV, 38. *Contractus omnis exercitus* SUB PELLIBUS, *quamvis hieme saeva adeo, ut obducta glacie nisi effossa humus tentoriis locum non praeberet.*

Claudian. 1. Stil. v. 122.

— QUOTIES SUB PELLIBUS EGIT
Edonas hiemes, et tardi flabra Bootae
Sub dio Rhipaea tulit!

Quintilianus Declam. III, pro Milite. *Nemo nostrum recusat itinerum laborem, nec injustum super arma fascem, nec aestivi solis ardorem, nec* SUB PELLIBUS ACTAM HIEMEM. Vulcatius in Avidio Cassio c. 6. *jussitque eos hiemem sub pellibus agere, nisi corrigerent suos mores.* Sed et alterum verbum hic mutandum censeo. Vulneraque et MORTES, bella sane oratio: *Hoc meruit*, o socii, diffusus cruor, et vulnera, ac mortes? Nimirum isti socii, quos nunc Arimini alloquitur, *mortui* ac caesi jam erant in Galliis. Non pluribus agam; sed postliminio educam.

Hoc cruor Arctois meruit diffusus in oris
Vulneraque, et TOTIENS *hiemes sub* PELLIBUS *actae?*

Totiens, quia decimo jam anno sub Caesare militabant. BENTL.

BENTLEIUS refingit *hiemes sub pellibus actae:* non tamen hoc adeo novum erat tempore J. Caesaris! Ast, cedo, quid illae *mortes*, quas post vulnera perpessi fuerint milites, huc faciant? Illud plane videre nequeo. Recte hoc sensit acutissimus criticus, adeoque pro *mortes* reponebat *toties.* Sed non opus: simile enim Ovidii fatum hic Lucano obtigit, qui interpolatorem ineptum nactus fuit. Cum enim mox *Poenus Alpes transscendit*, facile quivis sentiat, priores *illas Alpes* absurdas merito videri: quin et *cruor* ille *diffusus* mangonium hoc satis probat. Quare hanc impudentem aviculam e nido non suo exturbabimus. Lego optimo sensu,

Bellorum o socii, qui mille pericula Martis
Mecum, ait, experti, decimo jam VINCIMUS *anno!*

Non secus ingenti bellorum Roma tumultu
Concutitur, quam si Poenus transscenderet Alpes
Annibal. implentur valido tirone cohortes:
In classem cadit omne nemus: terraque marique

304. transscenderit d. 305. valid*ae* super *ae* scriptum legitur *vel* o. b.

Non secus ingenti bellorum Roma tumultu
Concutitur, quam si Poenus transscenderet Alpes
Hannibal.

Jam vincimus, commilitones! Romani enim non minus trepidant, quam si Hannibal esset ante portas. Jev.

305. *Implentur valido tirone cohortes.]* *valido tirone* inconcinnum. *Validae cohortes* ineptum plane. Quid multa? legendum puto,

Implentur Vacuae *tirone cohortes.*

vacuae *cohortes* id est *non plenae* implentur novis militibus. *Novus miles* est *tiro.* Sed nulla hic probatione opus.

Juvenalem nunc tentemus mendis expurgare misere corruptum *Sat.* vi. *v.* 196.

Quod enim non excitet inguen
Vox blanda et nequam! digitos habet. Ut tamen omnes
Subsidant pennae: dicas haec mollius Haemo
Quamquam et Carpophoro. Facies tua computat annos.

Non cohaerent haec sensu turbato. Et quomodo aptam explicationem recipiant haec *ut tamen omnes pennae subsidant?* de quibus, quaeso, hic *pennis* somniaverit auctor? Ridiculus vero vetus Scholiastes, qui ad illa verba *subsidant pinnae,* ait, *longa aetate. Pinnae autem metaphora, quia vetulae flaccescunt.* Sed culpa Scholiastae non fuit qui, nisi fallor, hic nobis dedit, *quia mentulae flaccescunt.* Quare vide lector, an non omnia magis quadrata currant, si legamus et distinguamus hoc modo,

Quod enim non excitet inguen
Vox blanda et nequam! digitos habet. At *tamen* omnis
Subsidat penis, *dicas haec mollius Haemo*
Quamquam et Carpophoro: facies tua computat annos.

Loquitur enim poeta de anu plusquam sexagenaria, taxatque eam ob lasciviam verborum nuptorum, quae libidinem ejus arguebant. Ait igitur poeta: Illa verborum lascivia quidem efficax est ad libidinem in viris exstimulandam, sed licet haec ad nauseam ingemines nihil proficis, nam *nervus* statim *cadit* id est *penis totus subsidit*, si vetulam et rugosam faciem aspexero. *At* pro *ut* rescripsi sensu postulante, et crebro hae particulae in MSS. permutantur. Vid. Heins. *ad* Ovid. *Epist. Heroid.* xii. *v.* 1. Sed turpiculis hisce rebus diutius immorari piget. *Vid. notas* Grangaei *ad d. l.*

Liberalem interpolatoris manum expertus dulcissimus Naso fidem hic nostram implorat, *Epist.* ii. *Heroid. v.* 126.

Jussus Caesar agi. quid? si mihi signa jacerent
Marte sub adverso, ruerentque in terga feroces
Gallorum populi? nunc, cum Fortuna secundis
Mecum rebus agat, Superique ad summa vocantes,
Tentamur. veniat longa dux pace solutus
Milite cum subito, partesque in bella togatae,
Marcellusque loquax, et nomina vana Catones.
Scilicet extremi Pompejum, emtique clientes
Continuo per tot satiabunt tempora regno?
Ille reget currus nondum patientibus annis?

311. dux long. b. c. d. 313. Caton*um* c. Caton*is* d.

Protinus illa meos auguror esse Deos;

ulcus hic latere cuivis manifestum; neque enim Ovidii aevo illas barbari seculi ineptias tersae Romanorum aures amabant. Crediderim, cum in MS. Codice hiatum offendissent in hoc versu, a librariis non suppletum, (forte hoc modo

Protinus . . . auguror esse meos.)

insulsos monachos delicias suas nobis pro verbis poetae intrusisse. Puto igitur veram auctoris manum olim fuisse,

Protinus ARDORES *auguror esse meos.*

ardor, *ignis*, *furor* poetis frequens pro *persona amata.* Firmat NASO *Lib.* II. *Am. Eleg.* XVI. *v.* 1.

At meus IGNIS *abest*, *verbo peccavimus uno*,
Quae movet ARDORES *est procul, ignis adest.*

VIRGIL. *Ecl.* X. *v.* 38.

Certe sive mihi Phyllis, *sive esset Amyntas*,
Seu quicumque FUROR,

id est *puer* vel *puella amata*, ut recte ibi *cel.* BURMANNUS. JEV.

307. — *Quid? si mihi signa jacerent]* Tolle interrogationis notam; et repone,

QUOD *si mihi signa jacerent*, etc.

Est aposiopesis irato conveniens. Subauditur autem, *impune auferrent*, aut, *caute et circumspecte egisse viderentur:* NUNC vero, dementium et furiosorum est. Porro v. 311, illud *Tentamur* eo interrogandi signo donandum est, quod priore loco abstulimus.

310. — *Superique ad summa vocantes,]* Suetonius Jul. 32. *Eamus*, inquit, *quo Deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat.*

316. *Ille reget currus nondum patientibus annis?]* Regere currus non triumphatoris est, nisi fallor, sed aurigae, expressit Auctor indignantis vehementiam,

ILLEN' *aget currus?*

Sic VIII, 810. de re eadem,

Et currus, *quos egit eques.*
BENTL.

BENTLEJUS suspectum habuit hunc locum adeoque legit, *Illen' aget currus?* quia *regere currum* magis AURIGAE quam TRIUMPHANTIS esse videtur, quod et obser-

Ille semel raptos nunquam dimittet honores?
Quid jam rura querar totum suppressa per orbem,

vaverat *Cel.* BURMANNUS, qui ideo conjiciebat legendum,

Ille ROGET *currus nondum patientibus annis?*

ut ita ad Phaetontis fabulam respexisse videatur poeta. Frustra vero Viri Doctissimi sudant in hoc loco explicando. Menda latet. Quid enim hoc fuerit, *Pompejum triumphasse* ANNIS NONDUM PATIENTIBUS? an qui debellare potuit hostes, jam per aetatem vix triumphare posse dicatur? *ἄτοπον!* Legendum forte,

Ille GERET LAURUS NON HOC *patientibus* ACTIS,

hoc sensu: *Ille triumphabit, rebus gestis triumphum non merentibus, non patientibus triumphum decerni.* De vili enim et contemto hoste, qualis fuit exul SERTORIUS, quales PIRATAE fuere, antiquitus triumphus a senatu decerni non solebat. Vid. GELL. *Lib.* V. *Cap.* VI. ACTA res bello gestas notant. Supra *v.* 121.

Tu, nova ne veteres obscurent ACTA *triumphos,*
Et victis cedat PIRATICA LAUREA *Gallis,*
Magne, times.

Invidiose enim haec a Caesare dicuntur, quippe qui dolebat, sibi de Gallis triumphum negari, idque opera Pompeji, cui de vili hoste nempe de *Sertorio* et *piratis* triumphare licuit. Et hinc ipse Pompejus *Lib.* VIII. *v.* 24. *actum sub Sylla triumphum* DAMNARE dicitur.

Nunc festinatos nimium sibi sentit honores,
ACTAQUE LAURIFERAE *damnat Syllana* JUVENTAE;

ubi *lauriferae juventae acta* triumphum in juventute actum notant, qui locus nostram firmare videtur conjecturam: *gerere* enim *lauros* triumphum designat. Consentit denique FLORUS, qui de bello SERTORIANO *Lib.* III. *Cap.* XXII. *fin.* ait, *Victores duces* EXTERNUM *id magis, quam* CIVILE *bellum videri voluerunt,* UT TRIUMPHARENT, id est *ut merito triumphum petere viderentur,* nam de ignobili hoste et in bello civili triumphus non dabatur. *Vid. ibi not.* FREINSHEM. Sequenti vero versu malim *captos* legere cum Voss. pr. et aliis. *Non enim* RAPUIT PER VIM *Pompejus, sed ponere non norat* SEMEL CAPTOS *honores.* Firmant sequentia,

Quem tamen inveniet tam longa potentia finem?
Quis scelerum modus est? ex hoc jam te, improbe, regno
Ille tuus TANDEM *doceat descendere Sylla;*

id est *tandem exemplo Syllae disce privatum agere.* Vulgo *saltem* legitur. JEV.

318. *Quid jam rura querar totum suppressa per orbem,]* Non *amplius* erat quod dicebat Clodius, sed plane idem, verum antea corrigendus locus est quam explicandus, non enim intelligo, quibus viribus artibusve RURA *supprimere* possit Pompejus. Caritas annonae tum erat, *frumenti* inopia. Hoc erat quod supprimebatur: non rura ipsa, non magis quam sol aut dies. Cicero ad Atticum V, 21. *Perfeci, ut qui* FRUMENTUM COMPRESSERANT, *magnum numerum populis pollicerentur.* Restitue igitur suam Auctori sententiam,

Quid jam FARRA *querar totum suppressa per orbem.*

Farra frumentum sunt; ea comprimebantur, abscondebantur;

Ac jussam servire famem? quis castra timenti
Nescit mista foro? gladii cum triste minantes
Judicium insolita trepidum cinxere corona,
Atque auso medias perrumpere milite leges
Pompejana reum clauserunt signa Milonem?
Nunc quoque ne lassum teneat privata senectus,

321. *Judic. u* in memb. eras. correctum legitur, supra scripto *vel in* m. sec. c. 322. *auso*, m. al. *o* in memb. eras. d. perrump. super *per* m. s. *vel ir* scripsit in b.

jussis et corruptis ad id mercatoribus, ut annonam accenderent. *Farra* etiam in RURA transierunt, apud Horatium, Carm. IV, 5, 18. ubi vide si vacat, quae adnotavimus.

319. *Ac jussam servire famem?]* Miror equidem tam conspicuum mendum tam diu fallere ac latere potuisse, *de servitute* famis nihil unquam audivisse memini; de saevitia multum et saepe. Repone,

Ac jussam SAEVIRE *famem.*

Jussum, astutia scilicet et autoritate Pompeji.

Noster IV, 94.

SAEVA *fames aderat.*

Et VI, 108. Prudentius II. contra Symmachum, v. 909, utramque conjecturam *farra* et *saevire*, tam clare agnoscit et confirmat, ut ad hunc ipsum locum respexisse videatur.

Ultima legati defleta dolore querela est,
Palladiis quod FARRA *focis, vel quod stipis ipsis*
Virginibus, castisque choris alimenta negentur:
Hinc ait et steriles frugescere rarius agros,
Et tristem SAEVIRE FAMEM, TOTUMQUE PER ORBEM
Mortales pallere inopes, ac panis egenos.

320. — *Gladii cum triste minantes]* *Minantes gladios*, si soli venirent, facile ferrem; ut Claudianus Nupt. Honor. 192.

— *gladiósque tegat vagina minaces.*

Sed cum addit TRISTE, tum sordere incipit MINANTES; requiritur enim participium deponens, ut Magistri loquuntur, et intransitivum, lege igitur,

Gladii cum triste MICANTES.

Statius Theb. IV, 154.

Quibus haud amenta nec enses TRISTE MICANT.

322. *Atque auso medias perrumpere milite leges,]* *Leges perrumpere*, nihil aliud est, quam *perstringere*, *violare*, quorsum igitur *medias?* An sanus aliquis dixerit *medias* leges violare, temerare? Repone ex Colbertino veterrimo, cum altero Collegii Trinitatis, et Meadiano,

Atque auso medias INRUMPERE *milite leges.*

Eleganter dictum, *irrumpere medias leges*, hoc est, medium Forum, Rostra, ubi leges scilicet ferebantur: atque hoc in causa Milonis ex historia certum. Noster infra v. 470.

Irrupitque animos populo.

et V, 127.

Cogitque fores irrumpere templi.

324. *Ne lassum teneat]* *La-*

Bella nefanda parat suetus civilibus armis,
Et docilis Syllam scelerum vicisse magistrum.
Utque ferae tigres nunquam posuere furorem,
Quas nemore Hyrcano, matrum dum lustra sequuntur,

psum Codex Bersmanni et alii. Verum ut fatear aperte neque *lassum* neque *lapsum* mihi placet, nam sensum evertit. Scholiastes ad hunc locum: *Ne privetur in senectute a dignitate et militia*, adeoque illa verba *teneat privata senectus* tantum explicare, nec vocem hanc agnoscere videtur. Legendum puto,

Nunc quoque, ne INCASSUM *teneat privata senectus;*

ne in senectute FRUSTRA *privatus esse, ne sine utilitate desidere et ignavus esse videatur.* Ita *Lib.* IV. *v.* 281.

Sic deflagrare minaces
INCASSUM *et vetito passus languescere bello;*

cassus, captus, lapsus facile permutantur in MSS. et frequenter. Sic apud OVID. *in Halieut. v.* 64.

Et capto fugiens cervus sine fine timore.

cauto rescribebat HEINSIUS. Sed legendum CASSO *timore* id est vano; uti supra dixerat idem poeta *v.* 49.

Aut VANI *semper quatiunt lymphata timores;*

sic infra *v.* 336. *lassi* et *lapsi* confusa. JEV.

527. *Utque ferae tigres nunquam posuere furorem,]* In proletario quidem poeta ferrem hoc; minime vero in Nostro. Ferae tigres, inertissimum ubivis epitheton; hic praesertim, ubi de cicuratis et mansuefactis agit, deinde si *ferae* sunt; quid miri si *furorem non ponunt?* Priore verbo id praeoccupat et anticipat, quod in sequentibus dicendum erat, attende ad literarum ductus, et hanc poetae ipsius manum agnosce:

Ut VETEREM *tigres nunquam posuere furorem.*

veterem furorem vocat, innatum, ingenitum, insitum, quem nulla mansuefactio penitus potest extinguere. Quarundam ferarum catuli (Seneca Pater Controv. XXIX.) *cum rabie nascuntur.* Seneca Thyeste 807.

Pectore fesso renovat veteres
Saucius iras.

Hippol. 355.

Veteres *cedunt ignibus* irae.

Medea 394.

Se vincet: irae *novimus* veteris notas.

Sic ibi corrigendum, non ut scripti editique habent, *veteres notas.* Ovid. Metam. XIV, 495.

Talibus invitam Venerem Pleuronius Agmon
Instimulat verbis, veteremque *resuscitat* iram.

Ubi lege, *Talibus* INRITANS *Venerem*, etc. BENTL.

Illud *ferae* otiosum epitheton videtur BENTLEJO, qui ideo refingit *ut* VETEREM *tigres* etc. Male. Conjunctio *que* abesse hic non potest, et quid mirum *si* VETEREM *non ponant* FUROREM? quis enim putaverit eas *novum furorem* posuisse? FERAS TIGRES vocat auctor, *quae in silvis feritatem a matre jam didicerunt armenta laniando, adeoque cruori jam assuetae sunt,* et hoc ipsa ἀπόδοσις evincit. Verum illud *matrum dum lustra sequuntur* est longe ineptissimum adeo-

Altus caesorum pavit cruor armentorum;
Sic et Syllanum solito tibi lambere ferrum
Durat, Magne, sitis: nullus semel ore receptus
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.

330. sol'ito, *o* m. sec. correxit; inter *l* et *i* aliquid erasum est; ad marginem legitur *solito* puncto notatum. c.

que merito offendit. Withof. *in Encaen. Crit. pag.* 14. inde tentabat, *matrum dum jussa sequuntur.* Speciose quidem sed non vere. Legendum est minima mutatione,

Utque ferae tigres numquam posuere furorem,
Quas nemore Hyrcano, MATREM *dum* IN *lustra sequuntur,*
Altus caesorum pavit cruor armentorum;

dum matrem sequuntur in lustra, dum parvae tigres matrem comitantur in sylvas. Praepositio IN exciderat absorpta ab ultimo elemento vocis *dum*, et haec caussa fuit corruptionis. Horat. *Lib.* 1. *Od.* 23, 12.

Tandem desine MATREM
Tempestiva SEQUI *viro.*

Nihil verius hac emendatione. Jev.

331. — ***Nullus semel ore receptus Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.***] Quicquid dicat acutissimus Gronovius ad Statii Sylvas III, 3; ubi *nullus sanguis* interpretatur *Nunquam* sanguis, omnino incongruum illud, *Nullus sanguis;* cum sententia sit, *nullas fauces* mansuescere. Melius igitur a prima manu Harleianus, *nullo semel ore.* Imitatus est hunc locum Claudianus II, Ruf. 7.

Rufinus (neque enim patiuntur *saeva quietem*
Crimina, pollutaeque *negant arescere* fauces.)

Ubi Codex apud Heinsium, MANSUESCERE. Bentl.

Quid *nullus sanguis* sibi velit plane ignoro. Bentlejus sensit hoc incongrue dictum, quare legebat *nullo* ut ad *τὸ ore* referatur. At tum magis incongruum mihi videtur. Quid multis te moror, lector, in re facillima? Ecce manum auctoris qui dedit nobis,

NULLI *semel ore receptus*
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces;

nulli id est *nemini.* Nemini, qui semel faucis polluit sanguine, feritas cessabit; sed semper ille cruorem sitiet. Lucan. *Lib.* II. *v.* 96.

NULLI *gestanda dabantur*
Signa ducis, nisi qui scelerum jam fecerat usum,
Attuleratque in castra nefas;

adeoque patet post SITIS *τελείαν στιγμὴν* ponendam.

Horatio jam lacero et misere confosso medicas manus applicemus. Locus est *Lib.* II. *Od.* XX. *v.* 6.

Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego quem vocas,
Dilecte Maecenas, obibo
Nec Stygia cohibebor unda.

Locus hic doctissimos exercuit Interpretes et summos vexavit criticos. Bentlejus torquet se mirum in modum, neque se satis expedit. Certe ab Horatii manu sic profectum esse, ut vulgo legitur, nemo sanus crediderit.

Quem tamen inveniet tam longa potentia finem?
Quis scelerum modus est? ex hoc jam te, improbe, regno
Ille tuus saltem doceat discedere Sylla.
Post Cilicasne vagos, et lassi Pontica regis

335. descendere. b. d.

Quid enim! Nonne Latinis auribus insolitum *quem vocas sanguis pauperum parentum?* et cur inepta illarum vocum *Non ego* geminatio fiat, ratio nulla videtur. Age! sagaci conjectura tentemus locum. Lego,

Non ego, pauperum
SANGUEN *parentum* NOBILE *quem vocas,*
Dilecte Maecenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor unda;

quem vocas SANGUEN NOBILE PAUPERUM PARENTUM pulcherrima ἀντιθέσει et lepidissimo Maecenatis genio conveniente, qui Horatium suum per jocum *purissimum penem* et *lepidissimum homuncionem* appellitare consueverat, ut tradit Suetonius in vita Horatii. NOBILE SANGUEN quia decorabat genus. Testis ipse HORAT. *Lib.* I. *Epist.* XX. *v.* 10.

Me libertino natum patre, et in tenui re
Majores pennas nido extendisse loqueris.

Sanguen antiquo more genere neutro dixit poeta, ut LUCRETIUS *Lib.* I. *v.* 837. et 853. *vid.* GIFAN. *indicem.* Judicent eruditi. JEV.

333. *Quem tamen inveniet,]* Videtur Auctor sic dedisse,

Quem TANDEM *inveniet tam longa potentia finem?*

Convenit imprimis indignanti et stomachanti: Quousque *tandem* Catilina? Et cum finem dicit, quid aliud quaerit nisi ut *Tandem aliquando?*

334. *Quis scelerum modus est?]* Legitime quidem dictum, ut Seneca Thyeste, 1057.

— sceleris est aliquis modus?
Sceleri modus debetur, ubi facis *scelus,*
Non ubi reponis.

Sic lego, non ut libri habent, *facias* et *reponas;* flagitante illud versus ipsius majestate. Sed profecto nimis hic inclementer et calumniose SCELERUM, de *longa* enim *potentia*, de *regno continuo* queritur, non de *sceleribus*, quae nulla Pompejo admissa sunt, utinam dixisset,

Quis JURIS *modus est?*

Juris idem hic erit ac *potentiae, potestatis*, Noster VII, 265.

— *Gentes ut* jus *habeatis in omnes.*

IX, 191. *Nosse* modum juris.

Paene oblitus eram, quod unice hic valet, *scelerum* septimo abhinc versu jam praecessisse.

335. — *Doceat discedere Sylla.]* Sic quidem Romana et Veneta cum Editionibus ceteris. At nostri vetustiores codices, Colb. sec. Putean. Harl. multo melius DESCENDERE. *Discedere* enim *regno* est fugere, exulare, sed *regno descendere*, est civem agere, ad privatam conditionem redire. Atque hoc postulat sententia. Statius Theb. II, 397.

Fortunam exuere, et laetum DESCENDERE REGNO.

Seneca de Clementia c. XII. DESCENDERIT *licet* dictatura SYLLA, *et se togae reddiderit.*

Praelia, barbarico vix consummata veneno,
Ultima Pompejo dabitur provincia, Caesar;
Quod non, victrices aquilas deponere jussus,
Paruerim? mihi si merces erepta laborum est,
His saltem longi, non me duce, praemia belli
Reddantur: miles sub quolibet iste triumphet.
Conferet exanguis quo se post bella senectus?
Quae sedes erit emeritis? quae rura dabuntur,
Quae noster veteranus aret? quae moenia fessis?
An melius fient piratae, Magne, coloni?
Tollite jampridem victricia, tollite signa:
Viribus utendum est, quas fecimus. arma tenenti
Omnia dat, qui justa negat: nec numina desunt.
Nam neque praeda meis, neque regnum quaeritur armis:

341. H*iis* ut semper ab initio versus, c. non *cum* b. c. d; *me* man. sec. puncto notatum, supra *cum* scriptum est in membr. erasa c. 349. just*a*; *a* correctum est in c. ne*que* c. d. de*runt*, super *run*t scripto *sūt*, sine signo tamen. c.

341. *His saltem longi, non me duce, praemia belli Reddantur:]* Vera haec lectio, male vulgata *cum duce*. Accipiat miles praemia vel alio imperatore, cui convenit quod sequitur: *Sub quolibet*. Grotius. Pace viri magni, sana est vulgata lectio.

348. *Viribus utendum est, quas fecimus]* Nescio quas vires hic sese fecisse jactitet Caesar, et dubito vehementer an illud *facere vires* hic tam elegans sit, ut locum tueri mereatur. Caesar iratus Pompejo et optimatibus sibi triumphum negari, et in comitiis nullam sui in consulatu petendo rationem haberi, vi et armis sibi adserere dignitatem statuit; *ab exercitu* igitur *auxilium petiit*, uti Suetonius [Jul. c. 30.] ait; attamen aequas pacis conditiones praetentare voluit, ut si triumphus de Galliis ipsi decerneretur et proximis comitiis consul designatus fuisset, ab incoepto destitutus fuisset. Quum vero Pompejani oblatas hasce pacis conditiones sprevissent, vi ut antea *agere instituit*. Legendum itaque credo,

Viribus utendum qua coepimus: *arma tenenti*
Omnia dat, qui justa negat;

quoniam enim *justa negant*, inquit, cogunt me, ut ante coepi, armis dignitatem adserere. Arbitrentur eruditi. Jev.

Detrahimus dominos urbi servire paratae.
Dixerat: at dubium non claro murmure vulgus
Secum incerta fremit: pietas, patriique penates
Quamquam caede feras mentes, animosque tumentes

352. *Dixerat: at dubium]* Locus non una menda spurcatus. Praeterquam enim quod sensus perturbatus sit, quid sunt *mentes caede ferae?* Ecquis vero Oedipus est, qui domi sphingem habeat et explicare possit, quid sibi velint haec *vulgus dubium secum fremit incerta?* Tacent hic Interpretes. BENTLEJUS incongruum sensum videns violentam tentat medicinam legens,

Perstrinxere feras mentes;

male: mentem enim poetae non cepit. Aut fallor vehementer aut mentem poetae recte cepisse mihi videor. Favente critica sic desperatum lego locum,

Dixerat HAEC. *Dubium non claro murmure vulgus,*
VERSUM IN RECTA, *fremit. Pietas patriique Penates*
QUANTUM SAEPE *feras mentes animosque tumentes*
Frangunt! sed diro ferri revocantur amore
Ductorisque metu.

Dixerat haec iratus Caesar. Sed vulgus ad sanam mentem conversum dubio murmure fremit. O quantum pietas et cogitatio patriae et penatium saepe feros et iratos milites mollire et a furore devocare possunt! Sed tandem metu ducis et amore belli revocantur a pace et pietate. Et erat in Hamburg. Cod. unde *haec* reposui. *Versum in recta* dicitur vulgus militum ad sanam mentem rediens, qui incipiebant detestari bellum civile contra patriam. Hanc *mentem sanam* militum timebat Caesar *Lib.* v. *v.* 309.

Militis indomiti tantum MENS SANA *timetur;*

versum in recta id est *ad honesta, ad meliora.* Sic *Lib.* IV. *v.* 815.

Aut cui plus leges deberent, RECTA *sequenti.*

Lib. VIII. *v.* 488.

sidera TERRA
Ut distant, ut flamma mari, sic utile RECTO;

terra hic lego pro *a terra.* Nam *distare* dativo casui jungi posse vix crediderim. Ignoscent mihi manes summorum virorum Oudendorpii Burmannique mei, quod veritatis amor me meam ab illorum opinione sententiam sejungere cogit. Sexto casui et quandoque, Graecorum more, secundo sive genitivo jungi solet hoc verbum, uti in loco HORATII *Lib.* IV. *Od.* 9. *v.* 29. a Cel. Burmanno adducto ad QUINCTIL. *Lib.* V. *Inst. Orat. Cap.* X. Sic *desine mollium querelarum Lib.* II. *Od.* IX. *v.* 17. et alibi idem dixit pro *a querelis.* Dein per admirationem *quantum saepe* pro *quamquam caede*, facillimo librariorum lapsu, sententia postulabat. Ita, nisi fallor, locus difficillimus ad sanitatem restitutus fuerit. JEV.

354. — *Pietas, patriique penates*
Quamquam caede feras mentes, animosque tumentes
Frangunt;] Tacitus Ann. XIV, 4. de Nerone matrem occisuro: *Sive explenda simulatione, seu periturae matris supremus aspectus* quamvis ferum *animum retinebat.* Et Hist. I, 44. *Recordatio majestatis in Galba* quamvis immitem *animum imagine*

Frangunt; sed diro ferri revocantur amore,
Ductorisque metu. Summi tum munera pili
Laelius, emeritique gerens insignia doni,
Servati civis referentem praemia quercum;

358. doni ad margin. man. sec. *vel donni* c.

tristi confuderat. Ovid. Metam. VIII, v. 508. de Althaea Meleagrum filium extinctura,

Nunc animum *pietas maternaque nomina* frangunt.

Vides partes hujus periodi satis confirmari; cum tota tamen vitiosa sit, et se impediat verbis, lassas aures onerantibus. *Frangunt,* ait, *mentes quamvis feras caede tumentesque animos.* Qua obsecro caede? Si totius militiae vult, dicendum erat *caedibus.* Qualis deinde cauda trahitur, *animosque tumentes,* ut in unum colon haec concludantur? Non agnosco hic genium indolemque Lucani, in tam tetris ulceribus urendo et secando medicinam tentemus. Vide ergo ista:

— Pietas, patriique penates
PERSTRINXERE *feras mentes, animosque tumentes*
Frangunt.

Exclamas fortasse de immani dissimilitudine literarum: sed in compendiosa Membranarum scriptura propius accedent, *qqcede, pstnxere.* Virg. IX, 294.

Atque animum patriae STRINXIT PIETATIS *imago.*

356. *— Summi tum munera pili*
Laelius, emeritique gerens insignia doni,
Servati civis referentem praemia quercum;]
Joannes Saresberiensis, aliquot hinc versus citans, *Laelius,* inquit, *qui et ab aliis Lentulus appellatur.* Quinam illi alii sint, nescio: nostri omnes codices *Laelius:* neque flocci interest, cum ficta, puto, a poeta persona sit. Sed verba ipsa expendamus; SUMMI PILI cur dixerit, demiror; cum alii omnes PRIMUM *pilum* appellant. Martialis I, 94.

Ara duplex PRIMI *testatur* MUNERA PILI.

Illud vero non miror modo, sed redarguo et vitupero: *Gerens,* ait, *insignia* DONI *emeriti, quercum referentem* PRAEMIA. Coronam civicam intelligit; sed cur bis idem dicitur? Quo distat *donum* a *praemio?* Neque placet *emeritum* donum, pro *meritum,* contra morem hujus, qui id verbum saepius usurpat. Quid te multis detineam?

— Emeritique gerens insignia CONI,
Servati civis referentem praemia quercum.

Qui civica donati erant, coronam querceam in *galeae cono* gestabant: ut ceterae gentes laurum, vel aliam frondem, vel vittam. Statius Theb. VII, 351.

Omnibus immixtas cono super *aspice lauros.*

Ubi malim *intextas.* Valer. Flacc. I, 386.

Palla imos ferit alba pedes, vittataque frontem
Cassis, et in summo laurus Peneia cono.

Recte autem *emerito cono,* quem per omnia stipendia gesserat; qui jam opera functus, ad templi alicujus postes figendus erat. –

Si licet, exclamat, Romani maxime rector
Nominis, et fas est veras expromere voces;
Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires
Conquerimur. deeratne tibi fiducia nostri?
Dun movet hic calidus spirantia corpora sanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degeneram patiere togam, regnumque Senatus?
Usque adeo miserum est civili vincere bello?
Duc age per Scythiae populos, per inhospita Syrtis
Littora, per calidas Libyae sitientis arenas.
Haec manus, ut victum post terga relinqueret orbem,
Oceani tumidas remo compescuit undas:

359. Scilicet b. c. d. in b additum est *vel si li.* 360. Nominis; ad margin. *oms.* c. *jus* est c. d. *vis* b. 363. h*aec* b. c. d. 368. *h*aren. ita semper in h. voce. b. c. d. 370. Occeani, ut fere semper b. c.

360. — *veras expromere voces.*] Laudatur hic locus a Bentlej. ad Horat. A. P. 318 cum aliis, ubi saepius dici *veras voces*, docet; pro verbo *fas* ibi legitur *jus*. WEB.

363. *Dum movet hic calidus spirantia corpora sanguis,*] Putean. Cod. cum ceteris omnibus vetustis et editione Veneta exhibent,

Dum movet HAEC *calidus*, etc.

Ut Virg. [Aen. IV, 336.] *Hos artus.* Nempe *artus* et *corpora* digito monstrari possunt, ut recte addas *Hos*, *Haec*: *Sanguis*, nisi fusus, minime; neque addere possis, *Hic*.

367. *Duc age per Scythiae populos,*] Cum dicat LITTORA *Syrtis*, et *Libyae* ARENAS; liquido affirmare possis, non POPULOS Scythiae ab auctore profectum; sed CAMPOS. *Campi*, *litora*, *arenae*, pulchra in uno genere variatio. *Populi* vero non magis alienum hic quam ineptum: neque enim Scythae pagatim vel oppidatim habitabant, ut *per populos* ducerentur hostes. Nota sunt apud scriptores *Scytharum deserta* et solitudines, *αἱ Σκυθῶν ἐρημίαι.* Ceterum saepe apud Librarios haec duo permutantur, per notariorum compendia, *pplos*, *capos.*

369. *Haec manus, ut victum post terga relinqueret orbem,*] Itane cito corruptus et contaminatus est Lucanus, ut nullae jam a mille annis membranae veram lectionem exhibeant? Nam vix dubitandum est quin scripsit Auctor,

Haec manus, *ut* TUTUM *post terga relinqueret orbem.*

Noster IV, 353.

Securumque orbis *patimur* post terga relicti.

Fregit et Arctoo spumantem vortice Rhenum.
Jussa sequi tam posse mihi, quam velle necesse est.
Nec civis meus est, in quem tua classica Caesar
Audiero. per signa decem felicia castris,
Perque tuos juro quocumque ex hoste triumphos;
Pectore si fratris gladium, juguloque parentis
Condere me jubeas, plenaeque in viscera partu
Conjugis, invita peragam tamen omnia dextra.
Si spoliare Deos, ignemque immittere templis,

372. *est* deest in c.

371. *Fregit et Arctoo spumantem vortice Rhenum.]* *Verticem* ubique habent Membranae, non *vorticem:* etiam cum de fluvio agitur. Hoc posito, quid quaeso erit *Arctous vertex*, nisi polus septentrionalis? At hic de verticibus Rheni loquitur; qui ad oceanum Britannicum priore versu comparatus, non est Arctous: et si esset, stulte tamen ejus vertices Arctoi dicerentur; libenter legerim,

Fregit et IRATO *spumantem*, etc.

Tam literis propinquum, quam sensu aptissimum: cum autem *Fregit* praecedat; eo aptius sequitur *Iratum;* quia *Frangere iram*, *rabiem*, *minas* saepe occurrunt.

372. *Jussa sequi tam posse mihi, quam velle necesse est.]* Sic omnes Libri, sed jactatio sane gloriabunda est, et plusquam militaris. An quicquid vult continuo potest? Valer. Max. de Polycratis Samii felicitate [VI, c. IX, §. 5. ext.]: *Vota nuncupabantur, simul et solvebantur:* VELLE *ac* POSSE *in aequo positum erat.* Hic vero Laelius Polycratem illum longe exsuperat; non solum enim potest quodcumque vult, sed *necessario* potest. Hanc fraudem et caliginem sententiae parit loquendi modus, Senecarum domui paene peculiaris: perinde enim est, ac si alius diceret, mutato ordine,

Jussa sequi quam *posse mihi*,
tam *velle necesse est:*

Potestatem meam voluntas exaequat; quicquid possum, si jubes, pro amore tui necesse est ut faciam. Prudentius Hymno VIII. ad sensum Lucani eleganter:

— neque nos severus
Terror impellit: sua quemque cogit
Velle potestas.

Seneca de Clemen. I, 3. *Illius demum principis magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes* TAM *supra se esse*, QUAM *pro se sciunt:* hoc est, *Quam* supra se, *Tam* pro se. Hunc idiotismum dudum observarunt viri summi Petrus Faber, in semestribus, et Frid. Gronovius ad Thyesten 207.

Quod facta domini cogitur populus sui
Tam *ferre* quam *laudare.*

Hoc est, quod excepto Florentino, ceteri habent, *Quam* ferre, *tam* laudare.

Numina miscebit castrensis flamma Monetae:
Castra super Thusci si ponere Tybridis undas,
Hesperios audax veniam metator in agros.
Tu quoscumque voles in planum effundere muros,
His aries actus disperget saxa lacertis:
Illa licet, penitus tolli quam jusseris urbem,
Roma sit. His cunctae simul adsensere cohortes,
Elatasque alte, quaecumque ad bella vocaret,
Promisere manus. it tantus ad aethera clamor,
Quantus, piniferi Boreas cum Thracius Ossae
Rupibus incubuit, curvato robore pressae
Fit sonus, aut rursus redeuntis in aethera silvae.
Caesar ut acceptum tam prono milite bellum,
Fataque ferre videt, ne quo languore moretur
Fortunam, sparsas per Gallica rura cohortes
Evocat, et Romam motis petit undique signis.

384. disper*d*et c. 389. pinifer*ae* c. d. et in b per duo *n.* 390. *pondere* pres. c. 395. *Con*vocat c.

380. *Numina miscebit castrensis flamma Monetae:]* Cave ne cum interpretibus, *aedem Junonis Monetae* hic intelligas, scribe *monetae* et sic accipe: si jubeas templa spoliare; deorum statuae aureae, argenteae, rapientur, et in *castrensi moneta* (seu officina ubi cuduntur nummi) conflabuntur et miscebuntur, ut inde pecunia fiat. Excerpta Controv. Senecae, IV, 4. *Pro republica plerumque templa nudantur, et in usum stipendii conflantur.* Statius Silv. III, 3, 107.

Quae divum in vultus igni formanda liquescat
Massa; quid Ausoniae scriptum crepet igne monetae.

Ubi animadverte, IGNI et IGNE, nimium invenuste: reponendum puto, SIGNIS *formanda.*

391. — *Redeuntis in aethera silvae.]* Atqui versu abhinc tertio jam habuimus AETHERA, et quidem in eadem sede versus. Quare hic legendum est,

— *Redeuntis in* AERA *silvae.*

395. *Evocat, et Romam motis petit undique signis.]* Falsum hoc est, jam tum Caesarem, cum ex Gallia copias evocaret, Romam petisse. Immo vero exspectabat et operiebatur, dum copiae ad se convenirent, et ridiculus sane Lucanus, qui, si *jam* undique mota ex Arimino Romam petunt, plus sexaginta versus postea insumit, ut singula Galliarum castra et hiberna recenseat. Sed scripsit Auctor, verborum quoque ordine mutato,

Evocat, UT *motis Romam* PETAT *undique signis.*

Deseruere cavo tentoria fixa Lemano,
Castraque quae Vogesi curvam super ardua rupem,
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis.
Hi vada liquerunt Isarae, qui gurgite ductus
Per tam multa suo, famae majoris in amnem
Lapsus, ad aequoreas nomen non pertulit undas.
Solvuntur flavi longa statione Rutheni:
Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas,
Finis et Hesperiae promoto limite Varus:
Quaque sub Herculeo sacratus nomine portus
Urget rupe cava pelagus: non Corus in illum
Jus habet, aut Zephyrus: solus sua littora turbat
Circius, et tuta prohibet statione Monoeci.
Quaque jacet littus dubium, quod terra, fretumque
Vendicat alternis vicibus, cum funditur ingens

397. **ripam** b. c. d. 398. Lingon*es* b. c. d. 399. *Ysa*rae. b. c. 403. A*r*ax c. 404. *mili*te b. c. d. 405. *nu*mine b. c. d. 408. tota, sed correctum, puncto sub *o* posito et supra scripta *u*. d. M*enaech*i b. me*neth*i c. meneci d.

397. *Castraque quae Vogesi curvam super ardua rupem,]* Et hic et apud Caesarem *Vosegus* non *Vogesus* scribendum esse multis ostendit in Germania sua II, 39. doctissimus Cluverius.

402. *Solvuntur flavi longa statione Rutheni:]* Post quintum versum iterum recurrit STATIONE, quod vitium ut evitetur hic, opinor, ab auctore erat,

Solvuntur flavi longa OBSIDIONE *Rutheni.*

Longa sane militum *statio* non nimis commode, quae non nisi in diem disponi solebat, at *longa Obsidio* plane ex more. *Obsidionem* autem non stricte hic accipe, sed quo Cicero [pro Rabir. c. 29.] ait sensu, *obsidione rempublicam liberare,* hoc est metu hostium.

505. *Quaque sub Herculeo sacratus nomine portus]* Colbertinus II, Puteaneus, Harleianus, Cantabrigiensis, NUMINE, recte sine dubio, cum *sacratus* dicit. Statius Silv. II, 24. de Surrento.

— *gaudet gemino* sub numine *portus*
Hic servat terras, *hic saevis fluctibus* obstat.

Gemino, hoc est, Herculis, et Neptuni.

409. *Quaque jacet littus dubium, quod terra, fretumque]* Cave hic de Belgarum oris inter-

Oceanus, vel cum refugis se fluctibus aufert.
Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet,

preteris, ut commentatores faciunt. Designat hic Auctor *Sabata*, *vada Sabatorum*, *vada Sabatia*, vel simpliciter *vada*, hodie *Savona*, portus in mari Ligustico: ut recte Cluverius.

412. *Ventus ab extremo]* Locus suspectus. Voluit hic Auctor recensere veterum philosophorum opiniones de aestu et recessu maris, quas tres statuit. *Prima* eorum qui putabant, caussam esse in motu ventorum, pelagus vicissim impellentium et destituentium. *Altera* eorum, qui lunae ejusque motui sive impressioni hanc maris vicissitudinem tribuunt. *Tertia* eorum, qui solis radiis, oceani fluctibus se pascentis, hos alternos aquarum motus adscribunt. Sed tandem vult veram caussam mortales ex Superorum voluntate semper latere, concludens omnes illas opiniones esse longissime a veritate remotas. In hanc arenam jam non descendo, quippe mihi constitutum est criticum non physicum agere. Quare de Lucano tantum sollicitus ero. *Sidus secundum* nisi forte erravero Lucano est LUNA: quid igitur quaeso hic faciant *lunares* illae *horae?* Deinde cum solem *erigere oceanum* dixerit ut pascat se undis, cur jam ineptissima *ταυτολογία* additur *fluctusque ad sidera tollat?* in multis Codd. tamen legitur *ad sidera ducat.* In Richel. et Thuan. quart. erat *Destituatque fretum*, ut testatur Burmannus. Legendum puto hoc modo,

Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet,
Destituatque FRETIS: *an, sidere mota secundo,*
Tethyos unda vagae VULGARIBUS *aestuet* ORIS:
Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas,
Erigat Oceanum, fluctusque IN LITORA DUCAT,
Quaerite, quos agitat mundi labor. At mihi semper
Tu, quaecumque moves tam crebros caussa meatus,
Ut Superi voluere, late!

Destituatque FRETIS reposui, id est *aquis ferventibus privet.* FRETUM *aqua fervens.* SENECA *in Octav. v.* 129.

Quam dira post naufragia superato mari
Ferro interemit saevior pelagi FRETIS;

hinc eleganti metaphora LUCRETIUS FRETA AETATIS dixit pro *fervore et calore juventutis in venerem prorumpentis. Lib.* IV. *v.* 1024.

Tum, quibus aetatis freta primitus insinuantur.

Destituit fretis dixit, ut HORAT. *Lib.* III. *Od.* 3, 21.

Destituit Deos
Mercede pacta Laomedon;

dein rescripsi *vulgaribus oris* id est *consuetis litoribus*, quoniam non ubique terrarum hoc fieri solet. Nam *lunares* illae *horae* nauci mihi videntur. Sic *vulgare jubar* poetae nostro notat *lucem consuetam solis Lib.* V. *v.* 220.

Dumque a luce sacra, qua vidit fata, refertur
Ad VULGARE *jubar;*

posset et legi VULGARIBUS HORIS, stato nempe et solito tempore. *Sol* porro eleganter *erigendo oceanum* dicitur *ducere fluctus* IN LITORA, sive facere ut exundent in litus, melius quam *tollere ad sidera*, ut vulgo antea legebatur. Sic *ensis* dicitur *ducere dextras in viscera Lib.* VII. 491. Sed jam nimii sumus. JEV.

Destituatque ferens: an sidere mota secundo
Tethyos unda vagae lunaribus aestuet horis:
Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas,
Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera tollat,
Quaerite, quos agitat mundi labor: at mihi semper
Tu, quaecumque moves tam crebros causa meatus,
Ut superi voluere, late. Tunc rura Nemossi
Qui tenet, et ripas Aturi, qua littore curvo
Molliter admissum claudit Tarbellicus aequor,
Signa movet, gaudetque amoto Santonus hoste;
Et Biturix, longisque leves Suessones in armis:
Optimus excusso Leucus Rhemusque lacerto,

414. aestu*a*t d; quod et in b fuit, sed ab eadem manu in *e* correctum. 416. *sy*dera ita semper c. *duc*at d. 419. late*s* b. c. d. tu*m* d. *Menethis* b. *menetis* c, supra scripto *vel ci* man. sec. *Meneci* d. 420. *S*at*i*ri c. *S*aturi d. 423. Bitur*i* b. c. d. Se*x*ones c. Sa*xs*ones d. 424. Leuc*as* d; et b ex correctione super *u*, quae puncto notata est, scripta *a*. R*emis*que b. d; et in c. a man. pr.; sed man. sec. rem*i*que correxit.

416. — *Fluctusque ad sidera tollat,]* Colbertinus uterque cum aliis duobus DUCAT.

419. — *Tunc rura Nemossi Qui tenet,]* *Nemossi* est ex conjectura Micylli, quod procul ab his de quibus hic agit regionibus distat, Turnebus NANETIS, Libri omnes vetustiores, NEMETIS. Nescio quid sit, sed praestat ignotum nomen, quam falsum ponere. *Nemetes*, qui in Belgica cis Rhenum incolebant, Ptolemaeo, secunda brevi, *τῶν νεμετῶν.* Et in Gallia *Augustonemetum;* et in Hispania *Nemetobriga* oppidum, et populi *Nemetani.*

420. — *Et ripas Aturi, qua littore curvo*
Molliter admissum claudit Tarbellicus aequor,] *Ancon* emendat magnus Scaliger. GROTIUS. Nimis breviter Vir magnus: nam emendationis Scaligeranae partem omittit; qua praeterita nullus in altera sensus est. Scaliger Auson. Lect. 1, 5. sic locum corrigit,

— et ripas Atyri, QUEM *litore curvo*
Molliter admissum claudit Tarbellicus ANCON.

Multo vero facilius est, hanc conjecturam convellere, quam substituere meliorem. Quippe *Ancon*, pro *sinu litoris curvi* latinis auribus vox inaudita est. Neque vero apud Graecos *ἀγκὼν* *sinum* incurvi litoris notat; sed, quod contrarium est, *cubitum* et prominentiam litoris ibi se inflectentis. Verum esto, si vult, *sinus:* qualis deinde sententia

Optima gens flexis in gyrum Sequana fraenis:
Et docilis rector rostrati Belga covini:
Arvernique ausi Latio se fingere fratres,
Sanguine ab Iliaco populi; nimiumque rebellis

426. *mons*trati b. c. d. cov*inn*i b. c. d. 427. A*l*vernique b. c. superscripia *r*; A*v*ern. d. Lati*os* b. c; sed *os* in c scriptum est ad superiorem vocis partem, infra memb. erasa est. Lati*is* d.

est? *Sinus litore curvo claudit fluvium molliter admissum.* Mira vero res; si *claudit* fluvium, quod ipsius *ostium* et est, et appellatur. Noli dubitare, quin *Aequor* vera lectio sit, neque sollicitanda; vel ex II, 615.

Adriacas flexis claudit *quae cornibus undas,*
Nec tamen hoc patulis immissum *faucibus* aequor.

et III, 279. *Oceanusque negat solas se admittere Gades.*

426. *Et docilis rector rostrati Belga covini:]* Omnes omnino habent *Monstrati.* Nimirum hoc vult poeta, covinnum a Britannis vel Gallis primo esse inventum, et inde Belgis traditum; fallitur ergo Wilhelmus Brito, cum dicit,

Belga covinorum, Lucano teste, repertor. BENTL.

Rostratus covinnus risu dignus et explodendus teste BURMANNO. HEINSIUS *constrati* legit et vindicavit ad VIRGIL. III. *Georg. v.* 204. quod ideo BURMANNO non probatur, quia nescit *qua ratione ex tectis curribus pugnare et tela jacere, et per temonem discurrere potuerint.* Ast potuisse hoc facere BELGAS, discere nobis licet ex elegantissimo PROPERTIO *Lib.* IV. *El.* V. *v.* 42.

BELGICA *cui vasti praeda relata Ducis*
VIRDUMARI: *genus hic Rheno ducebat ab ipso,*
NOBILIS E TECTIS FUNDERE GAESA ROTIS;

ut jam hinc constet, verissimam fuisse Illustrissimi HEINSII conjecturam! [In loco Propertii non constat sibi *Ill.* HEINSIUS, quippe *in Advers. p.* 28. legit,

MOBILIS ERECTIS *fundere gesa* TORIS,

in notis vero ad PROPERTII *d. l.* EXSERTIS TORIS rescribit. *Ex Addend.]* Ceterum homines, etiam doctissimos plerumque odio vel favore pravo labi solere, vel hinc pateat. Nam acutissimus BENTLEIUS *monstrati covinni* hic patrocinium suscipit, et *covinnum* a Britannis vel Gallis *inventum* atque *Belgis traditum* somniat: ut inventi hujus gloriam Belgis denegare, et manifesta invidia Britannis vel Gallis vindicare velle videatur. Sed QUISQUE SUOS PATIMUR MANES! JEV.

428. *Sanguine ab Iliaco populi;]* Quod de *Arvernis* Noster, id alii scriptores quotquot hodie extant de *Aeduis* eorumque vicinis narrant. [Eumenii cap. II, §. 4.] Panegyricus ad Constantinum: *Quaenam gens toto orbe terrarum in amore Romani nominis* Aeduis *se postulet anteponi; qui primi omnium plurimis Senatusconsultis* fratres populi Romani *appellati sunt?* Vide vero an corrigendum sit,

Sanguine ab Iliaco POPULOS.

Nervius, et caesi pollutus sanguine Cottae:
Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis
Vangiones: Batavique truces, quos aere recurvo
Stridentes acuere tubae: qua Cinga pererrat

429. *cocte* c. *cothtae* b. *sanguine* addito *vel foedere* b.
430. qui lax*atis* c.

si *populos* legis, hoc dicet; Arvernos *finxisse* se a Trojanis ortos, et idcirco, fratres se P. R. dicere, ausos: si *populi*, vere quidem Trojanorum eos sanguinem fuisse; sed inde ausos se *fingere* Romanorum fratres. Atqui, si das eos ab Ilio descendisse, nihil quicquam fingebant se *fratres* appellando: nisi negaverint Romani se quoque sobolem esse Trojanorum.

431. *Batavique truces]* Scholiastes per *Batavos* intelligit *Frisones*, in quo tamen eum falli crediderim. *Sulga* pro *Cinga* reponit Bentleius. Corruptum certe hoc nomen fluvii credere licet cum celeberrimo Burmanno. Puto tamen hic *Batavos* locum tueri vix posse, cum supra *Belgarum* meminerit, et vox illa truces arguere hoc videtur. Legere forte praestat,

> Cattique *truces, quos aere recurvo*
> *Stridentes acuere tubae.*

Catti enim metuendi erant Romanis, iique magnam olim Galliae et Germaniae partem occupavere. Si *Lingones* a fluvio nomen habuerint, pro *Cinga* utique *Lingo* scribendum foret; *Vangiones* enim, hic memorati, *Lingonibus* vicini, et cum *Cattis* optime conjunguntur, et *Lingoni* fluvio cum Rhodano et Arari optime tum convenirent. Sic *Cattos* et *Sygambros torvos* conjungit Juvenal. *Sat.* iv. *v.* 147.

> *Tamquam de* Cattis *aliquid torvisque* Sygambris
> *Dicturus.*

Sed de *Cinga* fluvio nihil mihi compertum. *Lingo* an fuerit, nescio. Tractum tamen Galliae, in quo Lingones habitarunt, designari a poeta, manifestum est. Videant eruditi!

Ovidium *Lib.* i. *Art. Am. v.* 630. leviter corruptum in transcursu hic emendabimus, ubi vulgo ita legitur,

> *Quadrupedes inter rapidi certamina cursus*
> *Depexaeque jubae plausaque colla juvant.*

Ridicule profecto. Quasi vero in certamine medio, dum rapido cursu ad palmam decurrunt, jubas equorum pectere soliti fuerint. Tu, Lector, lege bono judicio,

> *Quadrupedes inter rapidi certamina cursus*
> Depressaeque *jubae plausaque colla juvant.*

depressae *jubae*, id est, *manu blanda permulsae*, et colla plausa juvant equos. Jev.

432. *Qua Cinga pererrat Gurgite:]* Nullus in his regionibus Cinga fluvius a quoquam alio memoratur. Neque recte dicas *pererrat* absolute, sine nomine casus accusativi sequente; non hoc nihil erat, loci vitium indicavisse, tacentibus aliis. Quid si emendavero? Lege,

> Quos sulga *pererrat Gurgite.*

Quos concinne repetitum ex versu priore:

> — Quos *aere recurvo*
> *Stridentes acuere tubae: quos*, etc.

Gurgite: qua Rhodanus raptum velocibus undis
In mare fert Ararim: qua montibus ardua summis
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas:
Pictones immunes subigunt sua rura; nec ultra
Instabiles Turonas circumsita castra coercent.
In nebulis, Meduana, tuis marcere perosus
Andus, jam placida Ligeris recreatur ab unda.
Inclyta Caesareis Genabos dissolvitur alis.
Tu quoque laetatus converti proelia Trevir:
Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effusis toti praelate Comatae:
Et quibus immitis placatur sanguine diro

436—440. versus absunt ab b. c. d. 442. decore b. c. d.

Sulgae nomen Straboni jam debemus, hodie *la Sorgue* dicitur: is in Rhodanum incidit, supra Avenionem: et infra, *Rhodanus captum velocibus undis In mare fert Ararim.* Vides ut apposite, cum Rhodano et Arari *Sulga* jungitur; quippe omnium trium undae una miscentur.

434. — *Qua montibus ardua summis*
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas:]
Credat alius, non ego, tam jejunum et putidum fuisse Nostrum ut *montibus* et *rupe* in eodem colo poneret. Sic potius scripsisse credo:

— *Qua* NUBIBUS *ardua summis.*

Qui montes excelsos habitant, iidem in *nubibus* habitant; nam et montes ipsi *nubiferi* vocitantur.

436. *Pictones immunes]* Quinque hos versus manuscripti omnes non habent, itaque omnino adducor ut adjectitios credam. GROTIUS. Non modo *omnes Manuscripti non habent*, sed ex tot, quot usus sum, ne unus quidem habet, nec editiones principes.

442. — *Quondam per colla decora Crinibus effusis]* Solus ex nostris Puteaneus DECORA, ceteri cum editione Veneta, DECORE. Laudat hos versus Priscianus p. 716. ubi de nominativo *Ligus* et *Ligur* agit. Ceterum Scaliger in Hypercritico [VI, 6. p. 779.]: *versus*, inquit, *plebeius: Crinibus effusis toti praelate Comatae.* Nihil addit cur plebejus haberi debeat, neque ego divinare possum.

444. *Et quibus immitis placatur]* Tribus his versibus designantur *Vates*, qui sacrificia procurabant, ut sequentibus *Bardi* et *Druidae*. Diodorus Siculus lib. V. [c. 31. p. 354.] sunt, inquit, apud Celtas, Ποιηταὶ μελῶν οὓς Βάρδους ὀνομάζουσι; sunt philosophi et theologi, οὓς Δρουΐδας ὀνομάζουσι; sunt et Μάντεις, οἳ διὰ τῆς ἱερείων θυσίας τὰ μέλλοντα προλέγουσι. Strabo similiter lib. IV. [p. 197. Casaub. p. 302. Almd.] τρία φῦλα τῶν τι-

Teutates, horrensque feris altaribus Hesus;
Et Taranis Scythicae non mitior ara Dianae.
Vos quoque qui fortes animas, belloque peremtas
Laudibus in longum vates dimittitis aevum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.
Et vos Barbaricos ritus, moremque sinistrum
Sacrorum Druidae positis repetistis ab armis.
Solis nosse deos, et coeli numina vobis,

445. *esus*; *e* a man. alia in membr. eras. c. 453. nescir*e*; *e* ex alia litera correxit man. sec. c. datum *est* b. datu*r* c. d; sed in d ad marginem a man. sec., signo notatum, legitur *datum est.*

μομένων διαφερόντως ἐςὶ, Βάρδοι τε καὶ Οὐάτεις καὶ Δρυΐδαι. Amm. Marcellinus xv. [c. 9. al. c. 24.] *Apud Gallos viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, Vates, et Druidas.* Mirum vero, cum diserte nominet Lucanus *Bardos* et *Druidas*; quod non et tertium genus *Vates* suo nomine appellaverit: atqui id, opinor, fecit, si sua poetae scriptura restituatur:

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teut vates, *horrensque feris altaribus Esus.*

Celtarum enim Deus summus non *Teutates* vocabatur, sed *Teut* vel *Theuth,* unde *Teutones* dicti sunt; ut fuse ostendit in Germania sua Cluverius, cujus correctio est *Vates. Sanguine diro*, idem est ac *sanguine* humano, sic enim, quod jure mireris, loqui solent poetae. Sphinx, apud Statium Theb ii, 507.

— *Concretis* infando sanguine *plumis*
Relliquias amplexa virum.

et vi, 350.

— *Crudelibus ambo*
Exuviis diroque *imbuti* sanguine *currus.*

et x, 306.

Proturbat mensas dirus liquor; *undique manant*
Sanguine permixti latices.

452. *Solis nosse deos, et coeli numina vobis,*
Aut solis nescire datum:] Sententiam vides argutam, et blanda quadam sua suavitate mentibus obrepentem: sed numquid illud advertis, *Deos* et *caeli numina? Δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος.* Quo enim differunt *Dei* et *Numina caeli?* non difficile est veram emendationem elicere ex versibus mox sequentibus, ubi per partes explicat, quod hic ait semel ac universe. In his praecipuum est, *Animas immortales esse,* et *statim a corporis unius morte transire in aliud.* Atqui hoc non *numen* caeli est, sed donum, munus, beneficium. Scribe ergo:

Solis nosse deos, et caeli munera *vobis.*

Claudian. i, Stilich. 227.

— *Lucosque vetusta*
Religione truces, et robora Numinis instar,
Barbarici.

Aut solis nescire datum: Nemora alta remotis
Incolitis lucis. Vobis auctoribus, umbrae
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt: Regit idem spiritus artus
Orbe alio: longae (canitis si cognita) vitae
Mors media est. certe populi, quos despicit Arctos,
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus, haud urget leti metus. inde ruendi

Jam vero vides quomodo *Deos*, et *caeli Numina*, soli Druidae intelligant. *Deos* nemora et lucus; *deorum munera*, animas immortales et vitam mox redituram.

454. — *Nemora alta remotis Incolitis lucis.*] Dixerat, Druidas aut solos scire deorum naturam; aut solos ignorare; nempe quod diversam ab aliis hominibus de Diis haberent opinionem. Quid vero ad istam opinionem facit, si Druidae *incolant nemora ac lucos?* quaeritur, quid *colant* non quid *incolant*: adde etiam, quod falsum sit, eos elysiorum manium instar, lucis opacis habitasse. Repono:

— *Nemora alta*, REMOTOS
VOS COLITIS LUCOS —

Caesar Gall. VI, 13. *Druides certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae media habetur, consulunt in* loco *consecrato: huc omnes undique qui controversias habent, conveniunt.* Ubi emendandum est, in *luco* consecrato.

460. — *Inde ruendi In ferrum mens prona viris,*] Obvium quidem est, *promta* substituere pro *prona*: *Promta* enim audaciae est; *Prona* desperationis et taedii vitae. Haec duo saepe commutantur, ut et alibi notavimus. Tacitus Annal. IV, 46. *Esse Thracibus ferrum et juventutem, et promtum libertati, aut ad mortem animum.* Et ibid. 47. *Sugambrum cohortem promtam ad pericula.* Idem Agric. VI. *Proconsul in omnem aviditatem* PRONUS. Unde licet certo dignoscere utriusque vim et sensum: *Promtus* ad pericula externa, *Pronus* ad affectus animi internos. *Promtus* in vulnera, bella, *Pronus* in iracundiam, libidinem etc. ubivis invenies. Sed *Pronus* aut *Promtus* RUENDI in arma, ferrum etc. nisi hic, nusquam: aufer hinc *ruendi*, plena sine eo sententia est. non praestabo Lucanum scripsisse,

— *Inde* PROFECTO
In ferrum mens PROMTA *viris.*

Sed cum Colbertinus veterrimus a prima manu habet RUENDO, ne te nimium terreat literarum diversitas, sic enim scribuntur compendiose *ruẽdo pfectò*: *ct* autem et *d* saepe mutuo fallunt. Quod si verbo accedis, sententiam praestabo. Causis enim ante narratis, cum effectum, ut hic, subjungunt, saepe hac voce *Profecto* utuntur. Seneca avus Controv. I, II. *Conversata es diutius inter humano sanguine delibutos:* INDE EST PROFECTO, *quod potes hominem occidere.* Noster IX, 477.

— *Delapsaque coelo*
Arma timent gentes: hominumque erepta lacertis
A superis demissa putant: Sic illa PROFECTO
Sacrifico cecidere Numae.

In ferrum mens prona viris, animaeque capaces
Mortis: et ignavum rediturae parcere vitae.
Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppositi, petitis Romam, Rhenique feroces.

463. *urg*ere Ca*i*c. c. 464. Rom. petit. c.

et v, 351.

Hic numquam vult esse meus: Sunt ista PROFECTO *Curae castra deis.*

Ovid. Metam. VIII, 73.

Di facerent, sine patre forem: Sibi quisque PROFECTO *Fit deus.*

461. — *Animaeque capaces Mortis:]* Nostri libri omnes ANIMAE, ut Silius XI, 170.

Novi dis ANIMAS *similes et pectora magnis*
Numquam angusta malis: CAPIUNT *(mihi credite) Cannas*
Et Thrasymena vada et Paulli memorabile letum.

Neque enim ibi mutaveris in ANIMOS; quia versu proximo habebas *magni animi.* Reponendum tamen in Nostro,

ANIMIQUE *capaces*
Mortis.

Neque vero receptae lectioni Silius patrocinatur. Non animae ibi *capiunt Cannas,* sed *pectora:* quod sententia ipsa monstrat; non ANGUSTA malis pectora, quippe quae CAPIUNT Cannas et Thrasymena. ANIMI, ut Noster IV, 506.

Et morti faciles animos.

et VI, 417.

— propius jam fata moveri
Degeneres trepidant animi.

Virgil. Aen. IX, 205.

Est hic, est animus lucis contemptor.

Seneca Oedip. [934.]

Anime quid mortem times?

et Herc. Fur. 412.

Animo ruinas quod capis magno tuas.

463. *Et vos crinigeros bellis arcere Caycos Oppositi, petitis Romam,]* In veteribus libris, *Caycos, Caychos, Cauchos:* et sic variant Claudiani codices. Graeci fere *Καῦχοι*, quod Latinis literis Caychi. Sed vide nunc ingenium spiritumque Lucani; quam nihil triviale dederit nec communis monetae. *Vos,* Romani milites, *oppositi arcere Caychos bellis.* Cui non haec satis faciebant? Sed excute sententiam, et solitam Nostri venam minime hic agnosces. *Unde* enim vel *quibus* arcere? Aeneid. I, 31. *Arcebat longe Latio.* At in nostro deest quicquid est, quo Caychi arceantur; legendum igitur nisi nos fallit conjectura,

Et vos crinigeros BELGIS *arcere Caycos.*

Cis Rhenum habitabant populi, qui in Gallia communi nomine Belgae appellati sunt, tunc hi sub Romanorum imperio tutelaque erant: hos gens fera et nondum subacta Caychi repentinis latrociniis opprimebant, ad illos igitur Belgis arcendos cohortes aliquot ad ripam dispositae. Claudian. Stilich. I, 203. de Rheni pace:

— Geminasque viator
Cum videat ripas, quae sit Romana requirat:
Ut jam trans fluvium non indignante CAYCHO
Pascat BELGA *pecus.*

Deseritis ripas, et apertum gentibus orbem.
Caesar, ut immensae collecto robore vires
Audendi majora fidem fecere, per omnem
Spargitur Italiam; vicinaque moenia complet.
Vana quoque ad veros accessit fama timores,

466. i*n*mens. c. d. fere semper ante *m*.

Plane a Lucano hoc habuit; quem sic legebat, ut nos correximus.

465. — *Rhenique feroces Deseritis ripas, et apertum gentibus orbem.]* Lege *ferocis*, ride enim illas *feroces ripas:* Sic IV, 138.

— *fluviique ferocis*
Incrementa timens.

Quid vero illud ORBEM? An totus orbis undique apertus, quia ripa Rheni deserebatur? Immo totum versum sic ab auctore profectum credo,

— Rhenique FEROCIS
Deseritis ripas, et apertum gentibus AMNEM.

Noster VIII, 424.

— *Vel Arctoum Dacis Rhenique catervis*
Imperii nudare latus.

Claudian. Bello Get. de Rheno. [427.]

Ut nec praesidiis nudato limite *tentet*
Expositum calcare solum; nec transeat amnem
Incustoditam metuens contingere ripam.

466. *Caesar, ut immensae collecto robore vires*
Audendi majora fidem fecere, per omnem
Spargitur Italiam, vicinaque moenia complet.]

Falsum hoc ex historia, *Caesarem,* ut primum vires collegerat, *per omnem Italiam sparsum fuisse:* pugnat etiam cum sequentibus. Quomodo enim vana fama, non vera erat; circa *Mevaniam* et fluvium *Narem alas ejus discurrere*, si jam *omnem Italiam* occupaverat? Quid, quod non nisi libro II, 439. etc. signa demum movet Caesar, et propinqua loca possidet, Auximum, Nuceriam, Asculum, Corfinium. Quomodo igitur jam nunc *per omnem* it *Italiam?* Quale porro sermonis genus, quam non feliciter audax, *Caesar spargitur per omnem Italiam? vires*, voluit, *copiaeque sparguntur*, at putabam ipsum, Actaeonis aut Pentheos instar, per frusta fuisse sparsum. Versus, opinor, proximus nobis opituletur,

Vana quoque ad veros accessit fama timores.

Cum enim QUOQUE legis et ACCESSIT, nonne illico subolet, aliquid de *non falso rumore*, de *fama non vana* necessario ante dictum fuisse? certe; et hoc potest fidem facere, sic a manu Auctoris sententiam profectam esse:

TERROR, *ut immensae collecto robore vires*
Audendi majora fidem fecere, per omnem
Spargitur Italiam, ROMANAQUE *moenia complet.*

Rumor spargitur, non ipse Caesar. Tacitus Annal. IV, 24. *Disperso rumore.* Hist. II, 96. *Falsos rumores dispersos.* Aen. VII, 144.

Diditur *hic subito Trojana per agmina* rumor.

Silius IV, 1.

Fama *per Ausoniae turbatas* spargitur *urbes.*

Irrupitque animos populi, clademque futuram
Intulit, et velox properantis nuntia belli
Innumeras solvit falsa in praeconia linguas.
Est qui, tauriferis ubi se Mevania campis
Explicat, audaces ruere in certamina turmas
Afferat, et qua Nar Tyberino illabitur amni

475. labitur. c.

Rumor etiam, non *Caesar*, *complet moenia*. Aen. XI, 140.

Et jam Fama *volans*, *tanti praenuntia luctus*,
Evandrum, *Evandrique domos et* moenia complet.

471. — *Clademque futuram Intulit*, *et velox*] *Velox nuntia* est ipsa *fama*; friget ergo sententia, et bis idem dicit, nisi repohas,

Intulit UT *velox*.

Ut, postquam, ut primum. BENTL.

Quomodo vani rumores *cladem futuram* INFERRE possint, videre plane non licet. Legendum crediderim,

clademque futuram
IMPULIT,

id est, rumor PROMOVIT *cladem futuram*; MAJOREM, PROPIOREM et MATURIOREM *videri eam cladem*, *in caussa fuit*. Unde *Famam* hic vocat *velocem nuntiam belli properantis*. Ea vis τῦ *impellere*. Sic *Lib*. V. *v*. 41.

Tollite signa, *duces*, *fatorum* IMPELLITE *cursum*.

sic *carinae* IMPELLI dicuntur *remis*, est, *promoveri Lib*. III. *v*. 527: et *fluvii* dicuntur IMPELLERE, id est, *propellere suas undas*, *Lib*. I. *v*. 213. Quin et IMPELLERE, id est, *propellere et loco suo movere aequora*, cum in mare se exonerant. Infra *Lib*. V. *v*. 437.

Sic stat iners Scythicas adstringens Bosporus undas,
Cum, *glacie retinente*, *fretum non* IMPULIT *Hister*;

sed exemplorum satis. JEV.

473. *Est qui*, *tauriferis ubi se Mevania campis*, *Explicat*.] Mevaniae tauri vetoribus nobilitati sunt. Silius VI, 647.

Et sedet ingentem pascens Mevania taurum
Dona Jovi.

Quid autem? an ut campi *herbiferi*, *turiferi*, *frugiferi*, *pomiferi*, qui scilicet ea *ferant*; sic et tauriferi dicentur, qui tauros *pascant*? Nusquam, praeterquam hic, hoc veri reperies; de Milone quidem Crotoniata *taurifer* facile ferrem, sed de *campis* dictum sane nollem, ne iidem et tauros ferant, et tauris pabula. Eliciant aliquid, quibus datum est: neque sinant hanc labem Lucano insidere.

Silius VIII, 456.

— *Laetis Mevania pratis*.

An hic corrigendum?

Est qui GRAMINEIS *ubi se Mevania campis*.

Iterum Silius VI, 217.

Cornea gramineum *persultans ungula* campum.

Virgil. Aen. V, 287.

— *Tendit* gramineum *in* campum.

Ovid. Amor. III, 5, 4.

Area gramineo *suberat viridissima* prato.

Barbaricas saevi discurrere Caesaris alas:
Ipsum omnes aquilas, collataque signa ferentem,
Agmine non uno, densisque incedere castris.

477. collectaque. b.

477. *Ipsum omnes aquilas, collataque signa ferentem,]* *Collata signa, Collata acies;* cum pugna scilicet et praelium committitur. Nihil frequentius occurrit, Aen. XI, 517.

Tu Tyrrhenam aciem collatis *excipe* signis.

Neque vero *collata in unum locum signa* intelligas; quippe agmine *non uno* incedebat. Placet quod Codex Trinitatis pro varia lectione affert, COGNATAQUE *signa*, *Cognata aquilis signa*, quae aquilas comitabantur. Una enim in singulis legionibus *aquila*, cetera ibi vexilla *signa* dicebantur. Inde passim reperies, *aquilas et signa.* Silius X, 391.

Non aquilae, non signa viris.

478. *Agmine non uno, densisque incedere castris.]* Quaenam sunt illa *densa castra?* vel quis sic locutus est? an *densa*, erunt arta castra, et non laxa; an frequentia, et parum inter se distantia? Utrumvis hic ineptum. Illud vero absurdum, *castris incedere:* credideram sane solitos eos *castris considere:* semper quidem *agmine incedebant*, nunc denso et conferto, nunc laxo et effuso. Livius X, 14. *Uterque Consul populabundus effuso agmine incedit.* Sed inauditum est, neque natura patitur quemquam castris *incessisse.* Quaerendum igitur aliquod verbum, quod ad *agmen* pertineat, vel in impedimentis sit. Caesar Bel. Gal. II, 19. *Consuetudine sua Caesar sex legiones expeditas ducebat, post eas totius exercitus impedimenta collocabat: inde duae legiones totum agmen claudebant:* Hirtius Gall. VIII, 8. *Agminis ordinem ita constituit ut legio VII, VIII, IX, ante omnia iret impedimenta, deinde omnium impedimentorum agmen cogeret legio XI.* Scripsit ergo poeta, ut opinor,

Agmine non uno, densisque incedere CARRIS.

Carrus, vehiculum Gallicum ad impedimenta portanda. Quid ergo aptius dici potuit, quam Caesarem e Gallia post annos decem et cum Gallicis auxiliis venientem *densis carris incedere?* Hirtius VIII, 14. Magna multitudo carrorum *etiam expeditos sequi Gallos consuevit.* Caesar I, 24. *Helvetii cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in unum locum contulerunt.* Quin et in Caesareis impedimentis *carri.* Bell. Civil. I, 51. *Venerunt ad Caesarem equites ex Gallia, cum multis* carris *magnisque impedimentis, ut fert Gallica consuetudo.* BENTL.

Aestuant in hoc loco interpretes. *Cel.* BURMANNUS se torquet diu nec expedit. BENTLEJUS *carris*, pro *castris* reponit. Frustra. *Κακῶ κόμματος* mihi videntur hi duo versus. Caussam accipe erudite Lector! Quis enim tam ineptum credat Lucanum, ut tam dissona conjungat, et dicat, eum OMNIBUS AQUILIS *et signis* IN UNUM *collatis*, tamen *non uno* agmine et *densis castris* incedere? et quid, quaeso, *incedere densis castris?* Quis ita unquam locutus fuerit? Praeterea, cum mox *v.* 481. dicat, *Caesarem sequi omnes ex Gallia et Germania barbaros, qui jussu ejus Romam spoliaturi essent*, quis

Nec, qualem meminere, vident: majorque, ferusque
Mentibus occurrit, victoque immanior hoste.
Hunc inter Rhenum populos Alpesque jacentes,
Finibus Arctois, patriaque a sede revulsos

479. ferox*que* b. c. 481. *T*unc b. c. Alpe*m*que b. d.

jam de densis illis castris hic somniasse putet poetam? Quae cum ita sint, his abjectis, integrum locum ita legendum esse censeo,

Est qui, tauriferis ubi se Mevania campis
Explicat, audaces ruere in certamina turmas
ADSERAT, *et, qua Nar Tiberino illabitur amni,*
Barbaricas saevi discurrere Caesaris alas.
Nec, qualem meminere, vident: majorque ferusque
Mentibus occurrit, VICTORQUE *immanior* HOSTE.

jam omnia cohaerent. Est qui ADSERAT *et pro certo affirmet, copias barbaricas saevi Caesaris jam Mevaniam transiisse, et mox Romam venturas. Nec iisdem oculis* MENTIS *Caesarem jam conspiciunt talem, qualis fuit,* HOSTEM *nempe* PATRIAE *judicatum*, sed VICTOREM, *Roma veluti jam capta*, HOSTE *immaniorem et Marii vel Syllae modo saeviturum.* Quis enim VICTUM HOSTEM dixerit *immanem?* *Victor* scripsit poeta, quemadmodum optime emendavit BARTHIUS *ad* STAT. *Lib.* X. *Theb. v.* 556. Infra *Lib.* II. *v.* 99.

Quis fuit ille dies, Marius quo moenia VICTOR
Corripuit! quantoque gradu mors saeva cucurrit!

Faveat nostris conatibus Fortuna, faxim, ut Lucanus tandem adeo ineptus videri desinat, et cum jucunditate legi sine ulla nausea possit!

PROPERTIUS suavissimus medelam rogat, leviter corruptus *Lib.* I. *Eleg.* XVI. fin.

Sic ego, nunc dominae vitiis et semper amantis
Fletibus, aeterna differor invidia.

Ita vulgo legitur. Sed legendum *alterna.* Praecessit enim *semper.* Nunc, inquit janua, semper dehonestari mihi contingit per vices, partim lascivia et impudentia dominae inhabitantis has aedes, partim exclusorum amantium lacrimis et querelis. *Alterna me usque differunt invidia, hinc mores turpissimae dominae, hinc amantium convitia et querelae.* Sed ad Lucanum jam redeamus.

JEV.

479. —*Majorque ferusque Mentibus occurrit,*] Harleianus cum aliis recentioribus FEROXQUE. Placet et per se, et quoniam versu mox quarto habemus *Feris e gentibus.*

481. *Hunc inter Rhenum populos Alpesque jacentes.*] Colbertinus prior *Nunc* cum editione Veneta; ceteri omnes cum Romana *Tunc*, id est insuper, praeterea: *Alpem*, concinnius hic quam *Alpes*, Priscianus p. 757. *Alpis*, ait, *singulariter invenitur a poetis prolatum, et in* EM *terminans accusativum* ALPEM. *Lucanus in* I. *Tunc inter Rhenum populos Alpemque jacentes.* Sic alibi III, 299. *Nubiferam Alpem*, et I, 688. *Alpis nubiferae colles.* Juvenalis X, 152. *Opposuit natura Alpemque nivemque.*

482. *Patriaque a sede*] Omnes

Pone sequi, jussamque feris a gentibus Urbem,
Romano spectante, rapi. sic quisque pavendo
Dat vires famae: nulloque auctore malorum,
Quae finxere, timent. nec solum vulgus inani
Percussum terrore pavet: sed curia, et ipsi
Sedibus exiliere Patres, invisaque belli

487. Perculsum d. 488. Exsiluere d.

Interpretes sicco haec pede transeunt veluti sana et integra. Timeo vero et timorem dissimulare nolo. Nam *patria* illa *sedes* mihi neutiquam placet. Omnes quippe populi, qui Caesarem sequebantur, *a patria sede revulsi* dici possunt, GALLI, GERMANI etc. Credo vocem illam *patria* originem suam glossae debere, et non sine veri specie affirmare posse mihi videor, dedisse Auctorem,

Finibus Arctois BOREAEQUE *ab sede revulsos*
Pone sequi.

ad illa *Finibus Arctois*, glossator in margine adscripserat: ARCTOS *enim* BOREAE *patria.* Unde *patria* in textum postea irrepsit. Sic LUCANUS *Lib.* II. *v.* 51.

Fundat ab extremo flavos AQUILONE *Suevos*
ALBIS *et indomitum* RHENI *caput;*

ex quo loco etiam patet, hic pro *Alpemque* legendum esse ALBIMQUE, id est Gallos et Germanos inter duos fluvios Albim et Rhenum habitantes. STATIUS *Lib.* III. *Theb. v.* 287.

ah! mea quanto
Sithonia mallem nupsisset virgo sub ARCTO
Trans BOREAN *Thracasque tuos!*

Sua sese evidentia probat haec emendatio. JEV.

488. — *Invisaque belli Consulibus fugiens mandat decreta Senatus.]* Cur sodes *invisa*, quae sponte et priores decreverunt, Caesare conditiones ferente? Scripsit Auctor,

— INJUSSAQUE *belli*
Consulibus fugiens mandat decreta Senatus.

Hoc est senatus prae metu aufugiens, non ipse jussit bellum, sed mandavit Consulibus jubendum. Noster V, 21.

Cunctaque jussuri *primum hoc decernite Patres.*

Claudian. I, Stilich. 324.

Hoc quoque non parva fas est cum laude relinqui,
Quod non ante fretis exercitus adstitit ultor,
Ordine quam prisco censeret bella Senatus.
Neglectum Stilicho per tot jam saecula morem
Rettulit, ut ducibus mandarent praelia Patres.

BENTL.

Nescio quomodo vulgata lectio hic mihi non satisfacit. Nam quid sibi volunt ista *sedibus exsiluere patres?* an prae timore exsiluerint de sellis suis curulibus? Quid vero? an CURIA non sunt Senatores? et cur *invisa* belli decreta dicantur, nullam necessitatem video. Haec quoque caussa videtur, cur BENTLEJUS emendaverit INJUSSA, *quia senatus prae metu*, ut ait, *fugiens non*

jussit bellum, sed mandavit Consulibus jubendum. Bentlejus tamen hic censuram meretur; si enim senatus mandasset bellum *Consulibus* jubendum, rogatum vellem maximum virum, cui consules igitur hoc jusserint. Quid multa? Crediderim Auctorem nobis dedisse,

nec solum vulgus inani
Percussum terrore pavet, sed curia et ipsa.
Moenibus excessere *patres,* invitaque *belli*
Consulibus fugiens mandat decreta senatus.

Non solum vulgus pavet, sed et ipsa curia et senatores. Patres excessere moenibus, et fugiens senatus mandat consulibus invita decreta belli. *Moenibus excessere* fugienti senatui magis convenit, quam *exsiluere sedibus.* Invita belli decreta vocat, ipsis *per vim* a Pompejo et Pompejanis, quorum pars major, *extorta.* Sed nondum ad liquidum deductus videtur hic locus, quare ampliandum censeo, ut et de aliis locis, quae jam intacta transmisi, donec major lux affulgeat.

Nunc Propertius me blande rogat, ut ipsi succurram, misere corrupto *Lib.* I. *Eleg.* IV. *v.* 23.

Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer, qualis ubique, lapis.
Non ullo gravius tentatur Cynthia damno,
Quam sibi cum rapto cessat amore Deus.

ultimo horum versuum, nisi fallor, Deus fuerit Amor. Quid igitur dicendum? *an Amor cessat amore rapto?* Nugae germanae! Sed ita non balbutivit poeta lepidissimus. Culpa est librariorum. Vide an non nativas spiret elegantias Propertius, si legas,

Nullas illa piis *contemnet fletibus aras,*
Scit, *quicumque sacer, qualis ubique, lapis.*
Non ullo gravius tentatur Cynthia damno,
Quam sibi cum rapto cessat amore torus.

[Heinsius in notis ad hunc locum *non sparget* vel *non tinguet* legi volebat. *Ex Addend.*] In luctu Romani ad omnes aras supplicare solebant, etiam *ad lapides terminales.* Lucan. *Lib.* II. *v.* 35.

Et nullis *defuit* aris
Invidiam factura parens.

Tibull. *Lib.* I. *Eleg.* I. *v.* 15.

Nam veneror, seu stipes *habet* desertus in agris,
Seu vetus *in trivio florea serta* lapis.

piis fletibus id est *supplicationibus.* Vulgata nihil venustatis habet. *Scit lapis sacer* pro *et,* ut adfirmative enunciet. *Omnis terminus,* inquit, *hoc scit, qui eam saepe supplicantem audiit.* Eleganter vero torus cessare dicitur rapto amante, id est *solam cubare Cynthiam, amatore sibi abrepto.* Soli enim *non libenter cubant amantes; puellae* praesertim. Sic *Lib.* I. *Eleg.* XIII. *v.* 2.

Quod abrepto *solus* amore *vacem.*

Lib. II. *Eleg.* 17, 6.

Tu nimium credula, sola *jaces.*

et *Lib.* II. *Eleg.* XXIV. *v.* 41.

Nulla tamen lecto recipit se sola *libenter;*
Est quiddam, quod vos quaerere cogat amor.

amor pro *amante* tralatitium et frequens Propertio.

Jev.

Consulibus fugiens mandat decreta Senatus.
Tum quae tuta petant, et quae metuenda relinquant,
Incerti, quo quemque fugae tulit impetus, urgent

490. Tanc. b. c; in b ex *m* correctum est ab eadem manu. 491. urget b. c. d.

490. *Tum quae tuta petant,]* Haec admodum contorta et intricata, ut Oedipo indigere videantur. Observat tamen Scholiastes: *Notandus est iste versiculus; pulchram enim constructionem habet cum lepido sensu.* In vulgata vero frustra aliquis haec quaesiverit. Addit dein: *tuta enim in dubiis rebus loca necessaria erant, et metuenda maxime vitabant. Sed nec tuta illis erant ad confugium, nec metuenda, quae fugerent. Caesarem enim ubique metuebant.* Crediderim legendum esse, *Caesarem enim* INIQUE *metuebant;* quia praecessit, *nec metuenda, quae fugerent.* Confirmant sententiam nostram, quae sequuntur:

Credas aut tecta nefandas
Corripuisse faces, aut jam quatiente ruina
Nutantes pendere domos.

ex Scholiaste aliquid lucis affulget, adeoque conjicio, locum hunc desperatum hoc modo commode posse legi et explicari:

Tum QUA *tuta petant, et* QUA *metuenda relinquant,*
Incerti, quo quemque fugae tulit impetus, urguent
Praecipitem PASSUM, *serieque haerentia longa*
Agmina prorumpunt.

QUA, id est *ubi* vel *qua ratione;* quod probari opus non est. *Urguent praecipitem* PASSUM, id est *citato passu fugam urguent et fugiunt. Populum* enim nauci est. *Passus praeceps* est *effusus, celer* et *citatus.* Sic *Lib.* IV. *v.* 271.

Ut EFFUSO *Caesar decurrere* PASSU
Vidit, et ad certam devotos tendere mortem.

CITATO PASSU dixit SENECA *Hippol.* 1001. [997.]

Ut profugus urbem liquit infesto gradu,
Celerem CITATIS PASSIBUS *cursum explicans.*

urguere autem *praecipites passus* dixit imitatione NASONIS, qui ita *urguere iter* dixit *Lib.* VI. *Fast. v.* 520.

Appulerat ripae vaccas Oetaeus Iberas;
Audit, et ad vocem CONCITUS URGUET ITER.

pplm vero et *pssm* in MSS. facile confundi possunt. Sic, nisi fallor, omnia plana et nihil erit, quod vel lectorem moretur, vel genio Lucani sit indignum. Mox, *v.* 496. cum BENTLEIO scribendum *ancipiti gradu*, vel forte ibi legendum *ancipiti lymphata metu*, id est *dubio pavore, veluti* TERRORE PANICO *percussa,* quod voci *lymphata* melius convenire videtur. Codices nil mutant. *Lymphatum metum* tamen dixit LUCAN. *Lib.* VII. *v.* 186. uti vulgo exhibetur,

Quid mirum, populos, quos lux extrema manebat,
LYMPHATO *trepidasse* METU?

ubi forte cum Voss. pr. aliisque praestaret legi *Lymphatos.* Sed desino, conjecturam proposuisse contentus. JEV.

491. — *Urgent Praecipitem populum,]* Quale vero illud, *ur-*

Praecipitem populum, serieque haerentia longa
Agmina prorumpunt. credas aut tecta nefandas
Corripuisse faces, aut jam quatiente ruina
Nutantes pendere domos. sic turba per urbem
Praecipiti lymphata gradu, velut, unica rebus
Spes foret afflictis patrios excedere muros,
Inconsulta ruit. qualis cum turbidus Auster
Reppulit a Libycis immensum Syrtibus aequor,
Fractaque veliferi sonuerunt pondera mali,
Desilit in fluctus deserta puppe magister,
Navitaque, et nondum sparsa compage carinae,
Naufragium sibi quisque facit: sic urbe relicta

495. dom*us* d. 501. *p*upe c. *p* a man. sec. ex alia litera correctum est; infra ad marginem legitur signo notatum *pupe*.

gent praecipitem populum? quippe inter urgentes illos *vulgus* est, v. 486. et *turba*, v. 495. Ergo vulgus et turba urgent populum. Placetne hoc? an pro populum legamus CURSUM? Ceterum *agmina prorumpunt* casu recto accipiendum, sed rectius casu patrio; modo sic corrigas:

— serieque haerentia longa
Agmina PERRUMPUNT.

Noster III, 116. in re simili.

— Rapit gressus, et Caesaris
agmina rumpens.

496. *Praecipiti lymphata gradu,]* Quarto abhinc versu habuimus, *Praecipitem populum,* atque utrobique in eadem sede versus. Reponimus igitur:

ANCIPITI *lymphata gradu.*

Valer. Flaccus III, 46.

— Deus ancipitem lymphaverat urbem.

Proprium est lymphatorum, ultro citro, horsum istorsum, incerto gradu ire. *Feror huc illuc ut plena deo.*

498. — *Qualis cum turbidus Auster Reppulit a Libycis immensum Syrtibus aequor,]* Quomodo autem hoc aequor prae aliis *immensum?* Homero, si vis, condones ejusmodi epitheta: Lucanus tamen sine laude veniam aspernatur, ille sine dubio scripsit,

Reppulit a Libycis INVERSUM
Syrtibus aequor.

Non vagum hoc verbum erit, sed loco cognatum: ideo *inversum,* quia ab austro pulsum et ab imis sedibus erectum. Horat. Epod. X, 5.

Niger rudentes eurus, INVERSO
MARI
Fractosque remos differat.

503. — *Sic urbe relicta In bellum fugitur.]* Supra 495. habuimus, *sic turba per* URBEM *Inconsulta ruit*, et mox infra 508. habebimus, URBIS *amatae*

In bellum fugitur. nullum jam languidus aevo
Evaluit revocare parens, conjuxve maritum

505. conju*nxque* b; in c. *n* a man. sec,

Plenus abit visu, quis ferat tertium hic inculcatam URBEM? quid si legamus,

Sic PACE *relicta In bellum fugitur.*

Vides antithesin ubique Nostro captatam. *Pace* autem eadem qua *urbe* sententia, quippe illic tuta pax, II, 348. Martia uxor ad Catonem,

Da mihi castra sequi; cur tuta in pace *relinquar?*

Hoc est, in URBE, cui *castra* illic opponuntur. BENTL.

BELLUM non fugiunt cives trepidantes, sed MORTEM. Putabant enim, Caesarem Marii Sullaeque more saeviturum. Inepte tamen dicuntur hic *fugere in bellum.* Sensisse incongruum sensum videtur BENTLEJUS, qui hinc corrigit,

Sic pace relicta
In bellum fugitur;

pulchra antithesi, sed (pace Viri Doctissimi dixerim) a mente poetae aliena. Lynceus quidem non sum, videor tamen mentem poetae cepisse. Lego igitur,

Sic urbe relicta
In FATUM *fugitur;*

id est IN MORTEM, *quam urbe relicta se effugere posse* sperabant. Sequitur enim haec *ἀπόδοσις* sponte ex praevia comparatione nautarum, qui, navo nondum fracta, in fluctus desiliunt et ut naufragium vitent sponte sibi naufragium faciunt. Probat hanc emendationem seu conjecturam ipse poeta *Lib.* VI. *v.* 293.

Caesaris ut miles, glomerato pulvere victus
Ante aciem, caeci trepidus sub nube timoris
Hostibus occurrit fugiens, INQUE IPSA *pavendo*
FATA *ruit.*

sic apud PHAEDRUM *Lib.* II. *Fab.* VIII, 6. *Cervus fugiens coeco timore ultro* AD NECEM CUCURRISSE dicitur. *Bellum, Ferrum, Fatum* in MSS. proxime conveniunt scripturae ratione, et saepe confundi solent. Sic *Lib.* VII. *v.* 345.

Extremum ferri superest opus;

ubi in Rotterd. pr. erat *belli* et in CORTII MS. etiam *fati*, ut ibidem notat *Cel.* BURMANNUS. JEV.

504. — *Nullum jam languidus aevo*
Evaluit revocare parens, conjuxve maritum
Fletibus, aut patrii, dubiae dum vota salutis
Conciperent, tenuere Lares:]

Tam a prava distinctione, quam a mendosis vocabulis laborat hic locus, difficilis sane emendatu. Colbertinus prior SALUTI; secundus SALUTIS, sed puncto supra infraque posito, quod signum delendo est. Idem et Puteaneus, et Codex Trinitatis CONCIPERET, hoc solum Librariis debebimus; reliqua divinanda sunt. Faciamus ergo periculum, non tam apicibus literarum adhaerentes, quanquam et istud, quam caventes ne quid tanta Poetae fama indignum exsculpamus; vide igitur haec,

— NON NATUM *languidus aevo*
Evaluit revocare parens, conjuxve maritum;
RITIBUS *aut* PATRIIS, *dubiae dum vota* SALUTI
CONCIPERET, *tenuere* LARES.

NON NATUM dedimus pro recepto *nullum jam:* quo enim referendum erat *nullum?* Parens *nullum maritum* flevit? an *nullum*

mortalium? Quorsum igitur *parens?* Sed ipse jam illepidum illud vides; porro RITIBUS PATRIIS non nimis a vulgato abscedunt FLETIBUS PATRII, sensu autem percommodo; notissimum est, peregre euntes redeuntesve Lares domesticos salutare solitos; nunc vota nuncupasse, nunc solvisse. *Ritibus patriis:* Cicero de legibus II, 8. *Ritus familiae patrumque servanto;* et paulo post, *ex patriis ritibus optima colunto.* SALUTI autem potius quam *salutis*, ut V, 450.

— Nova VOTA TIMORI
Sunt inventa novo.

CONCIPERET autem, *natus* scilicet vel *maritus*. compara jam haec cum vulgatis; illud modo observans, et non loco suo positum esse *τὸ fletibus*, et sententiam destituere, cur enim *fletibus* solis agebant *conjuges*, velut mutae et elingues? Quod si illae *fletibus;* cur silet, qua suadela *parentes* utebantur? BENTL.

Locus pessime affectus. Illud *jam* languidum versum efficit: *evaluit* barbarum, et e castiori latinitate proscribendum. [Huic meae sententiae obstare videtur VIRGIL. *Lib.* VII. *Aen. v.* 757.

Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum
EVALUIT, *neque eum juvere in vulnera cantus*
Somniferi etc.

item SABINUS *Epist.* III. *v.* 61.

Non tamen EVALUIT *vitare domestica tela.*

Verum utroque loco rescribendum jure putaverim similiter *heu valuit*, cum quia illa particula ibi merito desiderari videtur in commiseratione satis gravi, tum quia in Codd. *he valuit* et *evaluit* facili librariorum lapsu permutari potuere. *Valeo* enim omnem cum hac praepositione compositionem plane respuit, et quid *evalere* aliud significet in his locis quam simplex *valere*, aut quam energiam habeat, videre nequeo. Maneo igitur in eadem sententia. *Ex Addend.] Tenuere lares* incongrue dictum. *Natum non* conjiciebat *Cel.* BURMANNUS, ut et WITHOF. *in Encaen. Crit. p.* 22. BENTLEJUS pravam distinctionem et mendas agnoscit, et ex Colbert. Codice *saluti*, ex Cod. vero Trinitatis *conciperet* legens, ita locum refingit:

NON NATUM *languidus aevo*
Evaluit revocare parens conjuxve maritum;
RITIBUS *aut patriis*, DUBIAE *dum vota* SALUTI
CONCIPERET, *retinere Lares.*

Quod *de concipiendis saluti votis* dicit acutissimus Criticus, ejus sententiae subscribo. FLETIBUS in *ritibus patriis* mutatum probare nequeo. Age et nos in hoc loco levem conjecturam tentemus, certamque Poetae opem adferamus. Puto sic scripsisse Lucanum:

NON ULLUM *languidus aevo*
HEU! VALUIT *revocare parens, conjuxve* MORARI
Fletibus, aut patrii, dubiae dum vota saluti
CONCIPERET, RETINERE *Lares.*

Neminem vel senex parens *revocare*, vel conjux fletibus *remorari*, vel patrii Lares *retinere* potuerunt, dum vota pro salute sua et patriae conciperet. In Codd. scriptum fuerat *n̄ ullm*, unde cum *nullum* factum esset, fulciendo versui languidulum illud *jam* adjectum: mox, altero versu cum offendissent *c̄juxve m̄ri*, mentio *conjugis* librarios de MARITO cogitare jussit, sic ansa corrumpendo loco data, et hinc *retinere* in *tenuere* migravit. MORARI FLETIBUS eleganter uxor maritum hic dicitur. Sic MORARI *fortunam languore* dixit supra *v.* 393. Videas *κλίμακα* rhetorum in *revocare, morari, retinere*, Lucani argutas delicias! Ipse, credo, Poeta manum suam agnoscet. JEV.

Fletibus, aut patrii, dubiae dum vota salutis
Conciperent, tenuere Lares: nec limine quisquam
Haesit, et extremo tunc forsitan urbis amatae
Plenus abit visu: ruit irrevocabile vulgus.
O faciles dare summa Deos, eademque tueri
Difficiles! urbem populis, victisque frequentem
Gentibus, et generis, coeat si turba, capacem
Humani, facilem venturo Caesare praedam
Ignavae liquere manus. cum pressus ab hoste
Clauditur externis miles Romanus in oris,

515. *horis* b. c. d. ut fere semper in hoc vocabulo.

509. — *Ruit irrevocabile vulgus.*] Graviter hic peccavit Lucanus, si ita haeret ei haec macula, ut elui non possit. Est epiphonema et summa clausula totius narrationis; quae nisi aliquid arguti novique habeat, friget sordetque. Atqui v. 486. VULGUS pavore exanimatum erat, et 495. TURBA lymphata RUEBAT. cur rursus igitur hic VULGUS RUIT? Quid quod v. 487. CURIA, PATRES, SENATUS ex urbe fugiunt? an et hi, quod in clausula factum oportuit, VULGI nomine comprehendentur? Nec vero REVOCABILE nimis venuste hic repetitur; cum quarto abhinc versu vidimus, ut neminem evaluit REVOCARE nec parens nec conjunx. si ibi nemo *revocari* potest, quid hic novi, si *irrevocabilis* est? Quid jam agimus? si vulgata lectio displicere incipit, salva res erit. Quod nunc humi repit, metaphorae vi et virtute se eriget et enitescet. Quid si sic scripserit Lucanus:

Ruit IRREVOLUBILIS UNDA.

Unda est turba ac multitudo conferta hominum, eodem properantium.

Juven. III, 244.

— *Nobis properantibus obstat*
UNDA *prior: magno populus premit agmine lumbos*
Qui sequitur.

Virgil. Georg. II, 462.

Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit aedibus UNDAM.

Statius Theb. II, 223.

UNDA *fremit vulgi.*

Irrevolubilis; Horat. [Ep. I, 2, 43.]

Amnis, — *in omne volubilis aevum.*

Non hic modo, *revolubilis* mutatum est in *revocabilis*, sed in Senecae Her. Fur. 559.

Evincas utinam jura ferae Stygis,
Parcarumque colos non revocabiles.

Corrigendum vero:

Parcarumque colos non REVOLUBILES;

ut satis fidei faciet versus ibidem 182.

Durae peragunt pensa sorores
Nec sua retro fila revolvunt.

Ruit ergo *unda* populi *patrumque irrevolubilis*; id est, fugiunt ex urbe omnes hominum ordines numquam redituri.

Effugit exiguo nocturna pericula vallo:
Et subitus rapti munimine cespitis agger
Praebet securos intra tentoria somnos.
Tu tantum audito bellorum murmure, Roma,
Desereris; nox una tuis non credita muris.
Danda tamen venia est tantorum danda pavorum:
Pompeio fugiente timent. tum ne qua futuri
Spes saltem trepidas mentes levet, addita fati
Pejoris manifesta fides, Superique minaces,
Prodigiis terras implerunt, aethera, pontum.
Ignota obscurae viderunt sidera noctes,
Ardentemque polum flammis, coeloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi

519. *nomine* Rom. b. c. d. 520. non una — nox. c. 522. tu*nc* ne c. 526. noct*is* d.

528. — *Crinemque timendi Sideris, et terris mutantem regna cometen.]* Julius Scaliger in Hypercritico [VI, 6. p. 780.], *Vitium,* inquit, *illud, quo bis idem dicitur, tam est Lucano peculiare* (lege familiare), *ut paene sibi proprium fecerit. Nam quid aliud est quam cometes, crinemque timendi sideris, et terris mutantem regna cometen?* Haec Scaliger, et quod ille hic sugillat, ejusmodi est; ut si re vera ita scripsisset Auctor, nullo colore excusari possit. Sed levi declinatione Scaligeri telum effugiemus; nempe legendo COMETAE, nam, quemadmodum bis Tacitus *sidus cometes* dicit, ita simili epexegesi sive appositione Lucanus, *sideris cometae, timendi et terris regna mutantis.* Tacitus Annal. XIV, 22. *Inter quae et sidus cometes effulsit; de quo vulgi opinio est, tamquam mutationem regis portendat.* Ubi correctum velim REGNIS. Iterum Tacitus XV, 47. *Vis fulgurum non alias crebrior, et sidus cometes, sanguine illustri semper Neroni expiatum.* Ubi Grotius delere jubet τὸ *semper: Quasi vero,* inquit, *tam quotidianum sidus esset cometes, ut mos Neronis in eo expiando notari potuerit?* Recte quidem argumentatur; sed lapsus est in vocabulo. Retinendum enim τὸ *semper*, et tollendum τὸ *Neroni: Sanguine illustri semper expiatum*, nihil aliud est, quam illustrium virorum mortem semper portendens. Plin. Nat. Hist. II, 23. *Cometes, terrificum magna ex parte sidus, ac non leviter* PIATUM; *ut civili motu Octavio Consule, iterumque Pompeji et Caesaris bello.* BENTL.

BENTLEJUS, ut Lucanum a gravissima J. C. SCALIGERI censura et inepta simul ταυτολογίᾳ liberet, legit,

Et terris mutantis regna cometae.

Sed non opus est. Nam per

Sideris, et terris mutantem regna cometen.
Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno:
Et varias ignis denso dedit aere formas.
Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas
Emicuit coelo: tacitum sine nubibus ullis
Fulmen, et Arctois rapiens de partibus ignem,
Percussit Latiale caput: stellaeque minores
Per vacuum solitae noctis decurrere tempus,
In medium venere diem: cornuque coacto
Jam Phoebe toto fratrem cum redderet orbe,
Terrarum subita percussa expalluit umbra.

534. *e* part. b. c. 536. *dis*curr. c.

crinem tremendi sideris non *cometam cauda insignem*, sed simpliciter vel *crinitum*, vel *πωγωνίαν* sive *barbatum*, ut varia cometarum dantur species, intellexisse videtur. *Vid.* Plin. *H. N. Lib.* ii. *Cap.* xxv. Jev.

530. *Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno:]* Satis recte *micuerunt*, si per se solum aestimetur: sed cum versu mox tertio rursus habeas, *emicuit fulmen:* statim scias alterutrum ex his in vitio cubare; scripsisse auctorem puto,

Fulgura fallaci ceciderunt *crebra sereno.*

Virg. Georg. i, 486.

Non alias coeli ceciderunt *plura sereno*
Fulgura.

531. *Et varias ignis denso dedit aere formas.] Denso aere*, cum Lucanus perpetuo Stoicum agit, tum hic ex suae sectae doctrina loquitur. Seneca Quaest. Natur. vii, 21. *Placet ergo nostris Stoicis, cometas, sicut faces, sicut turbas trabesque, et alia ostenta caeli* denso aere *creari. Ideo circa septentrionem frequentissime apparent, quia illic plurimum est* aeris pigri. Quintus Cicero, Stoicus, de Divinatione i, 42. *Etrusci*, ait, *quod propter* aeris crassitudinem *de coelo apud eos multa fiebant, ostentorum exercitatissimi interpretes exstiterunt.*

532. *Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas Emicuit coelo:]* Distinctio prava, per omnes editiones retenta, loci hujus sententiam conturbavit et corrupit. *Jaculum* scilicet et *lampas* emicuit coelo.

Tu vero sic interpunge:

Et varias ignis denso dedit aere formas,
Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas.
Emicuit caelo tacitum sine nubibus ullis
Fulmen, etc.

Variae nempe *formae* sunt *jaculum* et *lampas:* et *Emicuit fulmen*, ut supra v. 151.

535. — *Arctois rapiens de partibus ignem Percussit Latiale caput:]* Colbertinus primus latiare. Vide supra v. 198.

Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coegit
Desperare diem: qualem fugiente per ortus

540. tyt. med. c. *y* in hac voce fere semper; sed in *Olympo* i pro y.

542. — *Gentesque coegit Desperare diem:]* Hinc Statius Theb. IV, 284.

— et occiduum longe Titana
secuti
Desperare diem.

543. — *Qualem fugiente]* Codices nihil mutant. Puto tamen Lucanum nobis reliquisse TALEM. Non enim hic adeo comparationem instituere voluisse videtur, sed eclipsin solarem, quam accidisse narrat, tam gravem exhibere, ut medio die tam spissae essent tenebrae, ut finem seculorum exspectarent homines. Quare, si Codex aliquis addiceret, distinctione mutata legerem,

Ipse caput medio Titan cum
ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris,
gentesque coegit
Desperare diem. Talem, fugiente per ortus
Sole, Thyesteae noctem duxere Mycenae!

Ast haec conjectura esto!

Nunc, cum vacat, CLAUDIANI memor ero, qui corruptus est *Lib.* IV. *Cons. Honor. v.* 10.

Lictori cedunt aquilae, ridet-
que togatus
Miles, et in mediis effulget
curia castris.

Quid hoc portenti? *togatus miles?* cedo, si quis Romanorum togatum in castris militem vidisset, nonne haruspices consuluisset? SAGO non TOGA in castris utebantur. Lege idoneo sponsore, si mihi critica favet,

Lictori cedunt aquilae, ridet-
que togatus
PRAETOR, *et in mediis efful-*
get curia castris.

Dux enim Consul factus PRO SAGO TOGAM sumebat. Haec caussa ridendi! idem mendum eluendum in *Cons. Mall. v.* 9.

Docuit toties a rure profe-
ctus
PRAETOR, *et in mediis quaesitus Consul aratris;*

vulgo *Lictor* ibi circumfertur. *Ductor* vel *victor* reponi volebat Cel. Burmannus. Hanc meam conjecturam olim cum aliis in Claudianum observationibus cum Cel. P. Burmanno Secundo communicavi. Hae vero voces initio versuum, extrita priore majuscula litera, facile confundi possunt.

PROPERTIUS quoque jure suo medicinam poscit *Lib.* I. *Eleg.* V. *v.* 5.

Et miser ignotos vestigia fer-
re per ignes,
Et bibere e tota toxica Thes-
salia;

illi *ignoti ignes* mihi non placent, et similiter, credo, nulli eruditorum placere poterunt; et quid illud *miser* huc faciat, videre nequeo, nam *infelix* jam praecesserat. Legendum suspicor,

Et CINERI INGESTOS *vestigia*
ferre per ignes,
Et bibere HEU NOTAE *toxica*
Thessaliae;

Sole Thyesteae noctem duxere Mycenae.
Ora ferox Siculae laxavit Mulciber Aetnae;
Nec tulit in coelum flammas, sed vertice prono
Ignis in Hesperium cecidit latus. atra Charybdis
Sanguineum fundo torsit mare. flebile saevi

545. *ethne* c, qui fere semper *th* in h. v. habet.

ferre vestigia per ignes cineri ingestos dixit, ut HORAT. *Lib.* II. *Od.* 1. *v.* 7.

incedis per ignes
Suppositos cineri doloso;

proprie *ingerere* notat *injicere, spargere, injiciendo tegere.* Ita *ingerere thura focis,* dixit SENECA *in Oedip. v.* 306.

Jam THURA *sacris coelitum* INGESSI FOCIS.

LUCANUS *Lib.* II. *v.* 336. de Marcia,

cineresque INGESTA *sepulcri;*

tecta et respersa cineribus. SENECA *in Medea v.* 824. hinc corrigendus venit,

Dedit et tenui PULVERE *tectos*
Mulciber ignes.

Ita lego pro vulgato *sulphure. Ignes nempe e camino Vulcani* TENUI, id est, *invisibili* CINERE *tectos.* Nam *sulphure ignem tegi* quis umquam audivit? facilis vero est librariorum lapsus ex *ciner Ingsts,* quod non capiebant, *mser ignts* concinnantium. Pro *e tota*, quod ineptum (nam totius Thessaliae venena qui bibere posset!) reposui *heu notae*, id est *venenis celebratae.* *Notus* enim *nobilis* huic poetae. *Lib.* I. *El.* XVI. *v.* 2.

Janua Tarpejae NOTA *pudicitiae;*

et *Lib.* II. *Eleg.* IV. *v.* 6.

Quae fieri nostro carmine NOTA *velit;*

de *heu* vix opus est monere, qua particula frequenter tali modo utitur Propertius. Vid. *Lib.* I. *Eleg.* IV. *v.* 22.

Et te circum omnes alias irata puellas
Differet: HEU *nullo limine carus eris.*

Lib. II. *Eleg.* IX. *v.* 15.

Evolat HEU *quoniam nostro de pectore nusquam.*
JEV.

548. — *Flebile saevi Latravere canes.]* Neque *saevi canes* per se Scyllaeos canes significent, quamvis et hi saevi. Neque tum recte *saevi* dicantur, cum latrant *flebile;* ejulare et saevire inter se pugnant, nec una possunt concurrere; forsan scripserit Auctor,

Flebile LAEVI *latravere canes.*

Cum *Charybdin* antea nominasset, Scyllaeos canes *a laeva* Charybdios designat. Virg. quidem contra Aen. III, 420.

Dextram Scylla latus, laevum implicata Charybdis
Obsidet.

At hoc in Epiro Helenus narrat, cui tum a dextra erat Scylla: Romae vero degenti Lucano eadem erat a laeva. Ut Seneca in epistola XIV. *Cum peteres Siciliam, trajecisti fretum: gubernator non sinistrum petit litus* (Scyllam scilicet) *sed id quo propior Charybdis maria convolvit.* An *seri,* id est nocturni?

Latravere canes. Vestali raptus ab ara
Ignis, et ostendens confectas flamma Latinas

549. *Vestali raptus ab ara]* Nemo Interpretum, quod sciam, hunc locum mendae suspectum postulavit. Corruptus et lacer tamen mihi videtur, nec quidem sine ratione. Cedo enim vero, *ignis ab ara vestali raptus* ut intelligatur, an non dictum oportuit, a quo et quomodo raptus esset? RAPTUS enim *exstinctum* notare non potest. *Ignis* vero et *flamma* uno in versu ridicule ut diversa jungentur? Non videtur hoc ita ab Lucano profectum. Scholiastes quoque turbat, qui *perditas ferias* explicat, adeoque *infectas* legisse videtur. Quod si mihi jam divinare liceat, legerim libens hoc modo,

Vestali LAPSUS *ab ara*
ANGUIS, *et* INFESTAS PORTENDENS *flamma Latinas*
Scinditur in partes.

Lapsus ab ara anguis prodigium erat freqnens apud Romanos. Vid. JUL. OBSEQ. *de Prod. Cap.* CII. et CVII. LIVIUS *Lib.* XXV. *Cap.* XVI. FLAMMA vero in sacro FERIARUM LATINARUM sollemni in partes geminas discedens HOSTILIA denunciare, bellum civile ominari et FATALES has ferias Urbi et Romanis portendere videbatur. *Infesta* enim in sacris *hostilia.* Vid. *not. Doctorum ad h. Lib. v.* 622.

FIBRASQUE MINACES
HOSTILI *de parte videt.*

Si quis *infectas* tueri velit, explicet *irritas, victima non litante*, quod mali ominis erat. Infra *v.* 632.

neque enim tibi, summe, litavi,
Jupiter, hoc sacrum.

Judicent eruditi.

HORATIUM leviter corruptum in transitu emendare juvat. *Lib.* I. *Od.* XXII. *v.* 13.

Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit esculetis.

MSS. omnes hic vel *Daunias* vel *Daunia* exhibent, omissa praepositione. Bentlejus de hac voce multa erudite et timide disputat, et NIC. HEINSII lectionem expendit: tandemque eo inclinat, ut dicat, sua quidem sententia, liberum esse cuique vel vulgatam retinere, vel cum HEINSIO et plerisque MSS. *Daunias* legere. Sed, pace tantorum Virorum dictum hoc sit, male ita legitur; nulla enim regio *Daunia* vel *Daunias* cognita fuit. *Daunia* sua natura adjectivum est ab urbe Dauno, unde HORAT. *Lib.* II. *Od.* I. *v.* 34. *Daunias caedes.* et *Lib.* IV. *Od.* VI. *v.* 27. *Dauniam Camoenam* dixit. *Daunia* dicitur *regio* APPULIAE, vel a *Dauno Illyrico*, qui patria profugus eam cum suis sociis occupavit, uti FESTUS *in h. v.* testatur; vel ab urbe *Dauno* vel *Daunio*, unde gentile nomen *Daunius*, ut STEPH. BYZANTINUS scribit. DAUNUS igitur vel DAUNIUM urbs fuit Appuliae, in qua regnum obtinuit Daunus ille antiquus, qui eam ita a suo nomine forte vocaverat. Doctissimus THOM. DE PINEDO ad d. l. STEPHANI observat, neminem veterum DAUNIUM dixisse *Appuliae urbem:* verum refellitur ipso Virgilio, quem citat *Lib.* X. *v.* 688.

Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem;

nam *antiqua urbs Dauni patris* manifesto est *Daunus* vel *Daunium*, urbs a Dauno fundata! Hoc ita vere se habere, locuples testis ipse HORATIUS *Lib.* III. *Od.* XXX. *v.* 11.

Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,
Thebanos imitata rogos. tum cardine tellus
Subsedit, veteremque jugis nutantibus Alpes
Discussere nivem. Tethys majoribus undis
Hesperiam Calpen, summumque implevit Atlanta,

552. tunc card. b.

Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum.

DAUNUM *urbem* hic intellige, quam *pauperem aquae* recte vocat, quippe *in siticulosa Appulia sitam Epod.* III. *v.* 16. Quis enim adeo demens, ut HOMINEM *pauperem aquae* vocet et quidem REGEM? Siticulosa illa urbs igitur CAPUT regni Appuliae fuit, unde dicit eam *regnavisse agrestium populorum*, per Graecismum pro *agrestibus populis*, id est, *sedem regni Appulorum fuisse.* Quin et *Daunium* urbem agnovisse Horatium, ne mirere Lector! Ecce *Lib.* IV. *Od.* XIV. *v.* 26. testimonium, omni exceptione majus:

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qua regna Dauni praefluit Appuli,
Cum saevit horrendamque cultis
Diluviem minitatur agris.

Dauni pro *Daunii* lego, a recto *Daunium. Daunus* enim, urbis conditor, intelligi hic nequit, nam is ex Illyrico venit, adeoque *Appulus* vocari non potest: neque urbs *Daunus* ipsa erit, tum enim *Appulae* legendum foret. Sed *Daunium* neutro genere agnovit hic Horatius, qui hoc oppidum ideo *Appulum* vocat, ut distinguat ab alio *Daunio,* oppidulo Thraciae, ut STEPH. BYZANTINUS voluisse videtur, qui per τεῖχος Θρᾴκης URBEM notat. Quare his visis jam Horatio restituamus suam manum, et levissima mutatione legamus:

Quale portentum neque militaris
DAUNIUS *latis* AGIT *esculetis.*

Qualem lupum APPULI *in esculetis suis numquam* VENARI *solent.* AGERE *feras* pro *venari,* dixit SENEC. *in Hippol.* 52.

Tu praecipites clamore feras
Subsessor AGES.

HORAT. *Epod.* VI. *v.* 7.

AGAM *per altas aure sublata nives,*
Quaecumque praecedet fera.

Daunium vero hic *militarem* vocavit, uti *Lib.* II. *Od.* XI, 1. *bellicosum* dixit *Cantabrum.*

JEV.

555. — *Tethys majoribus undis Hesperiam Calpen, summumque implevit Atlanta.]* Nempe omina et ostenta hic narrat, quae bellum civile dirosque ejus exitus praedicebant. In his prodigiis unum hoc est, Oceanum sic intumuisse, ut *montem Atlantem* SUMMUM impleret. Hui! quid ergo obstabat, *grave ne rediret saeculum Pyrrhae;* quo tamen SUMMUS Parnassus non tegebatur diluvio. Sed facile erat illud SUMMUM aspernari, et ipsius antitheti vi et venustate MAURUM adsciscere: Hesperiam Calpen, Atlanta Maurum; utrumque a regione dictum, nam *Hesperia* hic *Hispanica* est. Claudian. VI, Honor. 104. *Maurusius Atlas.* Sed haud scio an et aliud restet mendum: quippe cum *Calpen* hic videas, vide an longe quaerenda sit *Abyla,* quae juncta fere cum

Calpe memoratur, utraque columnae Herculis dictae, et an reponendum:

Hesperiam Calpen, Maurumque implevit Abylam.

Mela I, 5. *Ab Atlantico oceano in nostrum mare pergentibus, laeva Hispania, Maur tania dextra est. — Deinde est mons praealtus, ei quem ex adverso Hispania attollit objectus; hunc* ABYLAM, *illum* CALPEN *vocant, columnas Herculis utrumque.* Plinius Hist. III, 1. *Proximis autem* (oceani Atlantici) *faucibus utrumque impositi montes coercent claustra;* ABYLA *Africae, Europae* CALPE, *laborum Herculis metae.* Avienus in Orbe Terrae [v. 103. sqq.]:

Et primum ruptas se pontus Ibericus illinc
Inserit in terras: caput autem principiumque
Europae et Libyae est: mediis infunditur oris,
Inrepitque salum: scopuli stant ardui utrinque;
Unus in Europam, Libyam procul aspicit alter.
Sic deserta freto procera cacumina celsis
Emicuere jugis, sic intrant saxa profundum,
Sic subeunt nubes, sic caelum vertice fulcit
MAURA ABYLA, *et dorso consurgit* IBERICA CALPE.

Idem in Ora maritima; [*v.* 86.]

Hic sunt columnae pertinacis Herculis,
ABYLA *atque* CALPE.

Et iterum; [*v.* 342.]

Hic Herculanae stant columnae, quas modum
Utriusque habere continentis legimus,
ABYLA *atque* CALPE: CALPE *in* HISPANO *solo,*
MAURUSIORUM *est* ABYLA.

Neque vero deterreat, quod Avienus, tam in hexametro quam iambo *Abyla* corripit, secunda brevi: sic enim solet corripere, quae ab aliis omnibus producuntur: [Orb. Terr. 645.]

In matutinos Pachynos *producitur ortus.*

[ib. 693.]

Alcinoique domus pandetur Corcyra *rursum,*
Sestus ubi atque Abydus *parvo sale discernuntur.*

Illud certe indicio est, *Abylam* producta media solitam efferri; quod quidam pro *Abyla* montem eum *Abinnam* vocarent. Solinus c. XXIV. *Oceanus ab occasu solis irrumpens, laevo latere Europam radit, Africam dextro, scissisque* CALPE *et* ABINNA *montibus, quas dicunt columnas Herculis, inter* MAUROS *funditur et* HISPANIAM. Sic ibi codices omnes teste Salmasio. Martianus Capella Lib. VI. [c. 10. de divis. terr. p. 201. ed. Grot.] *Nam Europa a* CALPE, *Africa ab* AETHNA *monte despicitur, qui utrinque prominentes dici columnae Herculis meruerunt.* Sic locus in scriptis fertur: *Aethna*, ut liquet, pro ABINNA. Lucius Ampelius [cap. 7.], *Mare Atlanticum intrat in fretum Gaditanum, inter duos montes clarissimos* ABINNAM *atque* CALPEN *ob impositas Herculis columnas.* Vide Eustathium ad Dionysium v. 64. *στήλη Λιβυκὴ κατὰ Βαρβάρους ABENNA καλουμένη, columna Lybica Barbaris* ABENNA *appellata.* Philostratus in Apollonio v, 1. de columnis Herculis loquens; *Africae*, inquit, *ὄνομα Ἄβιννα, nomen est Abinna, Europaeae autem, Κάλπις Calpis.* Jam ergo si Abinna et pari syllabae productione Abyla, quis dubitet quin recte et legitime scripsisse potuerit Lucanus,

— MAURUMQUE *implevit* ABYLAM.

Ideo autem *implevit*, quia montes illi miro exesi et concavi.

Mela II, 6. *Columnae Herculis* ABYLA et CALPE; *uterque quidem, sed Calpe magis, et paene totus in mare prominens: is mirum in modum concavus medium fere latus aperit.* Priscianus p. 732. *Illud*, inquit, *miror, quod Juvenalis Calpe ablativum corripuit* (XIV, 279. *Sed longe Calpe relicta) cum sit simile hoc nomen, Penelope, Calliope. Lucanus in* I. *Thebis* (MS. Thetis) *majoribus undis Hesperiam Calpen Summumque implevit Atlanta.* Vides quam vetustum mendum sit illud SUMMUM; ut saepe alibi, Magister ille vitiosos in Lucano citando codices secutus est, sed codex optimus Cantabrigiensis pro *Implevit*, habet *Impulit.* Unde adhuc corrigendum videtur:

> *Hesperiam Calpen;* MAURAMQUE IMPELLIT ABYLAM.

Mutat enim Auctor tempora saepe in hac narratione, ut *v.* 551. *Scinditur*, 565. *Vulgantur*, 572. *Diffugiunt.* Utrivis lectioni, seu *implevit* sive *impellit*, patrocinatur Claudianus Proserp. II, 181.

> — *Neptunus cuspide montes*
> *Impulit adversos,*

et Silius v, 395.

> *Ceu pater Oceanus cum saeva Tethye Calpen*
> *Herculeam* ferit, *atque exesi in viscera montis*
> *Contortum pelagus latrantibus* ingerit *undis:*
> *Dant gemitum scopuli.*

Ferit, perinde est ac *impellit; ingerit* ac *implevit.* Sed quid illud est, *Oceanus ferit Calpen saeva Tethye?* Certe enim *cum* conjunctio hic est, non praepositio. An ferit conjuge sua Tethye quasi telo? nollem sane hanc *praestantissimam restitutionem* appellasset acutissimus Heinsius, quam et apud Silium inculcat, et apud Nasonem Metam. VII, 296.

> — *petit hoc a* Tethye *munus,*

Atqui priores editi, *a Colchide* habent: et sic series narrationis plane flagitat: firmant quoque Lactantius in argumento ejus fabulae VII, 3. et Hyginus Fab. 182. qui clare dicunt Bacchum a *Medea* petisse id munus, non a *Tethye.* Unde vero *a Tethye?* Nimirum vetustiores Codices ibi habent, *Ab aethide, A theide, A cetide, A ethide, A thetide.* Inde promptum erat restituere a *Tethye.* Reponendum erat,

> — *petit hoc* AEETIDA *munus.*

Aeetis et Aeetiae patronymica sunt Medeae cognomina a patre Aeeta. Ceterum et in Silio vetustae membranae habent, *cum* saevo *Sub aethere Calpen;* aut *saevae cetre*, aut *saeva cethye;* repono,

> *Ceu pater Oceanus cum saeva* CUSPIDE *Calpen*
> *Herculeam ferit.*

Cuspide est *tridente.* Denique et excusatur Juvenalis, cum Calpe ultima brevi dixit casu ablativo: nempe non a recto *Calpe* deduxit, sed a *Calpis;* ut apud Philostratum jam vidimus, *Κάλπις* non *Κάλπη.* BENTL.

Quantum hic aestuent Interpretes, ex notis OUDENDORPII et BURMANNI patere potest. BENTLEJUS audaciuscule refingit:

> *Hesperiam Calpen Mauramque impellit Abylam.*

Male. Vulgata sana est. Dicit Auctor, Oceanum, fines suos contra naturae leges egressum, ita exaestuasse, ut Hispaniam et Mauritaniam inundaverit. *Implevit undis Atlanta,* id est, in Mauritaniae litora exaestuavit. Ita *Lib.* VI, *v.* 67.

> *Aut vaga cum Tethys* RUTUPINA IN LITORA FERVET;

id est late vagatur et exaestuat. Sic enim ibi scribendum docebimus. JEV.

Indigetes flevisse deos, Urbisque laborem
Testatos sudore Lares, delapsaque templis
Dona suis, dirasque diem foedasse volucres
Accipimus; silvisque feras sub nocte relictis
Audaces media posuisse cubilia Roma.
Tum pecudum faciles humana ad murmura linguae,
Monstrosique hominum partus, numeroque modoque
Membrorum; matremque suus conterruit infans:
Diraque per populum Cumanae carmina vatis
Vulgantur. tum, quos sectis Bellona lacertis

557. Indi*genas* b, supra scripto *getes.* 565. tu*nc* quos c. *d*um d.

564. — *Cumanae carmina vatis]* Sic iterum v, 183. et VIII, 824. *Vates* Cumana inflexione Latina; sed cum ceteri poetae Virgilius, Propertius, Ovidius, Silius, Valerius Flaccus inflexionem graecam adsciverint, CUMAEA, vel CYMAEA *vates:* vix dubites quin ad eandem faciem scripserit Lucanus. Ratio autem erat; quia Cumae, colonia Graecorum, et Sibylla graece vaticinabatur.

565. — *Tum quos sectis Bellona lacertis Saeva movet, cecinere deos,]* Quos quaeso deos cecinere? quidve ad ostenta pertinet, si ullos deos cecinerint, nisi addidisset iratos? indignum porro est, Gallos *ululare,* alteros vero his foediores *canere.* Denique, *Quos sectis Bellona lacertis saeva movet,* si latine scimus, hoc absurdum indicat, ipsam deam Bellonam sectis lacertis esse, non bellonarios. Colbertinus prior, et Harleianus, et pro var. lect. Trin. MONET. Scripsit opinor Auctor,

Tum quos sectis Bellona lacertis
Saeva MONET PLACARE *deos, crinemque rotantes*
Sanguinei populis ulularunt tristia Galli.

Tum, inquit, fanatici homines, bellonarii et Galli, *ulularunt* tristia; ut verbum *ulularunt* utroque nominativo conjungatur. Vix aliter potuit Lucanus. Bellonarii sectis lacertis et suo sanguine deos se placare iratos arbitrabantur. Tibullus I, 6, 45.

Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.
Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inulta Deam —
Et canit eventus quos dea magna monet.

Sed otiosum plane et supervacuum est, illud POPULIS: mirum enim ni bestiis vel noctuis ululasse eos crederemus. Quid quod *ululare*, sic ut *flere*, *gemere*, *latrare*, transitivum non est? si populis ululet quis; tum *adululare* dictum oportuit, ut *adflere*,

adgemere, *allatrare*. Praeterea, cum tertio abhinc versu *per populum* habuerimus, rursus hic *populis* ingeri non est ferendum, quare aliquid indagandum est, quod sententiae pondus sustineat, totum ergo locum sic corrigere poteris:

Tum quos sectis Bellona lacertis
Saeva MONET, PLACARE *Deos*, *crinemque rotantes*
Sanguinei CYBELES *ulularunt tristia Galli.*

Ut prius Bellonae, ita et Cybeles facienda erat mentio. *Galli Cybeles* sic dicuntur ad ambiguum evitandum. Phaedrus III, 20, 4.

Galli Cybeles *circum quaestus ducere*
Asinum solebant bajulantem sarcinas:

Ubi legerim, *circum* PAGOS.
BENTL.

Locus manifesto mendosus, ut patet ex incerto aestu, quo jactantur in sensu horum verborum explicando Doctissimi Interpretes. *Deos* pro *Bellona* recte capit OUDENDORPIUS ad *Lib.* V, *v.* 114. probante quoque BURMANNO, qui tamen haec sibi obscura fatetur et explicatu difficilia. BENTLEJUS refingit hoc modo;

tum quos sectis Bellona lacertis
Saeva MONET PLACARE *Deos*, *crinemque rotantes*
Sanguinei CYBELES *ulularunt tristia Galli;*

sed Dii isti, quos saeva Bellona placare jubet, mihi ignotissimi sunt. OUDENDORPIUS nihil hic mutandum statuit, et *cecinere Deos* explicat *cecinere Deos iratos*, quod summa ratione rejectum a *Cel.* BURMANNO. Age et nos conjecturam adferamus, si pote sanare difficilem locum. Forte an dederit Auctor:

tum, *quos sectis Bellona lacertis*
Saeva movet, SENSERE *Deos*, *crinemque rotantes*
Sanguineum MOLLES *ulularunt tristia Galli.*

Galli *sensere Deos* id est sacro Bellonae furore inspirati fuere. *Bellona* eadem, quae *Cybele*, *magna Mater Deorum*, *Magna Dea*, cujus sacerdotes Galli. Illi igitur, furore divino stimulati, vaticinati fuere. TIBULL. *Lib.* I. *Eleg.* VI. *v.* 49.

Sic fieri jubet ipse DEUS: *sic* MAGNA SACERDOS
Est mihi divino VATICINATA *sono.*
Haec, *ubi* BELLONAE *motu est agitata*, *nec acrem*
Flammam, *non amens verbera torta timet.*
Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inulta Deam.

Haec ibi poeta de GALLO, Magnae Matris sacerdote, feminino genere, quia *virum exsecti* erant Galli. SENTIRE DEOS dicitur vates, cum numinis afflatu agitur. OVID. III. *Art. Am. v.* 55.

SENSIMUS *acceptis* NUMEN *quoque; purior aether*
Fulsit, *et e toto pectore cessit onus.*

et XI, *Epist. Heroid. v.* 26.

Nescio quem SENSI *corde tepente* DEUM:

molles Galli sunt evirati. *mlles* vero et *pplis* in MSS. facile permutari possunt. *Sanguineum crinem* recte vindicavit hic *Cel.* BURMANNUS. Interlinearis vero illa glossa, quae, teste OUDENDORPIO, erat in Voss. sec. *cecinere Deos*, sc. esse *iratos*, firmat nostram emendationem *sensere*. *Sentire* enim hoc sensu saepe occurrit. SENEC. *in Oed. v.* 471.

Regna securigeri Bacchum SENSERE *Lycurgi;*

id est, *experta fuere Bacchum iratum*. JUV.

Saeva movet, cecinere deos: crinemque rotantes
Sanguinei populis ulularunt tristia Galli.
Compositis plenae gemuerunt ossibus urnae.
Tum fragor armorum, magnaeque per avia voces
Auditae nemorum: et venientes cominus umbrae.
Quique colunt junctos extremis moenibus agros,
Diffugiunt: ingens Urbem cingebat Erinnys,
Excutiens pronam flagranti vertice pinum,
Stridentesque comas: Thebanam qualis Agaven
Impulit, aut saevi contorsit tela Lycurgi
Eumenis: aut qualem jussu Junonis iniquae
Horruit Alcides, viso jam Dite, Megaeram.
Insonuere tubae, et quanto clamore cohortes
Miscentur, tantum nox atra silentibus auris
Edidit: et medio visi consurgere Campo
Tristia Syllani cecinere oracula manes.
Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas

569. Tu*nc* c. d. 579. misc*ū*tur; sed *u* a man. sec. in *n* correctum est. c. *v*ox c. *umb*ris c. d. 580. concur*re*re d.

579. *Nox atra silentibus auris]* Nemo Interpretum hic haesit. Ut tamen dicam quae sentio, illa *nox atra* et *aurae silentes* mihi non probantur. Si saltem *alta nox* posita esset, tolerabilius vulgata lectio se haberet. *Media* enim *nocte silentium regnat.* Sed aliud quid mihi in mentem venit. In decem MSS. Codd. pro *auris* legitur *umbris*, quod de *arboribus vento non motis* explicare vellet Oudendorpius, nisi duriusculum videretur. In Wittiano itidem erat *umbris*, sed supra scriptum *t auris.* Latere hic suspicor veram Lucani manum *horis.* Quare legendum forte:

> *tantum nox* ACTA *silentibus* HORIS
> *Edidit;*

ut magni magistri VIRGILII vestigia hic feliciter presserit Lucanus, qui *Lib.* III, *Aen. v.* 512. ait,

> *Nec dum orbem medium nox* HORIS ACTA *subibat;*

saepe hae voces permutatae. Supra *v.* 16.

> *Quaque dies medius flagrantibus aestuat austris;*

ubi alii Codd. *auris* vel *horis* exhibent.

JEV.

Agricolae fracto Marium fugere sepulcro.
Haec propter placuit Thuscos de more vetusto
Acciri vates; quorum qui maximus aevo
Aruns incoluit desertae moenia Lunae,
Fulminis edoctus motus, venasque calentes
Fibrarum, et monitus volitantis in aere pennae:
Monstra jubet primum, quae nullo semine discors

583. Marium fract. b. c. fug*i*ere c. 586. Lu*c*e b, c, d. 588. motus volit. c.

587. *Fulminis edoctus motus, venasque calentes*
Fibrarum, et monitus volitantis in aere pennae:] Illa *motus* et *monitus* tinnitu futili, non sapiunt Lucani indolem; ut nec illud *edoctus motus*, eadem syllaba recurrente. Quid autem, si *motus jactusque* fulminum edoctus est; nisi insuper didicerit quid motus illi praedicant et praesagiant? Tacitus Hist. I, 3. non *motus* sed *monitus* fulminum in simili sententia posuit, *caelo terraque prodigia, et fulminum* monitus *et futurorum praesagia.* Lege,

Fulminis edoctus MENTEM *venasque* LOQUENTES
Fibrarum.

Mentem fulminis, ut Statius Theb. VIII, 177. de vate Amphiarao, ex hoc ipso opinor loco:

Quis mihi sidereos lapsus mentemque *sinistri*
Fulguris, aut caesis saliat quod numen in extis.

Venas autem LOQUENTES id est, praesagientes: illud enim *calentes* nimis frigidum est. Propertius IV, 100.

Nec sibi commissos fibra locuta *deos.*

Sed quin et pro *volitantis*, veteres nostri omnes cum aliquot aliis et Romana habent, *errantis.* Recte: si enim *volitantis*, otiosum esset in aere: ubi enim alias? sic totum refinge locum:

Fulminis edoctus MENTEM *venasque* LOQUENTES
Fibrarum, et monitus ERRANTIS *in aere pennae.*

589. *Monstra jubet primum, quae nullo semine discors*
Protulerat natura, rapi,] Dubitavi an *nullo semine*, quasi sponte nata dicat, an *misto semine*, ut melius cohaereat illud *discors natura.* Adduxi locum Aristotelis de Gen. Anim. lib. IV. cap. IV. *Δημόκριτος ἔφησι γίγνεσθαι τὰ τέρατα διὰ τὸ δύο γονὰς πίπτειν.* Addo jam alterum locum Problem. Sect. X. *τὰ τέρατα γίνονται ἐπαλλαττόντων τῶν σπερμάτων ἀλλήλοις καὶ συγχεομένων.* Et tertium Plinii lib. II, [c. 3. Bip.] *Inde deciduis rerum omnium seminibus innumerae, in mari praecipue, ac plerumque confusis monstrificae gignuntur effigies.* Quae Aristotelis et Plinii plane illud *misto* confirmant. GROTIUS. *Mixto semine* ex Viri magni sententia reponendum erit, atque insuper acutissimi Nic. Heinsii notis ad I, [v. 35.] Sabini epistolam *dissors.* Si ipsae quoque correctiones mixtae fuerint melius procederent, hoc modo:

— *quae* mixto *semine* dissors
Protulerat natura.

Hoc est, quae dissortia diversaeque naturae animalia mixto semine genuerant, ut Claud. Cons. Mallii. 303.

— *Pardi*
Semine permixto *geniti*, *cum forte leaenae*
Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter..

Verum, quia semper stoicum se profitetur Noster, placet vulgata lectio, ex Porticus sententia explicanda: *Natura rerum scilicet, sibi discors, (praeter suum morem) profert ejusmodi portenta sponte et nullo semine.* Manilius, ipse quoque stoicus ex astris et caelo, hoc est natura, monstrorum rationem ducit: II, 708.

Et saepe in pecudes errat natura, maremque
Femina subsequitur: miscentur sidere partus.

et IV, 101.

—*permiscet saepe ferarum*
Corpora cum membris hominum. non seminis ille
Partus erit, *quid enim nobis commune ferisque?*
Quisve in portenti noxam peccavit adulter?
Astra novant formas, caelumque interserit ora:

Lucanus autem Diis, Fato, Fortunae, Naturae, ostenta haec imputat supra 524:

— *addita fati*
Pejoris manifesta fides: superique minaces
Prodigiis terras implerunt, aethera, pontum.

et VII, 151.

Non tamen abstinuit venturos prodere casus
Per varias Fortuna *notas.* — vel Natura.

Illud vero in primis animadvertendum, loca illa Democriti, Aristotelis, Plinii, quibus correctionem suam *mixto semine* firmare studet Vir magnus, eorum esse philosophorum qui nulla omnino dari portenta asserunt. Quippe si infans capite canino natus sit, id si *mixtura* hominis et canis fit, non erit portentum. Quod Phaedrus III, 3, 4. argutissima fabula docet.

Alenti *cuidam pecora, pepererunt oves*
Agnos humano capite. Monstro exterritus,
Ad consulendos currit moerens hariolos. —
Aesopus ibi tum *naris emunctae senex,*
Natura numquam verba cui potuit dare;
Si procurare vis ostentum, rustice,
Uxores, inquit, da tuis pastoribus.

Ubi *Alenti* et *ibi tum* corrigimus pro vulgatis *Habenti* et *ibi stans. mixto* igitur *semine* et Lucani menti, et ostentorum fidei praesagioque prorsus repugnat.

Bentl.

Discors natura quomodo *sine ullo semine* concipiat monstra, concipere nequeo. Legendum, ut recte Oudendorpius monuit, cum Heinsio et Broukhusio *dissors*, id est, *nihil commune habens cum humana natura.* Corrigendus hinc Lucanus *Lib.* VI, *v.* 687.

Tum vox, Lethaeos cunctis pollentior herbis
Excantare Deos, confundit murmura primum
Dissona, et humanae multum dissortia *linguae;*

vulgo ibi *discordia. Murmura* intellige, *nullum consortium habentia cum lingua humana.*

Nunc age Claudiano medicas applicemus manus, insigniter deformato et male habito ab ineptis librariis *Cons. Prob. et Olyb. v.* 184.

Qualis purpureas praebebat candida vestes
Numinibus Latona suis, cum sacra redirent

Ad loca nutricis jam non errantia Deli.
Illa feros saltus et desolata relinquens
Maenala, lassato certis venatibus arcu;
Phoebus adhuc nigris rorantia tela venenis
Exstincto Pythone ferens; tunc insula notos
Lambit amica pedes, ridetque Aegaeus alumnis
Lenior et blando testatur gaudia fluctu.

quot versus, ita me Dii ament! tot fere mendae. Adsis alma critice et manum porrigas! Primo versu illud *praebebat* languidulum: nam ex proposita comparatione desideratur verbum, quod praeparare notat, vid. *v.* 178. Cur Latona Apollinem et Dianam *numina sua* vocet, nulla ratio est. OVID. *in Epist. Heroid.* III, *v.* 105. dixit quidem,

Perque trium fortes animas, mea numina, fratrum;

verum alia ibi res est. *Loca* porro *Deli errantia* quae intelligat, Oedipo opus est. *Τὸ* ILLA non habet, quo referatur; neque enim HIC vel praecedit vel sequitur. Dein *illa venit lassato arcu,* nihil praedae adferens; Apollo vero *fert sagittas respersas sanguine Pythonis.* Quin INSULA LAMBIT PEDES, quod ipsa vanitate vanius. Quis, quaeso, in masculo poeta et Virgilianae majestati proximo talia sine indignatione legat? Quis non stomachetur, insulsos librarios cultissimi poematis nobilissimam partem ita foedasse suis ineptiis? Quare vide, erudite Lector, an mecum legere malis hoc modo:

Qualis purpureas TEXEBAT *candida vestes*
Numinibus Latona PIIS, *cum sacra redirent*
Ad SOLA *nutricis, jam non errantia,* TERRAE.
DELIA PER SALTUS, MODO *desolata relinquens*
Maenala, LASSATUM *certis venatibus* ARCUM;
Phoebus adhuc nigris rorantia tela venenis
Exstincto Pythone ferens. Tunc insula TOTOS
PANDIT *amica* SINUS, *ridetque Aegaeus alumnis*
LAETIOR *et blando testatur gaudia fluctu.*

TEXEBAT et praeparabat vestes Latona Apollini et Dianae; antiquis enim heroisin, et reginis hoc in more positum fuit. Nam *tbt* et *pbt* facile confundi norunt, qui MSS. versarunt. *Piis numinibus,* qui TERRAM NUTRICEM, antea fluctibus natantem, *stabilem* fecerant. PETRON. *in fragmentis p.* 687. *ed. Burm.*

Delos, jam STABILI *revincta* TERRA,
Olim purpureo mari natabat,
Et moto levis hinc et inde vento
Ibat fluctibus inquieta summis. etc.

qui locus egregie firmat *sola terrae non errantia;* nam *τὸ Deli* ex glossa ortum, et hinc ansa corruptionis in ILLA pro DELIA. PER SALTUS facili lapsu migravit in *feros saltus.* PANDIT SINUS TOTOS insula ad amplectendum grata sibi numina. SENECA *in Octav.* 136.

STYGIOS SINUS
Tellure rupta PANDE, *quo praeceps ferar.*

Aegaeus porro *laetior* ridet, non LENIOR, nam BLANDO i. e. *leni fluctu gaudia testari* dicitur. Ita, ni fallor, cultissimus poeta solita elegantia enitescit. Eo si quid contulerit nostra haec observatio, mihi et CLAUDIANO gratulabor!

JEV.

Protulerat natura, rapi, sterilique nefandos
Ex utero fetus infaustis urere flammis.
Mox jubet et totam pavidis a civibus Urbem
Ambiri, et festo purgantes moenia lustro:
Longa per extremos pomoeria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,
Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.
Tum qui fata deum, secretaque carmina servant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybellen:

590. p*er*tulerat. c. 594. pom*a*ria. c. 595. sac*ri*; *ri* a man. sec. in membr. erasa; ad marginem scripto *sancti* a man. sec. 596. sequitur ritu c. 599. Tu*nc* b. 600. C*i*be*l*en b. C*i*be*lem* c. Cybe*l*en d.

591. — *Infaustis urere flammis.*] Non placent *infaustae* illae *flammae*, aut legerim INFESTIS *flammis* aut:

infaustis urere LIGNIS;

Ut sit *infelicibus*. Notum illud Catulli [36, 8.],

Infelicibus ustulanda lignis.

Arbor *infelix*, quae nec seritur, nec fructum fert. Plin. Hist. XIII, 21. *Myricen et Italia fert, cujus* infelicia ligna *appellamus, quae tamen infeliciora sunt Graeciae: gignit enim arborem Ostryn, qua in domum illata difficiles partus fieri produnt, mortesque miseras.* Certe *Ostrys* illa Graeciae, et *infelix* ut pote sterilis et *infausta* ut pote noxia et mali ominis. Vide et an *infausta* dicatur. Horatius [IV, Od. 5, 18.]

Nutrit farra Ceres, almaque faustitas.

598. *Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.*] Hinc sumsit Claudianus I, Eutrop. 328.

— *Trojanam sola Minervam*
Virginitas Vestalis adit, flammasque tuetur.

An igitur *cui soli*, *choro* scilicet, non *sacerdoti?* adeo ut omnes Vestales eam videre possent, non sola Virgo maxima. Noster IX, 993.

— *Nullique aspecta* virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo.

Servius tamen *cui sacerdoti*, non *cui choro:* sic enim ille ad Aeneid. II, 166. *Palladium ab una tantum sacerdote videbatur, ut Lucanus, Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.*

600. *Et lotam parvo revocant Almone Cybellen.*] Puteaneus CYBEBEN, ut ubique scribendum est, quoties media syllaba producitur. Ita Graeci *Κυβήβη;* numquam *Κυβέλλη* vel *Κυβήλη*, sed *Κυβέλη*. Sed quale sodes est REVOCANT *Cybeben Almone;* an illa verbo vel sibilo revocata sponte et nullo ducente Romam

Et doctus volucres Augur servare sinistras:
Septemvirque epulis festis, Titiique sodales:

602. fest*us* b. c. d.

ab Almone redire solita? Puteaneus quidem *referunt* habet, et in margine eadem manu *revocant*; sane hoc longe praetulerim lectioni receptae: sed aliud subvenit ad hoc melius veriusque:

Et lotam parvo REVEHUNT *Almone* CYBEBEN.

Nempe ea curru seu carpento in die illo lavationis vehebatur ac revehebatur. Ammianus Marc. XXIII, 3. *Ante diem Sextum Kal.* (Apriles) *quo Romae Matri Deorum pompae celebrantur annales, et carpentum quo* VEHITUR *simulacrum Almonis undis ablui perhibetur.* Prudentius περὶ στεφανῶν XIV, 154.

Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos Matris Idaeae sacris:
Lapis nigellus EVEHENDUS *essedo,*
Muliebris oris clausus argento sedet,
Quem dum ad lavacrum praeeundo ducitis,
Pedes remotis adhaerentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum.

Quae et nostram emendationem firmant, et ad locum commentarii vice sunt. BENTL.

WITHOF. *Encaen. Crit. pag.* 29. pro *revocant* emendat *curant.* Majori veri specie *Cel.* BURMANNUS reponi volebat *renovant.* Sed versus spurius est. GUIETUS certe eum damnabat, qui et simul praecedentem confodiebat. Supra enim *v.* 566. de Gallis Cybeles sacerdotibus jam egit. Cur igitur hic eos iterum in sacro Ambarvali in scenam producat, necessitatem nullam video. *Parvus* ille *Almo* mangonium prodit, et praeterea cur *lotam renovarent?* Si enim LOTA, jam *renovata* erat. Videtur sublectus esse OVIDIO *Lib.* IV. *Fast.* 337.

Est locus, in Tiberim quo lubricus influit ALMO,
Et nomen magno perdit in amne MINOR.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam sacraque LAVIT *aquis.*

Quare, ejecto hoc versu, legerim:

Tum qui fata Deum secretaque carmina VERSANT,
Et doctus volucres Augur servare sinistras.

VERSANT *secreta carmina*, id est, *inspiciunt, legunt.* QUINDECIMVIROS enim LIBRIS SIBYLLINIS INSPICIENDIS intelligit, ut recte Scholiastes. STAT. *Lib.* I. *Sylv.* II, *v.* 177.

Certe jam nunc Cybeleia novit
Limina et EUBOICAE CARMEN LEGIT *ille* SIBYLLAE;

ex quo loco STATII, verisimiliter conjicere posse videor, Virum aliquem Doctum, ut evitaretur repetitio vocum SERVANT et SERVARE, hunc versum subjecisse, male capientem illa verba, *Cybeleia novit limina*, quae notant STELLAM *Praetorem fuisse et ludis Megalensibus* praefuisse.

JEV.

602. *Septemvirque epulis festis, Titiique sodales:*] Recte me hoc reposuisse pro *festus*, docet MS. P. GROTIUS. Recipienda vel sine ullius Codicis au-

Et Salius laeto portans ancilia collo:
Et tollens apicem generoso vertice Flamen.
Dumque illi effusam longis anfractibus urbem
Circumeunt, Aruns dispersos fulminis ignes
Colligit et terrae moesto cum murmure condit,
Datque locis nomen, sacris tunc admovet aris
Electa cervice marem. jam fundere Bacchum
Coeperat, obliquoque molas inducere cultro:
Impatiensque diu non grati victima sacri,

604. *At*tollens*que* d. 606. A*r*rons c. A*r*runs d, ita semper. 608. sacris . tunc d. 609. E*r*ecta b. 610. molas, *o* ex alia litera correctum est a man sec., ad marginem posito *molas* a man. sec. 611. I*n*paciens diu d.

ctoritate viri magni emendatio, *festis epulis*, ut Horat. Epod. IX, 1.

Quando o repostum Caecubum
ad festas *dapes?*

Septemvir festis epulis, subintellige *curandis, indicendis.* Sic enim loquebantur, *Duumvir, Triumvir, Sevir juri dicundo; Triumvir A. A. A. flando; feriundo; Triumvir Reip. constituendae, Decemvir litibus judicandis; Quindecimvir sacris faciundis; agris dandis; Vigintivir Reip. curandae.*

603. *Et Salius laeto portans ancilia collo:]* Puteaneus, pro varia lectione LENTO, quod vide an tempori tam tristi aptius conveniat. Sed praestat, ut solemne epitheton sit, quia *salientes* et *exsultantes* ancilia gestabant.

607. — *Et terrae moesto cum murmure condit,]* Plin. Hist. II, 55. *hominem fulgure exanimatum cremari fas non est; condi terra religio tradidit.* Ceterum Scholiastes ad Juvenalis Sat. VI, 585. sic hunc locum laudat;

TACITO *cum murmure condit.*

608. *Datque locis nomen, sacris tunc admovet aris]* Aruns, qui haec sacra obit non augur erat, sed aruspex. Colbertinus uterque, Cod. Trin. et Bersmanni unus,

Datque locis NUMEN.

Atque ita restituit vir in his litteris summus Fred. Gronovius Observ. I, 13. [p. 83. ed. Lips.] plura apud ipsum vide. Claudianus III, Proserp. 354.

Inde timor numenque loco; *nemorisque senectae*
Parcitur.

Sacris aris citat Lactantius ad Statii Theb. III, 451. Cum vero tertio abhinc versu iterum habeamus *sacris*, repono hic *sanctis.* Seneca patruus Oedip. 303.

Opima sanctas *victima ante*
aras stetit.

S̄cris et *S̄ctis* facillime permutantur.

Cornua succincti premerent cum torva ministri,
Deposito victum praebebat poplite collum.
Nec cruor emicuit solitus: sed vulnere largo

614. laxo c.

612. *Cornua succincti premerent cum torva ministri.]* *Premerent* cornua, non *tangerent*; quia taurus *sacri impatiens* fugere nitebatur. Valer. Flaccus I, 778. de tauro ad aram stante:

— ipse aeger, anhelans,
Impatiensque loci.

Seneca Oedip. 610.

Dextra ferocem cornibus taurum premens.

Martialis III, 24. de haruspice:

Ipse super virides aras luctantia *pronus*
Dum resecat cultro colla, premitque manu.

Sed non admodum placent *torva* illa *cornua*. Totus quidem bos *torvus* dicitur, *torva* ejus frons, *torvi* oculi. Silius XV, 62.

Illa ego sum, verti superum quae saepe parentem,
Nunc avis in formam, nunc torvi *in cornua tauri.*

Sic Heinsius ex MSS. cum prius esset *torva in cornua tauri*, nullo sensu. Non enim vertit voluptas Jovem in cornua tauri, sed in integrum taurum. Ordo itaque est: *nunc in formam avis, nunc tauri torvi in cornua.* Manilius II, 246.

Ut leo et arcitenens, ariesque in cornua tortus.

Lege ex codice Vossiano,

ariesque in cornua torvus.

Sic Virgilius de tauro [Georg. III, 232.],

Irasci in cornua;

Ovid. Metam. X, 538.

Aut pronos lepores, aut celsum in cornua *cervum.*

Quis vero praeter hunc Nostrum *torva* dixit *cornua?* Nimirum id solum recte torvum appellatur, quod sensus et effectus capax est, quod moveri, mutari, effervescere ac remitti potest. Melius *curva* dixisset, ut multi codices exhibent apud Ovidium Metam. XII, 382.

Cornua curva boum multo rubefacta cruore.

Sed omnino, ut illic et alibi Heinsius, ita tu hic repone:

Cornua succincti premerent cum VARA *ministri.*

Versu vero sequente *praebet collum*, id est, oculis designandum et cultro feriendum. Seneca Agamem. 898.

Armat bipenni Tyndaris dextram furens:
Qualisque ad aras colla taurorum prius
Designat oculis, ante quam ferro petat:
Sic huc et illuc impiam librat manum.

Ita scripti hic editique: sed quis, obsecro, est qui *designat colla oculis?* an Tyndaris? foemina scilicet tauros immolare consueverat? credo ut usum ejus ministerii faceret, quo certiore ictu trucidaret maritum. Quale vero illud est, *prius, ante quam?* nonne satis erat aut *ante quam*, aut *prius quam?* Miror, qua obtectum caligine oculos omnium effugere potuit mendum nunc tam apertum, restituo certissime:

Qualisque ad aras colla taurorum POPA
Designat oculis, ante quam ferro petat.

614. *Nec cruor emicuit solitus: sed vulnere largo*

Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus.
Palluit attonitus sacris feralibus Aruns:
Atque iram Superum raptis quaesivit in extis.
Terruit ipse color vatem: nam pallida tetris

615. *di*rum b. d.

Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus.] Veterrimi nostri quatuor cum Cantabrigiensi et binis Pulmanni, *vulnere* LAXO. Rectissime, opponuntur haec duo. Emicuit, ex *angusta* plaga impetu exsiluit; e *laxa* diffusus est, per colla tauri diffluens. Seneca patruus Oedip. 345.

Utrum citatus vulnere angusto EMICAT,
An lentus AMPLAS *irrigat plagas cruor?*

Sic ibi legendum, non ut nunc MICAT et ALTAS.

617. *Atque iram Superum raptis quaesivit in extis.]* Signanter *raptis*. Est enim vox propria extispicio. Seneca Oedipo [*v*. 391]:

Nec fibra vivis rapta *pectoribus potest*
Ciere nomen. GROTIUS.

Virgilius XII, [214.] Aeneidos:

In flammam jugulant pecudes et viscera vivis
Eripiunt.

618. — *Nam pallida tetris*
Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore
Plurimus adsperso variabat sanguine livor.]

Livor adsperso sanguine, ut Oedip. 377. Infecit atras *lividus* fibras *cruor.* Sed quare *gelido* cruore? quid *gelido* facit ad tincturam vel infectum? Seneca, ut vides, *lividus cruor* inficit. Noster V, 214. *Rubor igneus inficit ora*, et 564. *Niger inficit horror.* Horat. Epod. VII. [15.] *Tacent; et albus ora pallor inficit.* In his omnibus epitheta ad colorem, ut oportet, non ad calorem aut frigus pertinent, praeterea autem, qui potuit inter *fibras calentes, rapta exta et adhuc spirantia* cruor esse gelidus? Sed aliud restat pejus: *livor*, inquit, *variabat* SANGUINE *viscera infecta* CRUORE. A poeta haec esse cave animum inducas, et si nihil tibi succurrat melius, sic mecum lege:

— *tetris*
Viscera tincta notis, FOEDOQUE *infecta* NIGRORE.

Totus hic de extispicio locus e Patrui Oedipode expressus est, tam aperta imitatione, ut neminem qui utrumque inter se contulerit, possit latere.

Lucanus. *Impatiensque diu non grati victima sacri.*

Seneca [336.] Placidone vultu sacra et admotas manus patiuntur?

Lucanus. *Cernit tabe jecur madidum* —

Seneca [358.] Et felle nigro tabidum spumat jecur.

Lucanus. — *venasque minaces Hostili de parte videt.*

Seneca [363.] Hostile valido robore insurgit latus
Septemque venas tendit.

Lucanus. — *pulmonis anheli Fibra latet.*

Seneca [356.] Cor marcet aegrum penitus ac mersum latet

Liventque venae: magna pars fibris abest.

Lucanus. — *Produntque suas omenta latebras.*

Seneca [370.] — non molli ambitu Omenta pingues visceri obtendunt sinus.

Lucanus. *Quodque, nefas, nullis impune apparuit extis,*
Ecce videt capiti fibrarum increscere molem
Alterius capitis.

Seneca [359.] Ac semper omen unico imperio grave,
En capita paribus bina consurgunt toris.

Vides ut Patrui bona Noster in suis numeraverit; tam alti alioquin animi, ut ab alio quoquam mutuum sumere videri, noluisse videatur. BENTL.

Recte atque summo jure locum hunc suspectum habuit summus BENTLEJUS: quis enim haec capiat, *infecta gelido* CRUORE *viscera livor variabat adsperso* SANGUINE? viscera *gelido cruore* infecta dicuntur, an igitur *calido* sanguine livor variat et adspergit? Dein vero, quis cedo ille *plurimus livor?* Sentis, Lector, quam ineptum et inconcinnum hoc sit? BENTLEJUS refingebat,

FOEDOQUE *infecta* NIGRORE;

sed *livor* nonne est *foedus nigror?* Optime tamen vidit, *gelidum cruorem* non convenire *hostiae recens percussae*. Si quid video, scripsit Poeta,

gelidoque infecta VENENO
LURIDUS *adsperso variabat sanguine* LIVOR.

GELIDO VENENO; venenum enim *frigore* interimit homines et corpus *lividum* facit. Patet hoc ex *v.* 615. ubi *pro sanguine* NIGRUM VIRUS *ex vulnere diffusum* ait. LURIDUS vero *livor* est *pallidus, decolor, subflavus*, qualem prae se ferunt colorem veneno interemtorum cadavera. Hinc LUCRET. *Lib.* IV. *v.* 333. ARQUATIS sive ICTERICIS *omnia*, *quae tuentur*, LURIDA *apparere* dicit, id est *subflava* et *viridi quasi pallore infecta*. Et inde OVID. *Lib.* I. *Metam.* 147. *Lurida aconita* dixit. *Lurida* hinc luna, venenis magicis excantata, dicitur SENECAE *in Medea v.* 790. et LUCAN. *Lib.* V, 549.

tum LURIDA *pallens*
Ora tulit, vultu sub nubem tristis ituro.

et ita HORAT. *Lib.* IV, *Od.* XIII. [*v.* 10.] deformi vetulae dat *luridos dentes*, id est nigros, et turpi livore sordidos.

PROPERTII locus hic obiter emendabitur *Lib.* I, *Eleg.* VIII. *v.* 19.

Ut te felici praevecta Ceraunia remo
Accipiat placidis Oricos aequoribus.

Illud *praevecta* quo referatur non habet: quae causa fuit, cur in *vectam per caerula* mutatum fuerit. Cum voce *Oricos* sine risu conjungi non potest. Quis enim credat, ORICON navi impositam praevehi Ceraunia? Ne te diu suspensum teneam, Lector, menda latet, quam favente Apolline nunc jam eluam. Lege,

Ut SIC *felici praevecta Ceraunia* VELO
ADSPICIAS *placidis* ORICON *aequoribus.*

VENTO *ire per undas Aegaei maris tentabat Cynthia*, *relicto amante; optat procellas et mare haud navigabile*, *ne funem ab ora solvere possit Cynthia.* Vides, bone Lector, non *remis* hic, sed *velis* opus esse? Optat dein conversis votis, *ut Galatea sternat aequor*, ut Cynthia placido mari ASPICIAT, id est tangat *Oricon.* Quare *te* in *sic*, sensu postulante, mutare ausus sum. *Adspicias* et *accipiat* facile in MSS. mutari potuere. Sic apud LUCAN. *Lib.* II, *v.* 429.

Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore
Plurimus adsperso variabat sanguine livor.
Cernit tabe jecur madidum: venasque minaces
Hostili de parte videt. pulmonis anheli
Fibra latet, parvusque secat vitalia limes.
Cor jacet: et saniem per hiantes viscera rimas
Emittunt: produntque suas omenta latebras.
Quodque (nefas) nullis impune apparuit extis,
Ecce videt capiti fibrarum increscere molem
Alterius capitis: pars aegra et marcida pendet,
Pars micat, et celeri venas movet improba pulsu.
His ubi concepit magnorum fata malorum,
Exclamat: Vix fas, Superi, quaecunque monetis

625. promuntq. d. 627. crescere d. 629. *cursu*, supra scripto *vel pulsu*. 631. movetis b. c. d; sed in c supra additum est a man. sec. *vel monetis*. Super*i*, *up* in membr. erasa, ad marginem scripto *superi* c.

Longior educto qua surgit in aera dorso,
Gallica rura videt, devexasque aspicit Alpes.

Codices variant *accipit*, *aspicit*, *excipit* exhibentes. *Aspicit* Oudendorpius tuetur. Burmannus tamen ibi rectius *excipit* praetulit. Sic *videre urbem*, pro *tangere, appellere ad urbem*, dixisse videtur idem PROPERTIUS *Lib.* I. *Eleg.* XVII, 3. loco vexatissimo, quem sic legendum puto:

Nec mihi CASSIOPEN *solito* VISURA CARINA
Ominat, ingrato litore vota cadunt;

id est *per horrendam tempestatem ominor*, *me*, SOLITO MORE, *nave Cassiopen tangere non posse; me, solitus ut fueram, Cassiopen non appulsurum.* CASSIOPE *urbs Epiri* est, de qua loquitur poeta, non de *stella*. Vulgo corrupte legitur *Cassiope visura carinam,* quae satis ridiculam explicationem habent, ne quid gravius dicam. Nam argutari non libet. Illud SOLITO MIHI firmat sententiam meam et emendationem. *Felici velo*, id est *albis*, *candidis velis*, ut vulgo notum ex Thesei historia. Sic locutus idem PROPERTIUS eadem elegia XVII. *v.* 25.

At vos, aequoreae formosa Doride natae,
CANDIDA *felici solvite* VELA *choro.*

Sed nunc ad Pharsaliam Lucani redeamus. JEV.

630. *His ubi concepit magnorum fata malorum,]* An SIGNA malorum? an potius, HAEC ubi concepit magnorum POETA malorum? Certe illud *fata malorum* non multum arridet.

631. *Vix fas, Superi, quae-*

Prodere me populis: neque enim tibi summe litavi
Juppiter hoc sacrum: caesique in viscera tauri

632. nec enim b. c. 633. *pectora* b. d. [1] pectore c. 1 sine signo additum est.

cunque monetis] *Pandere* pro *prodere*, est in Langerm. Cod.; in Cod. vero Thuan. desiderabatur τὸ *fas*, unde HEINSIUS conjiciebat,

Vix EST, *Superi*, *quaecumque movetis*,
Prodere me populis;

quod approbabat OUDENDORPIUS, et BURMANNO non displicebat. Verum unius literulae mutatione, si Codicis Langermanniani lectionem arripiamus, suam Lucano mentem manumque restituamus legendo,

Vix fas, *Superi*, *quaecumque* MONETIS,
PANDERE *me populis.*

MONETIS, id est *portenditis*, unde MONSTRA nomen habent. Haec PANDERE sive *evulgare* sibi vix *fas* esse ait. STATIUS *Lib.* II, *Theb. v.* 627.

nam te, *vesane*, MONERI
Ante NEFAS, *unique silet tibi noster Apollo.*

TIBULL. *Lib.* III, *El.* IV. *v.* 6.

Vera MONENT *Tuscis exta probata viris.*

VALER. FLACC. *Lib.* V, *v.* 260.

Interea auguriis MONSTRISQUE *minacibus urbem*
Territat ante MONENS SAEVUS *Deus;*

ubi *monere* et *monstra* conjungit; pro *semper*, quod in vulgatis, lego *saevus*, id est *minax*, *iratus:* loquitur de *Gradivo* sive MARTE, cui sacrum vellus aureum. Sic LUCAN. supra *v.* 524.

Superique MINACES
Prodigiis terras implerunt, *aethera*, *pontum;*

sed ut dicam quae sentio, illi *inferni Dii*, *qui venere in viscera tauri* mihi non placent, et eos ab Auctoris manu non venisse, certo persuasus sum. Nam quae haec stribligo loquendi? *vix fas*, *superi*, etc. *Non tibi Jupiter* etc. *Inferni Dii venere. Venient majora metu. Dii visa secundent!* *nec fanda* erat in Rottend. pr. et Voss. pr. *nefanda* in Oxon. pr. Crediderim Poetam dedisse hoc modo,

caesique EN! *viscera tauri*
INFERNAE VERTERE MINAE. *Non fanda timemus*;
Sed venient majora metu!

ut ex *minefanda* tandem *Dii nec fanda*, vel *nefanda* factum fuerit. Dicit Auctor, *non* FAS *sibi esse haec* STYGIA *et* NEFANDA *portenta pandere. Non enim*, inquit, *tibi Jupiter hoc sacrum litavi*, nam MINAE *infernae* VERTERE ORDINEM VISCERUM *in hoc tauro.* SENEC. *in Oed. v.* 366.

Mutatus ordo est: sede nil propria jacet.
Sed acta retro cuncta. Et mox [*v.* 369.]
Non dextra cordis regio, *nec molli ambitu*
Omenta pingues visceri obtendunt sinus.
Natura VERSA *est; nulla lex utero manet.*

minas Stygias dixit VALER. FLACC. *Lib.* III, *v.* 446.

Huc STYGIAS *transire* MINAS, *iramque severi*
Sanguinis, *bis orat vigiles incumbere curas.*

MINAE sunt *iratorum Deorum prodigia.* Unde et *minaces Superos* dixit. Hinc FERALIA *haec*

Inferni venere Dei. non fanda timemus:
Sed venient majora metu. Dii visa secundent,
Et fibris sit nulla fides; sed conditor artis
Finxerit ista Tages. flexu sic omina Thuscus
Involvens, multaque tegens ambage canebat.
At Figulus, cui cura Deos, secretaque coeli

634. d*i*i b. c. d*i*i vener. d. 637. f*i*xerit c. - supra *i* a man. sec. flex*a* b. c. d. omin*a*; b, *na* in membr. erasa, addito *vel omnia*.

sacra vocat, quia *iratos Superos* portendebant. Supra *v.* 616.

Palluit attonitus SACRIS FERALIBUS *Arruns,*
Atque IRAM *Superum raptis quaesivit in extis.*

venere et *vertere* facile commutari potuere. Judicent Eruditi! JEV.

637. —*Flexu sic omina Thuscus Involvens, multaque tegens ambage canebat.*] Tam libri omnes, quam editiones (exceptis Grotianis) *flexa* habent. Statius IV, Theb. 645.

— *Haec ubi fatus*
Labitur, et flexa *dubios* ambage *relinquit.*

Ita recte MS. non *reliquit.* Seneca Oedip. 214.

Ambage flexa *Delphico mos est deo*
Arcana tegere:

ubi vide Gronovium. FLEXU, undecumque primo venit, ideo credo receptum est, quia bina illa adjectiva totidemque participia, *flexa*, *multa*, *involvens*, *tegens*, constructionem involvunt et onerant. Qui *flexa* cum codicibus mavult, sic locum refingat:

— FLEXA *sic omina Thuscus*
Involvens, MULTUMQUE *tegens ambage canebat.*

Sane non *multa* ambage cecinit, qui sex tantum versiculis carmen suum conclusit.

639. *At Figulus — quem non stellarum Aegyptia Memphis*
Aequaret visu, numerisque moventibus astra,] Nigidius Figulus, senator, Romanorum a Varrone doctissimus, astrologiae quoque peritissimus. Illud vero minus intelligo, quo pacto *numeri* sive calculi, rationes Nigidianae vel Memphiticae, *movere* astra potuerint. Fallor an scripsit Auctor,

Numerisque SEQUENTIBUS *astra.*

Claudian. Idyll. v. [Epigr. 14, 1.]

Quisquis sollicita mundum ratione secutus
Semina rimatur rerum, quo luna laborat
Defectu.

Statius Theb. IV, 411. de Tiresia vate,

— *Ille deos non larga caede juvencum,*
Non alacri penna, aut verum spirantibus extis,
Nec tripode implicito, NUMERISQUE SEQUENTIBUS *astra,*
Thurea nec supra volitante altaria fumo.

Ubi Lactantius Scholiastes monet, Statium de Lucano ista mutuatum esse. BENTL.

Nosse fuit, quem non stellarum Aegyptia Memphis
Aequaret visu, numerisque moventibus astra,
Aut hic errat, ait, nulla cum lege per aevum

642. *sine* lege. c.

Heinsius rescribebat,

> *Cui cura Deos secretaque coeli*
> *Nosse sui;*

a qua conjectura se non alienum fatetur *Cel.* Burmannus, quem illud *fuit* merito offendit. Ego arbitror illud *fuit* ex glossa irrepsisse, et scripsisse Auctorem,

> *At Figulus, cui* fata *Deum secretaque coeli*
> *Nosse* datum;

ut ad *τὸ datum* a glossatore adscriptum sit, i. e. *fuit.* dein *fata Deum*, pro *cura Deos* scripsi: Deos enim, nisi fallor, noscebat Figulus, augur nempe, id est Deorum interpres; sed *fata Deorum et secreta coeli* ipsi cognoscere datum fuerat. Valer. Flacc. *Lib.* I, *v.* 228.

> *Sed enim contra Phoebeius Idmon,*
> *Non pallore viris, non ullo horrore comarum*
> *Terribilis, plenus* fatis, *Phoeboque quieto:*
> *Cui genitor tribuit monitu praenoscere* Divum
> Omina.

mox, pro *numerisque moventibus astra*, Bentleius *sequentibus* rescribendum judicabat, quia sic loquitur Statius *Lib.* IV, *Theb. v.* 411. ubi dicit, Lutatium Scholiasten scripsisse, eum haec Lucano debere. Claudicat hoc argumentum. *Statius ita scripsit. Lutatius Statium haec Lucano debere ait. Ergo Lucanus quoque ita scribere debuit.* Mala est consequentia. Sed nescire se, ait vir summus, quomodo numeri sive calculi Nigidii Figuli *movere astra* potuerint! *monentibus* conjiciebat Gujetus; Burmannus *notantibus* volebat. Frustra. *numeri moventes astra* mutari non debent. Sunt enim illi numeri geometrici, arithmetice subducti, quibus ex astronomorum hypothesi secundum naturae leges moveri debent astra; ut notum iis, qui geometricis probe imbuti astronomiam vel a limine salutarunt. Quinctilian. *Declam.* IV. *Cap.* III. *digestis sideribus in numeros.* Inde incerto, id est *vago et inconstanti motu discurrere sidera* ait *v.* 643. et *infra v.* 663. iterum,

> *Cur signa meatus*
> *Deseruere suos, mundoque* obscura feruntur?

obscura, ut per certos numeros ab astronomis secundum leges naturae observari et determinari nequeant. *vid.* hic Scholiasten et Oudendorpium. Jev.

642. *Aut hic errat, ait, nulla cum lege per aevum Mundus,*] Solus ex vetustis Harleianus, cum. Ceteri cum plurimis recentioribus, *nulla* sine *lege.* Quam lectionem Priscianus in suis libris reperit, mirificeque interpretatur p. 1194. *Οὐδὲ τόδε ἐποίησεν, ὀιδὲ* (lege *οὐδὲ*) *τόδε οὐκ ἐποίησεν, pro eodem ponunt Attici, ex supervacuo duplicantes abnegationem. Terentius in Phormione: non sic futurum est.* (lege *Non, non sic* Phorm. II, I, 73.) *Lucanus in Primo: Aut hic errat, ait, nulla sine lege per aevum Mundus.* Sic et ibi codex vetus Cantab. Nimirum hoc vult Priscianus, negativas binas non semper affirmare, solito Latinorum more; sed nonnumquam negare, more At-

tico quale hoc Terentii ex Andria potius I, 2, 34. quam illud ex Phormione:

Neque tu haut dicas tibi non praedictum cave.

Et Plauti Bacchid. IV, 9, 114.

Neque ego haut committam.

Ubi perinde est, ac si dixissent, *Neque tu dicas; Neque ego committam.* ad hanc faciem interpretatur magnus magister, *sine nulla lege* idem esse ac *sine lege;* ut duae scilicet negativae *sine* et *nulla* fortius et strictius negent. Quanti est sapere! Enimvero *sine nullo judicio*, si ipsius more dicere licet, versatus hic est summus grammaticus. Apage tam inficetum commentum. Neque vero ex Harleiano et vulgatis CUM, recipiemus: sed quod facile Librarii oculos olim fefellit, $\overline{sn}$ pro $\overline{sb}$; solito literarum compendio,

Aut hic errat, ait, nulla SUB *lege per aevum.*

Ut Georg. IV, 154. de apibus:

Solae communes natos, consortia tecta
Urbis habent, magnisque agitant SUB LEGIBUS AEVUM. BENTL.

Plurimi Codd. *nulla sine lege.* Regius Cod. Hamb. pr., editio Romana et Parmens. *ulla sine lege.* Wittianus *τὸ sine* non agnoscit, sed supra scriptum *cum.* ULLA *sine lege* OUDENDORPIUS et BURMANNUS probant, ut ultima syllaba *τȣ̃ ait* caesurae beneficio producatur. BENTLEJUS legit *nulla sub lege.* WITHOF. in *Encaen. Crit. pag.* 30. rescribit *nulla si lege*, et *hanc lectionem tam certam ait, ac si ex mille membranis, imo ipso* LUCANI *prodiret autographo;* ast eam lectionem ridicula explicatione elevat. Ita saepe optimae et certissimae, quae visae nobis fuerint, conjecturae fallaces deprehenduntur et in fumos abeunt! Ne tamen in tanto aestu Doctorum hic *ἀσύμβολος* videar, ipse quoque conjecturam sobriam afferam, pro qua tamen tamquam pro aris et focis pugnare nolim, etsi forte non nemini tam absurda non videatur. Legendum puto,

Aut hic errat, ait, FIXA *sine lege per aevum*
Mundus, et incerto discurrunt sidera motu;

sine fixa lege, id est, sine *certo fatorum ordine. Natura* enim, *parens mundi, secundum Stoicos aeterna et immutabili lege fata et caussas rerum disposuit.* LUCAN. *Lib.* II. *v.* 9.

Sive PARENS RERUM, *cum primum informia regna,*
Materiamque rudem, flamma cedente, recepit,
FIXIT *in aeternum caussas, qua cuncta coercet,*
Se quoque lege tenens.

VALER. FLACC. *Lib.* I. *v.* 531. de lege fatorum immutabili,

Tum genitor. Vetera haec nobis et condita pergunt
Ordine cuncta suo, rerumque a principe cursu
FIXA *manent.*

Figere leges phrasis vulgo notissima, de qua ideo dicere supersedeo. *Fisa* pro *fixa* scriptum fuerat in Cod., unde primo *visa*, et tandem *ulla* et *nulla* natum videtur. Judicium sit penes Eruditos.

Interim HORATII hic meminero, quem menda hic liberatum dare volo, *Epod.* v, *v.* 51.

Nox et Diana, quae silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra.

Miror hoc transiisse acutissimum BENTLEJUM. Quid? an Diana tantum *silentium regit*, cum SACRA MAGICA fiunt? Illa, nisi fallor, semper REGIT SILENTIUM, id est, *nocti imperat.* Rescribendum igitur,

Mundus, et incerto discurrunt sidera motu:
Aut, si fata movent, orbi, generique paratur
Humano matura lues. terraene dehiscent,
Subsidentque urbes? an tollet fervidus aer
Temperiem? segetes tellus infida negabit?
Omnis an infusis miscebitur unda venenis?
Quod cladis genus, o Superi? qua peste paratis
Saevitiam? extremi multorum tempus in unum

644. *urbi* b. c. d. 646. *aut* tol. c. 647. tellus*que* d.
O
648. Amnis an fus. d.

Nox et Diana, quae silentium regis;
Arcana CUI *fiunt sacra!*

nam *Dianae*, quae eadem ac TRIVIA et HECATE, sacra fiebant magica. Inobservatum hoc credo latuit, quia vulgo ita notum non fuit, quid esset SILENTIUM REGERE, quod LAEV. TORRENTIUS *ad d. l.* HORATII recte explicuit. Leve hoc; monendum tamen fuit.

Nunc Augiae stabulum purgabimus, et ab ineptis interpolatoris sordibus SENECAM vindicabimus in *Herc. Oet. v.* 1080.

Sed cum linqueret inferos
Orpheus carmina fundens,
Et vinci lapis improbus,
Et vatem potuit sequi;
Consumtas iterum Deae
Supplent Eurydices colos.

GRONOVIUS secundum hujus loci versum legi metricae adversari videbat, quare conjiciebat legendum *funditans*. Multo melius BENTLEJUS ad HORAT. *Lib.* I. *Od.* XV. *v.* 15. corrigit *dividens*. Ast quid sequentia sibi velint, ignorare fateor. GRONOVIUS dicit, *auctorem respicere saxum Sisyphi*. Audio. Sed quis ei, verba haec LAPIS IMPROBUS significare ex mente auctoris *saxum Sisyphi* credat, licet vel Jovem lapidem jurare paratus sit? Non enim hoc significare possunt. Quid, quaeso, poetae cum tali stribligine loquendi, qualis haec est,

Et vinci lapis improbus,
Et vatem potuit sequi.

vinci et *sequi potuisse*, non autem *secutus fuisse* dicitur *lapis ille improbus*. Ridicule! Spurii hi versus sensum turbant, qui sine illis optime constat.

Sed cum linqueret inferos
Orpheus carmina dividens,
Consumtas iterum Deae
Supplent Eurydices colos.

Quisquis haec intrusit, cum supra vidisset de Tityo, Ixione et Tantalo agi, Sisyphum putavit hic necessario requiri, adeoque poetae de suo liberalis fuit, metuens ut fabularum affatim foret. JEV.

647. — *Segetes tellus infida negabit?]* Puteaneus TELLUSQUE. Lege,

*Segetes tellus*NE *negabit, Omnis an infusis.*

650. — *Qua peste paratis Saevitiam?]* Libenter velim doceri, quid sit *parare saevitiam peste:* certe sic potius dicerem, *parare* PERNICIEM *vel* EXITIUM *peste.*

Convenere dies. summo si frigida coelo
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes:

Ita tamen ante multa saecula legit vir sui aevi doctissimus Joannes Sarisberiensis p. 92. Neque variant Codices nostri. sic corrigendum,

Qua peste PIATIS
Saevitiam?

Hoc est, satiatis, expletis, vindicatis. Propertius III, 17, 17.

Nam quid Medeae referam, quo tempore matris
Iram natorum caede piavit amor.

Piavit iram caede, ut *piatis saevitiam peste*. BENTL.

Inconcinni atque duri quid in his verbis merito agnovit Cel. BURMANNUS. HEINSIUS pro *Saevitiam* margini editionis adscripserat *Exitium* vel *Servitium*. BENTLEIUS optime rescribit,

qua peste PIATIS
Saevitiam?

ut PIARE sit *vindicare*, *explere iram*. Ut apud VIRGIL. *Lib.* II, *Aen.* v. 140.

Quos illi fors ad poenas ob nostra reposcent
Effugia, et culpam hanc miserorum morte PIABUNT.

Sed huic τῦ *piare* explicationi hic obstare videtur τὸ *saevitiam*; quare malim alia significatione hic sumere hoc verbum, ut sit *luere*, *expiare*, *placare*, ut forte scripserit Auctor,

Quod cladis genus HOC, *Superi! qua peste* PIAMUS
Saevitiam!

Quod genus cladis hoc est, quod portenditis et minamini! qua clade iram et saevitiam vestram luere et expiare debebimus! HORAT. *Lib.* II, *Epist.* I. v. 143.

Tellurem porco, Silvanum lacte PIABANT.

Sic PIARE *aras thure* dixit PROPERT. *Lib.* III. *Eleg.* VIII. v. 19. Hinc *piabile fulmen*, quod certo et sollemni ritu expiare et placare solebant, ne noceret, dicitur OVIDIO *Lib.* III, *Fast.* v. 289.

Cui Dea, ne nimium terrere, PIABILE *fulmen*
Est, ait, et magni vincitur ira Jovis.
Sed poterunt ritum Picus Faunusque PIANDI
Prodere, Romani numen uterque soli. JEV.

651. — *Summo si frigida coelo*
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes:
Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,] *Stella nocens quae summo coelo friget*, Saturni descriptio est. Quale igitur illud est, *si illa stella*, Saturnus scilicet, *accenderet nigros ignes Saturni?* Certe hanc constructionem ipse verborum ordo necessario requirit, sed si sic ordinabimus, *stella Saturni nocens frigida summo coelo*, quid deinde? *quos nigros* ignes accendat? suos, opinor; at illi vel ab orbe condito semper accensi sunt, numquam exstincti. sic igitur legendum credo,

Stella nocens nigros CAPRICORNI *accenderet ignes.*

Nimirum ex astrologorum decretis, Saturnus sedem suam ac domicilium in *Capricorno* et *Aquario* habet: in illis duobus dominium et regnum obtinet, vim suam praecipue exercet. Vide Firmicum II, 2. et alibi. Si Saturnus igitur nunc, inquit, in Capricorno esset; Aquarius, alterum ejus domicilium, diluvio rursus Deucalioneo terras obrueret. Plin. Hist. II, 39. *Saturni maxime transitus imbribus faciunt.* Contra, si Sol jam in Leone (Solis

Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,
Totaque diffuso latuisset in aequore tellus.

scilicet domicilio) esset, totus orbis incendio flagraret. Recte etiam *nigros* Capricorni *ignes:* quippe nullam stellam habet vel primae vel secundae magnitudinis: unde et Arato *v.* 702. *niger* dicitur.

Αὐτῷ κυανέῳ ὑποκείμενος Αἰγοκερῆϊ.

Hesychius. *Κυάνεος, μέλας, σκοτεινός; niger, tenebrosus.*

Idem Festo Avieno [in Arateis *v.* 651.] *marcidus* est:

Hispida setosi marcet species Capricorni.

Quam facile autem *Capcorni* (sic scribebant in linea) transire potuit in *Saturni?* Bentl.

Locus hic mendosus et insigniter depravatus. Testantur aestus Doctorum virorum, haec explicare tentantium. *Nocens* de stella Saturni capiunt, et de *nigris* illis *ignibus* et *Aquario*, nescio quae, mira nobis narrant. Bentleius merito suspectum habuit hunc locum, et quia *stellam nocentem* de Saturno capit, rogat an Saturnus *suos ignes* accenderet? quare rescribit,

Stella nocens nigros Capricorni *accenderet ignes.*

sed quid tum? *an* frigida *stella* accenderet *ignes Capricorni?* hoc quoque *ἄτοπον*. Ego vero, Lector erudite, textum Auctoris corruptum judico, unde non mirum, si Interpretes hic errarint. *Stella nocens*, *frigida* ridicule dici mihi videtur, nam qualis haec sit stella, quae Saturnum accenderet, non conjectaverit Oedipus: vel, si opinionem receptam de *stella nocente Saturni* sequamur, quos nigros *illa* ignes incenderet, ne astrologus quidem dixerit. Quid multa? Legendum suspicor,

Summo si frigida coelo
Stella Jovis pigros *Saturni*
accederet *ignes*,
Deucalioneas *fudisset Aquarius* undas,
Tectaque *diffuso latuisset in aequore tellus.*

Videamus proposita emendatione sensum Poetae, qui hic, nisi fallor, fuerit: *Si frigida* Jovis *stella* (quae nunc *in alto occasu premitur. v.* 661.) pigros ignes *Saturni* accederet *in summo coelo*, id est, *si cum tarda Saturni stella in conjunctione esset*, ut ajunt Astronomorum filii, necessario, *Aquario utriusque sideris vim sentiente*, magna aquarum eluvies terras obrutas texisset. *Frigida* et *temperata* Jovis stella pro domo sua habet Sagittarium et Pisces; Saturnus vero Capricornum et Aquarium. Pisces *et* Aquarius *humida sidera.* Ex Aquario decedens sol ingreditur Pisces. Inde diluvii *prognostica!* Pigros ignes Saturni lego, quia tardissimo omnium motu labitur. *Accedere* pro *conjungi* frequens, ut probatione non indigeat. *Deucalioneas undas* rescripsi ex Thuan. sec. quod magis poeticum, atque ita vitatur ingratus sonus in fine duorum contiguorum versuum, in *ignes* et *imbres*. *Tectaque* porro pro *totaque* recte emendatum a Bentlejo, sequitur enim mox *tota v.* 656. Eruditis judicium permitto libens. Jev.

654. *Totaque diffuso latuisset in aequore tellus.]* Recte; si nusquam alio circumspectes. At altero abhinc versu iterum videbis *toto mundo,* vide autem quam nullo negotio suus loco nitor restituatur:

Tectaque *diffuso latuisset in aequore tellus.*

Si saevum radiis Nemeaeum, Phoebe, leonem
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,

656. fluerent; *e* man. sec. in membr. erasa c.

655. *Si saevum radiis Nemeaeum, Phoebe, leonem Nunc premeres,]* *saevum*, *Nemaeum leonem*, Accio hoc et Pacuvio dignum, non eo qui munditie et elegantia paene peccat. Vide an agnoscas Auctoris manum:

Si TERGUM *radiis* NEMEAEI, *Phoebe*, LEONIS
Nunc premeres.

Seneca patruus. Oedip. 40.

Titan leonis terga Nemeaei premens.

Ovid. Arte 1, 68.

Cum Sol Herculei terga leonis adit. BENTL.

Recte BENTLEJUS haec duo epitheta inconcinna sensit, adeoque emendavit verissime, ut mihi quidem videtur,

Si tergum radiis Nemeaei, Phoebe, leonis
Nunc premeres, toto etc.

Pro *flagrasset curribus aether* eleganti conjectura *fumasset* legit WITHOF. *in Encaen. Crit. pag.* 32. *fluerent incendia* vindicavit Cel. BURMANNUS *in Dissert. de Jov. Fulg. Cap.* IX. Hic tamen dubito, an illud verbum non nimis leve sit, quia *toto coelo* additur. Quare, si Codex aliquis addiceret, legere vellem,

Toto FURERENT *incendia mundo;*

furerent, id est, *saevirent*. Sic *Lib.* I. *v.* 155. FULMEN *in sua templa* FURERE dicitur, et *flamma furere* dicitur *Lib.* X. *v.* 447.

Nec secus in Siculis FURERET *tua flamma caminis,*
Obstrueret summam si quis tibi, Mulciber, Aetnam.

mox *versu* 660. in Colbertin. Cod. erat *imo* teste BENTLEJO.

Interim cultissimus NASO medicinam rogat, quam ei haud denegabimus. Corruptus videtur locus *Lib.* 1, *Amor. Eleg.* IX. *v.* 13.

Nec freta pressurus tumidos caussabitur Euros,
Aptave verrendis sidera quaeret aquis.

In Cod. Moreti erat *pulsurus*. FRANCIUS conjiciebat *fissurus*. BURMANNUS rescribere velit *passurus*. Vides aestum virorum summorum, Lector! Sed ad criticam lancem expendamus locum, et videbimus doctissimos viros frustra sollicitare vocem sanam. Lege mecum, sodes benevole Lector,

Nec freta PRESSUROS TIMIDUS *caussabitur Euros,*
Aptave verrendis sidera quaeret aquis;

et habebis manum poetae. Agit Naso de audacia amatoris, qui, ut amica potiatur, nullos labores, nulla detrectet pericula. Amator, ait, per maria puellam amatam sequetur, neque (ut homines timidi metu mortis solent) moras nectet, neque, ut navigationis metum dissimulet, culpam conjiciet in horrendas tempestates, quae mare vexant, neque se exspectare dicet tempora navigationi magis opportuna. PREMERE *procella mare* eleganter dicitur. Sic apud HORAT. *Lib.* 1, *Od.* XIV, 1. *navis* dicitur PRESSA MALO, id est, *tempestate vexata*, ut *mare* eidem *vexari procellis* dicitur. *Lib.* II, *Od.* IX, 3.

aut mare Caspium
Vexant inaequales procellae;

timidus hic apprime convenit, et saepissime haec vox in MSS. cum *tumidus* confunditur. *Vid. Cel.* BURMANN. *ad Lib.* II, *v.* 360. et *Lib.* V, *v.* 217. JEV.

Succensusque suis flagrasset curribus aether.
Hi cessant ignes. tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda, chelasque peruris,
Quid tantum, Gradive, paras? nam mitis in alto
Juppiter occasu premitur, Venerisque salubre
Sidus hebet, motuque celer Cyllenius haeret,

657. *t*uis b. c. d. 658. Hi*i*, ut fere semper ab initio b; in c altera *i* addita est a man. sec.

657. *Succensusque suis flagrasset curribus aether.*] Illud *suis* omnes Viri magni editiones insedit. Bersmannus quidem ex uno codice effert *suis*, sed non adscivit. Reponendum cum libris nostris universis, *tuis*, *o Phoebe*, *curribus:* aether enim non curru vehitur.

659. — *Tu qui flagrante minacem Scorpion incendis cauda, chelasque peruris, Gradive,*] Mars in Scorpio domicilium unum habet, alterum in Ariete. Scorpius autem olim duorum signorum spatium in Zodiaco occupabat: unius suo corpore seu trunco, qui proprie Scorpius dicitur, alterius chelis suis sive brachiis, quae pars nunc Virgo appellatur et pingitur. Inde est, quod totum hic Scorpium, tam corpus quam chelas, stella Martis incendat. Sed, an istud satis lepide, *incendis et peruris?* hoccine illo majus an minus, an prorsus idem est? Si omnia Noster sic scripsisset, facile potuerit Neronis in carminibus aemuli gladios contemnere. Sed sine dubio non ita Lucanus; sic enim levi mutatione emendemus:

— *Tu qui flagrante minacem*
Scorpion incendis cauda, chelasque PRIORES.

Nimirum Chelae, si ab Ariete, ut solent, numeres, vel si siderum ortum spectes, Scorpium praecedunt. Cicero in Phaenomenis [*v.* 322.]

— *Tum rutilo sequitur collucens corpore Virgo,*
Exin *projectae claro cum lumine Chelae,*
Ipsaque consequitur *lucens vis magna* Nepai.

Ut autem respectu Scorpii *Chelas priores*, ita Virgilius respectu Virginis, Georg. I, 33.

Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentes.

Noster II, 691.

— *Jam coeperat ultima Virgo*
Phoebum laturas ortu praecedere *Chelas.*

660. — *Nam mitis in alto Juppiter occasu premitur,*] Colbertinus prior omnium veterrimus, *in* IMO occasu. Quod suo jure se recipi postulat. Claudian. VI, Honorii 18.

Namque velut stellas Babylonia cura salubres
Optima tunc spondet mortalibus edere fata,
Caelicolae cum celsa tenent, summoque feruntur
Cardine, nec radios humili statione retundunt.

662. — *Motuque celer Cyllenius haeret,*] Sic Priscianus citat p. 760; firmantque ibi membranae veteres Cantab. praetulerim tamen,

METAQUE *celer Cyllenius haeret.*

Et coelum Mars solus habet. cur signa meatus
Deseruere suos, mundoque obscura feruntur:
Ensiferi nimium fulget latus Orionis?
Imminet armorum rabies: ferrique potestas
Confundet jus omne manu: scelerique nefando

Mercurius *haeret meta*, hoc est, incipit reciprocare seu retrogragradus fieri. Plinius Hist. II, 12. *Inferiores duae stellae* (Venus et Mercurius) *a longissimis distantiae suae* METIS *solem insequuntur.* Cicero pro Coelio c. 31. *In hoc flexu quasi aetatis, fama adolescentis paulum* HAESIT AD METAS.

663. *Et coelum Mars solus habet.]* Cum *v.* 660 Martem compellet et adloquatur, *Quid tantum Gradive paras?* quis dubitet, quin et hic in persona secunda extulerit;

Et coelum Mars solus HABES.

Ceterum de toto hoc loco, etc. censet Julius Scaliger: [Hypercrit. VI. c. 6. p. 780.] *Figuli,* inquit, *commentatio in primo libro, tota frigida, nec matheseos umbra digna:* nescio an menda illa gravissima, quae corrigere noluit, hanc ei censuram expresserint, certe ut nunc se habent, frustra haec sugillaverit. Si Saturnus Capricornum obtineret, diluviem fore, nonne hoc astrologorum placitum est? non illud quoque, si Sol in Leone esset, calorem fore et incendium? non, si Mars solus caelum habeat, stellis benignioribus remotis, bella fore? si Orionis ensis praeter solitum fulgeat, signis aliis sub nube occultatis, pugnas et praelia suboritura? Quam ille *matheseos umbram* vel lucem hic desideret, equidem nescio.

667. — *Scelerique nefando Nomen erit virtus;]* Hoc et huic adhaerentia ex Seneca adumbravit, Herc. Fur. 251.

— *prosperum ac felix* scelus
Virtus *vocatur: sontibus parent boni;*
Jus *est in* armis, *opprimit leges timor.* BENTL.

SCELERATUS *et* NEFANDUS TYRANNUS *tamquam* VIR BONUS *et* FORTIS *laudabitur.* Abstractum, ut ajunt, pro concreto. Haec mens Poetae, qui hic oblique pungit Caesarem, quem INVISUM TYRANNUM *Lib.* IX, *v.* 279. et SCELUS NEFANDUM vocat *Lib.* IV, *v.* 228. Hactenus quidem in hoc loco jam omnia satis expedita videantur. Verum (ut ingenue fatear) male me habet ISTA PAX, *quae cum* DOMINO *ventura esse dicitur.* Quae enim illa sit, nemo divinaverit. Ab Auctoris manu haec ita profecta esse nequeunt. Interpretes tacent. Scholiastes suaviter nugatur, cujus acumen mirari satis nequeo. Ad illa enim verba *cladem extrahe* notat haec: EXTRAHE, i. e. *protende, ne pax veniat cum domino, tum tantum libera, cum geras bellum civile.* Putes eum ab inferis evocasse manes Poetae, ut mentem ejus rite caperet et nobis explicaret! Crediderim, Poetam nobis hoc modo reliquisse:

Cum domino PAX JUSTA *venit:*
duc, Roma, MALORUM
Continuam seriem, cladem que
in tempora LONGA
Extrahe, civili TANDEM TUM
libera bello.

Prodit se hic iterum insanum illud, quo lymphatur furibundus Poeta, Tyrannidis odium, quo *totam Caesareae domus seriem,* ut Neroni vicem referret, *deni-*

Nomen erit virtus: multosque exibit in annos
Hic furor. et Superos quid prodest poscere finem?
Cum domino pax ista venit. duc, Roma, malorum
Continuam seriem: cladem que in tempora multa

669. *o superi* c.

grare, posterisque infamem et odiosam reddere instituit. *Cum* DOMINO sive *tyranno*, inquit, JUSTA i. e., *plena et secura pax venit*, et quoniam *Roma* TUM TANDEM *bello civili libera futura erat*, optat felle atro plenus Poeta, *ut continuam malorum* (DOMINORUM) *seriem duceret*, CLADEMQUE *hanc* sive *servitutem in longa tempora sive multa secula extraheret*. JUSTA PAX est plena et secura, qualis tandem venit, imperante Augusto, templo JANI clauso, quod securae pacis per totum terrarum orbem argumentum. Sic *Lib.* IV. *v.* 365.

> *Ut primum* JUSTAE PATUERUNT *foedera pacis.*

ut ibi pro vulgato *placuerunt* legendum ostendemus. *Ista* et *justa* characteribus literarum vix differunt in MSS., unde facile confunduntur. *Seriem malorum* DOMINORUM voluisse Auctorem, claret ex *Lib.* IV, *v.* 823.

> JUS *licet in jugulos nostros sibi fecerit* ENSIS
> *Sulla potens, Mariusque ferox, et Cinna cruentus,*
> *Caesareaeque domus series.*

Ensis lego, ut in quinque Codd. reperitur teste Burmanno. JUS ENSIS Poetae est *jus* sive *potestas gladii* ut *v.* 666. ait, quae SUMMO IMPERIO propria. Dein *tandem tum* rescripsi pro *tantum jam*, facili Librariorum lapsu, sensu postulante. LIBER enim pop. Romanus, ut *v.* 171. ait,

> *Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret,*
> *Quem sua libertas immotis pasceret armis.*

adeoque non poterat sine bello pati, nisi *tum demum*, postquam sub imperatoribus tandem SERVITIO assuevisset. CLADEM vocat SERVITUTEM sive *amissam libertatem*. Sic *Lib.* VII, *v.* 455.

> CLADIS *tamen hujus habemus*
> *Vindictam, quantam terris dare numina fas est.*

CLADEM ibi vocat *amissam libertatem*, ut patet, si conferantur ea quae praecedunt *v.* 440.

> *De Brutis, Fortuna, queror! quid tempora legum*
> *Egimus, aut annos a consule nomen habentes?*

CLADES est igitur *servitus sub continua malorum Principum serie*, quam sub persona Figuli astronomi vaticinatur Poeta. Hanc enim jam a tempore Augusti ad sua secula stetisse sciebat, et perpetuo duraturam facili conjectura assequi poterat. Censeant tribunalis critici Senatores!

JEV.

671. — *Cladem que in tempora multa Extrahe,]* Tertio ante versu habuimus *multosque exibit in annos:* ergo putide hic repetitur *multa.* Scripsit, opinor, auctor,

> *Cladem que in tempora* LONGA.

Martial. IX, 30.

> *Euboicae nondum numerabas* longa *Sibyllae*
> *Tempora.*

Extrahe, civili tantum jam libera bello.
Terruerant satis haec pavidam praesagia plebem:
Sed majora premunt. nam qualis vertice Pindi
Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo:
Talis et attonitam rapitur matrona per urbem,
Vocibus his prodens urgentem pectora Phoebum.
Quo feror, o Paean? qua me super aethera raptam
Constituis terra? video Pangaea nivosis
Cana jugis, latosque Aemi sub rupe Philippos.

672. *tu* tantum *l*ibera; *l* a man. sec. correcta est. c. 680. rup*e*; *pe* a man. sec. c.

675. *Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo:]* Ita legit Servius, [ad Aen. XII, 365.] aitque esse *συςολὴν*. At summae eruditionis Salmasius in Plinianis exercitationibus [p. 109, a, B.] vult legi *Odonis*, quia apud Periegeten Dionysium sunt *ὤδονες*. Grotius. Fallitur vir magnus, cum *Periegeten Dionysium* dicit. Est alter Dionysius Bassaricorum scriptor. Stephanus de urbibus: [p. 731.] *Ὤδονες, ἔθνος Θρᾴκης, τοῖς Μαίδοις ὅμορον. Διονύσιος ἐν Βασσαρικῶν τετάρτῳ καὶ δεκάτῳ,*

Μαίδων τ' ἄγρια φῦλα, καὶ
Ὤδονες ἐγχεσίπεπλοι.

Ita corrupte nunc habetur *ἐγχεσίπεπλοι*. Neque vero reponendum *ἑλκεσίπεπλοι*, cum Salmasio ad Solinum. Unde enim Arctois et barbaris illis vestis fluxa et pretiosa? quomodo autem viri illi in veste muliebri? Notum illud Homericum, [Il. VI, 442.]

Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας
ἑλκεσιπέπλους.

Corrigendum sine dubio,

Μαίδων τ' ἄγρια φῦλα, καὶ
Ὤδονες ἐγχεσίπαλλοι.

Ne id quidem Salmasio assentior, apud Nostrum emendandum esse *Odonis*, quia *Edonis* plerumque secunda producta effertur. Non temere tam obscuram gentem nominasset prae illa tam celebri. Quin et Silius [IV, 776.] sic corripuit:

Edonis *ut Pangaea super*
Trieteride mota.

In externis barbaris nominibus, et ad Graecae linguae paulum invertendis, non potuit una certaque esse pronunciatio. Sic *Βίςονες* vulgo dicti: ut iidem et *Βίςωνες* Apollonio Rhodio, Virgilio, et Stephano. Vide Drakenborchium ad dictum Silii locum. [Laudat hunc locum Bentl. ad Horat. Carm. III, 25, 9. ubi ex nostro et aliis locis Bacchas Edonides dici docet; simul monet: „Obiter notandum est, etsi ab aliis id observatum sit, Lucanum Siliumque perperam corripuisse syllabam secundam [in v. *Edonis*], cum Graeci semper *Ἠδωνοὶ* scripserint, numquam *Ἠδόνιοι*. Mirum tamen, ut, velut agmine facto, conspiraverint Latini librarii in partes Lucani et Silii.“ Addit, in reliquis scriptoribus formam *Edonius*, MSS. adstipulantibus, legi. Web.]

680. *Cana jugis.]* Laudat hunc locum Bentl. ad Horat. Epist. I, 3, 4. docens, *canus* de nivoso monte dici. Web.

Quis furor hic, o Phoebe, doce: quae tela, manusque
Romanae miscent acies, bellumque sine hoste est?
Quo diversa feror? primos me ducis in ortus,
Qua mare Lagaei mutatur gurgite Nili.

681. quo tela. b. d. 682. bellum sine. d.

681. *Quis furor hic, o Phoebe, doce: quae tela, manusque Romanae miscent acies,]* Melius QUOD, ut Puteaneus, quam QUAE, ut Veneta. Sed utroque melius quod Colbertinus veterrimus multique alii, et pleraeque post Romanam editiones, QUO. Si QUOD recipis, uno colo claudenda erit sententia: si QUO, duplici, quod commotius est et mulieri lymphatae aptius. Quo, quare, quamobrem, quem in finem *tela,* (pila, hastas,) *manusque* (gladios)?

684. *Mutatur gurgite]* Miratur *Cel.* BURMANNUS in hoc verbo haesisse interpretes, locumque suspectum habuisse. Ipse facilem, ut putat, huic loco explicationem suppeditat hoc modo, *ubi ex Nilo in mare navigant:* quemadmodum solemus dicere *mutare domum,* nempe *domo alia.* Verum si haec summi critici, optimi magistri (cujus manes mihi semper sancti erunt, cujus virtuti et praeclaris in Remp. literariam meritis, Burmannianae famae vindices, Camoenae nostrae aere perennius monumentum quandoque erexerint!) explicatio admittenda esset, deberet utique esse aliquis, qui nave vectus e Nilo mare ingrederetur. Corruptus est locus, ut plane mirum mihi non sit, hic haesisse et offendisse viros doctissimos. Favente critica legendum censeo,

Qua mare Lagaei DITATUR *gurgite Nili.*

qua Nilus se in mare Aegyptium exonerat. [Cel. SCHRADERUS defendi vulgatam lectionem posse putabat, si *mutatur* explicaremus per *coloratur.* Quemadmodum CATULLUS *Carm.* XI, *v.* 7. ait,

Sive qua septemgeminus colorat
Aequora Nilus.

verum *mutare* sic simpliciter hoc sensu non admodum placet. Non igitur muto sententiam. *Ex Addend.]* DITARE est *locupletare, opes et divitias conferre.* Ita LIVIUS *Lib.* XXI. *Cap.* LX. *Castra militem* DITAVERE. Et ita *sermonem patrium* DITAVISSE dicitur Ennius *novis vocabulis inventis* HORATIO *Art. poet. v.* 57. OVID. *Lib.* II, *ex Pont. Eleg.* VII. *v.* 62.

DITATA *est spoliis perfida turba meis.*

Addere divitias vocat HORAT. *Lib.* III, *Od.* XXIX, *v.* 61.

Ne Cypriae Tyriaeque merces
ADDANT *avaro* DIVITIAS *mari.*

Eleganter amnis *aquis suis mare* DITARE dicitur, cum aquas suas in mare exonerat. Hoc, Horatiana imitatione, ADDERE OPES dicitur VALERIO FLACCO *Lib.* IV. *v.* 714. loco corruptissimo, quem hoc modo legendum puto:

Non alibi effusis cesserunt longius undis
Litora: nec tantas GURGES *Tyrrhenus et Aegan*
Volvat aquas, geminis SI *desint Syrtibus undae.*
Nec SUPER HAEC *vastos, tellus* QUOS *congerit, amnes;*
Nec septem gemini memorem quas exitus Histri,
Quas Tanais, flavusque Lyces, Hypanisque Melasque
ADDAT OPES.

pro *quamvis,* quod vulgo legitur, rescripsi GURGES. GURGES TYR-

RHENUS pro *mari Tyrrheno*. LUCAN. *Lib.* II, *v.* 210.

congesta recepit
Omnia TYRRHENUS *Syllana cadavera* GURGES.

[*Gurges Tyrrhenus* in dicto Lucani loco est fluvius *Tiberis*, ut docui infra ad eundem locum, ejecto spurio versu. Monendum hoc fuit, ne quis invidus carperet. *Ex Addend.*] *Si desint Syrtibus undae* ita lego, pro *et desint* (HEINSIUS legit, *ut desint*) ut velit poeta, Tyrrhenum et Aegaeum mare tam vastum non esse, quam Pontum Euxinum, si Syrtes a latitudine deductae fuerint. Dein vero *nec super haec etc. memorem*. Super HAEC, id est, *praeterea*. Praeterea commemorare non possim omnes fluvios, quos regio illa undique congerit, nec quas OPES ADDANT Hister, Tanais et tot nobilium fontium nomina. OPES, DIVITIAE, VIRES de aquarum copia dici solent. *Vid. Not. Cel.* BURMANNI *ad h. l.* VAL. FLACCI. Elegans hoc verbum LUCANO etiam restituendum *Lib.* VII, *v.* 537.

Utinam, Pharsalia, campis
Sufficiat cruor iste tuis, quem barbara fundunt
Agmina, nec LATIO DITENTUR *sanguine fontes!*

Vulgo inepte legitur:

non ALIO MUTENTUR *sanguine fontes.*

Optat enim Poeta, ut solus barbarorum populorum sanguis fluat in campis Pharsalicis, neve Romanorum sanguine fontes impleantur. Probant sequentia,

Aut, si ROMANO COMPLERI SANGUINE *mavis,*
Istis parce, precor!

dtntr et *mtntr* facillime confundi potuere.

HORATIO jam medicinam faciamus loco difficillimo *Lib.* I, *Od.* XXXV. *v.* 22.

Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
Utcumque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.

Aestuat hic mirum in modum acutissimus BENTLEJUS. Turbatum sensum arguit, et pro *linquis* rescribit *vertis*. Corruptus certe hic locus. Cedo enim, cum ALBA VESTE Fidem velaverit poeta, cur Fortunae *mutatam* tribuit *vestem?* Praeterea haec poetae verba *nec comitem abnegat* longe aliud significant. Legendum conjicio,

Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno; nec SOCIUM *abnegat,*
Utcumque mutata potentes
MENTE *domos inimica linquis.*

Hoc sensu: *Fides te colit*, FORTUNA, *qualiscumque fueris*, *sive* BONA *sive* MALA. *neque* ABNEGAT SOCIUM vel *amicum* in rebus adversis, cum MENTE MUTATA, *non amplius favens*, eum deseris et destituis. ABNEGARE SOCIUM est *prodere, deserere, destituere; negare suum amicum esse*, ut eleganter ait OVID. *Lib.* II, *ex Pont. Eleg.* VI. *v.* 24.

Turpe sequi casum et fortunae cedere, AMICUM
Et, nisi sit felix, ESSE NEGARE SUUM.

ad vocem SOCIUM adscripta glossa, *i. e. comitem*, tandem textui irrepsit. SOCIUS est *amicus* HORATIO. Sic *Lib.* III, *Od.* XXIV. *v.* 59.

Cum perjura patris fides
Consortem SOCIUM *fallat et hospitem.*

et *Lib.* II, *Epist.* I. *v.* 122.

Non fraudem SOCIO, *puerove incogitat ullam*
Pupillo.

mente mutata eleganter de Fortuna, quae inconstans est et diu *manere* non vult, et favorem negat. Sic HORAT. *Lib.* III, *Od.* XXIX. *v.* 53.

Laudo manentem. Si CELERES QUATIT
PENNAS, *resigno quae dedit, et mea*

Hunc ego, fluminea deformis truncus arena
Qui jacet, agnosco: dubiam super aequora Syrtim,
Arentemque feror Libyen, quo tristis Erinnys
Transtulit Emathias acies. nunc desuper Alpis

Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quaero.

Si quatit celeres pennas, id est, *si* MENTE MUTATA *abitum parat.* Idem *Lib.* II, *Epist.* I. *v.* 108.

MUTAVIT MENTEM *populus levis, et calet uno*
Scribendi studio.

Arbitrium sit penes Eruditos. *[Dorvill. Observ. Miscell. T.* I. *pag.* 133. *levis* explicat hoc modo, ut significet *lenem, mitem* et *placatam.* Verum ita levatur quidem malum, sed non tollitur. *Ex Addend.]* JEV.

686. — *Dubiam super aequora Syrtim, Arentemque feror Libyen.]* Priscianus p. 757. *Alpis Alpim facit, ut Syrtis Syrtim: ut Lucanus in* 1. *Dubiam super aequora Syrtim.* Ita codex quoque illic Cantabrigiensis. Miseret me sane Lucani, qui vix a Nerone quicquam gravius, quam a Librariis perpessus est. Quis enim est orationi huic exitus? *feror super aequora Syrtim*, vel *feror super Syrtim aequora?* Utroque modo soloecissat; quod sensisse videntur, qui, ut in codicibus aliquot exstat, reposuerunt *aequore;* sed ab Auctoris manu erat,

— *dubiam super* ARDUA *Syrtim.*

Ubi ordo est, *ardua feror* (casu recto) *super dubiam Syrtim arentemque Libyen; dubia Syrtis*, absolute, ut Noster IX, 710. *ambigua Syrtis.* Seneca Hippol. 568. *incerta Syrtis.* Mutatio facilis et prona: nam ubi paullo ante 678. *super aethera*, Codex Cantab. habet super *ardua. Super* autem hic ἐγκλιτικῶς.

Lucan. I, 397.

Castraque quae Vogesi curvam super ardua *rupem.*

et IV, 432.

Cunctas super ardua *turres*
Eminet.

687. — *Quo tristis Erinnys Transtulit Emathias acies.]* Bene est: non omnes omnino Librarii in Lucani perniciem conjuraverunt. Ecce enim Colbertinus prior et Puteaneus, qui sic dederunt:

— *quo tristis* ENYO.

Bellonae graeca appellatio. Statius Silv. V, 3, 179.

Talia dum celebras, subito civilis Enyo
Tarpeio de monte facem, Phlegraeaque movit
Praelia.

Martial. VI, 32.

Cum dubitaret adhuc belli civilis Enyo.

Petronius de bello civili [c. 120. ab init.],

Tres tulerat Fortuna duces: quos obruit omnes
Armorum strue diversa feralis Enyo.

Transferre acies e Thessalia in Libyam, et inde in Hispaniam, non *Erinnyos* opus erat, sed *Enyus*, bellorum praesidis.

688. — *Nunc desuper Alpis Nubiferae colles, atque aeriam Pyrenen Abripimur.]* *Desuper*, hoc est, *de superiore loco*, adverbium est non praepositio. Qualis itaque constructio est, *Abripimur colles?* libenter legerim:

Nubiferae colles, atque aeriam Pyrenen
Abripimur. patriae sedes remeamus in urbis:
Impiaque in medio peraguntur bella senatu.
Consurgunt partes iterum, totumque per orbem
Rursus eo. nova da mihi cernere littora ponti,
Telluremque novam: vidi jam, Phoebe, Philippos.
Haec ait: et lasso jacuit defecta furore.

689. aeriem*que*. c. 690. A*r*ripimur. c. 692. *Con*surgunt, *Con* a man. sec. in membr. erasa c. iterum part. b. c. 693. *n*ova; *n* correxit man. sec. c. 695. deserta b. c. d. *Explicit primus liber Lucani, incipit secundus*. c. *Explicit liber primus, incipit liber secundus Lucani civilis belli*. d.

— *nunc desuper Alpis*
Nubiferae colles atque aeriam
Pyrenen
ASPICIMUS.

Nempe *super aethera* vecti summa Alpium juga desuper aspiciunt.

Virgil. Aen. 1, 420.

— *collem qui plurimus urbi*
Imminet, adversasque aspectat desuper *arces*.

et IX, 639.

Aetheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper *Ausonias acies, urbemque* videbat.

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER SECUNDUS.

Jamque irae patuere deum, manifestaque belli
Signa dedit mundus: legesque, et foedera rerum,

2. *Signa dedit mundus:]* Nullus interpretum de sanitate hujus loci dubitare visus fuit, quod certe miror. Suspectus tamen merito mihi semper visus fuit. Quid enim? *an* MUNDUS *dederit* SIGNA BELLI? et NATURA PRAESCIA *(hujus belli) verterit leges et foedera rerum et indixerit nefas?* Haec certe, si quid in arte critica valeo, mihi ἀσύςατα videri, libere pronuntio. NATURA sine intellectu, solo Deorum jussu et consilio agit, qui malum! PRAESCIA dici poterit? Vides, cordate Lector, caussas dubitandi? nunc emendationem nostram accipe. Legendum puto,

> *Jamque irae patuere deum, manifestaque belli*
> *Signa dedit* MUNDO, *legesque et foedera rerum*
> PRAEVIA *monstrifero vertit* NATURA *tumultu,*
> *Indixitque nefas.*

Non MUNDUS, sed NATURA *mundo*, id est, *hominibus manifesta* CIVILIS BELLI *signa dedit.* Illa enim PRAEVIA *monstris ferendis* evertit leges suas, ut per haec PORTENTA indicaret, *magnum* NEFAS sive exitium instare. PRAEVIA *bello civili* recte dicitur monstrifera natura, futurum exitium denuntians. Sic *praevia luci Pallantias* sive *Aurora* OVIDIO *Lib.* XV, *Met. v.* 190. et *praevius Aurorae Lucifer* dicitur *Epist.* XVIII, *Heroid. v.* 112. Ita ex decoro Poeta naturae tribuit, quae tribuenda sunt. Vulgo enim creditum, naturam non frustra parturire MONSTRA, quae inde semper malum portendere putantur.

PROPERTIO jam vicem reddamus, eumque restituamus leviter corruptum *Lib.* I, *Eleg.* XI. *v.* 7.

> *An te nescio quis simulatis ignibus hostis*
> *Sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?*

mendosus est locus; nam qui, quaeso, fieri possit, ut simulato amore Cynthiam tollat ex poetae carminibus eo invito? Quid opus multis ambagibus? Lege,

> *Sustulit e nostris, Cynthia, luminibus?*

id est, *rapuit ex oculis meis.* Insulsus librarius errante calamo

scripserat *culminibus*, quod tandem in *carminibus* transiit, plane eodem modo, quo *Lib.* II, *El.* VIII. *v.* 27. pro *lauto contendere cultu*, nobis, si Diis placet, auro contra caram lectionem *conscendere culmen* vel *carmen laudis* dederant. *Vid. supra pag.* 13. Dolebat poeta, blanditiis alterius amatoris seductam Cynthiam Bajas profectam, et oculis suis ereptam esse, quod ferre non poterat. Vide eum *Lib.* II, *Eleg.* XX. *v.* 41.

Illa meis tantum NON *usquam* DESIT OCELLIS,
Incendat navem Jupiter ipse licet.

Nunc graviore vulnere confossum eundem cultissimum poetam, et velut animam agentem, ad vitam et sanitatem revocabimus *eod. Lib.* I, *Eleg.* XV. *v.* 9.

At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat aequoribus.
Multos illa dies incomtis moesta capillis
Sederat injusto multa locuta salo.

Exprobrat hic poeta Cynthiae lentorem suum, quod amante suo periclitante crines ornaret, monilia sumeret, tamquam nova nupta ad sponsi domum itura, et utitur contrario exemplo dicens, *Calypso tui similis non fuit, o Cynthia!* sed quid tum! *Calypso olim mota digressu Ulyxis sic non fleverat.* Ast quod magis mireris dicit, illam flevisse *in desertis aequoribus*. Menti poetae lectio contraria et ne cassa quidem nuce cara. Quid agam? locum desperatum relinquam? minime. Cum MSS. Codices hic non juverint, bonam mentem adhibebo et judicium criticum. Puto dedisse Propertium,

At non sic SE *Ithaci digressu* IMMOTA *Calypso*
Desertis COLUIT SEDULA LITORIBUS.
Multos illa dies, incomtis moesta capillis
FLEVERAT, *injusto multa locuta salo;*

[*Immota* etiam legebat GRAEVIUS, probante HEINSIO *Syllog. Burm. Tom.* IV. *pag.* 198. quem debita laude proin fraudare nolui. Locum hunc indicavit *Cel.* SCHRADERUS. *Ex Addend.*] Videamus sensum poetae. *Non sic*, inquit, *Calypso* IMMOTA sive *lenta fuit digressu Ulyxis*, (quod respondet versui quarto, ubi Cynthiae dicit,

Tu tamen in nostro LENTA *timore venis.*)

neque SE *sic* SEDULA COLUIT, id est, *non tam sedula fuit in se ornanda et colenda*, quam tu, mea Cynthia, *in desertis litoribus* sive vacua insula. *Sedula se coluit desertis litoribus*, quod paulo melius erit, quam *olim sederat in desertis aequoribus*, ut vulgo legitur. COLERE est *ornare, comere.* OVID. *Lib.* III, *Art. Am. v.* 107.

Corpora si veteres non sic COLUERE *puellae,*
Nec veteres CULTOS SIC *habuere viros.*

et *de Med. Fac. v.* 11. ambiguo joco,

Forsitan antiquae, Tatio sub rege, Sabinae
Maluerint, quam se rura paterna COLI.

hinc *culta puella* est *ornata, comta.* PROPERT. *Lib.* I. *Eleg.* II. *v.* 26.

Uni si qua placet, CULTA *puella sat est.*

olim vero facillime fieri potuit ex *coluit*, extrita prima litera, quemadmodum et vox *sedula* in *sederat* mutatum ab inepto scriba, qui cum *sdla* non caperet, illud *sdrt* esse crediderit. Inde menda orta esse videtur. *Sederat* enim et *fleverat* ab aliquo

Praescia monstrifero vertit natura tumultu,
Indixitque nefas. cur hanc tibi rector Olympi
Sollicitis visum mortalibus addere curam,
Noscant venturas ut dira per omina clades?
Sive parens rerum cum primum informia regna,
Materiamque rudem flamma cedente recepit,
Fixit in aeternum causas, qua cuncta coercet,
Se quoque lege tenens, et secula jussa ferentem
Fatorum immoto divisit limite mundum:
Sive nihil positum est, sed fors incerta vagatur,
Fertque refertque vices, et habent mortalia casum:

5. visum *est*. c. 6. d*ira*; *i* in membr. erasa a man. sec. c. 12. nichil, ita semper. c. *s*ors c. 13. casu*s* b. c.

viro docto postea transposita esse videntur, qui sensum Propertii non intelligebat; quare τὸ *fleverat* in locum suum postliminii jure revocare visum. Judicent poeticarum deliciarum periti Censores! Jev.

4. *Indixitque nefas.*] *Indixit*, hoc est, denunciavit. Seneca Oedip. 17.

— *hoc me Delphicae laurus monent,*
Aliudque nobis majus indicant *scelus.*

Ubi vide Gronovium.

11. — *Et secula jussa ferentem Fatorum immoto divisit limite mundum:*] Quid est *divisit mundum?* a quo, vel inter quos? lego,

Fatorum immoto DESCRIPSIT *limite mundum.*

Descpsit, mutatum est in *Divisit*.

13. — *Et habent mortalia casum:*] Aequa fere codicum pars CASUS, unde sponte nascitur et emergit sincerior lectio,

— *et* HABET *mortalia* CASUS.

Si Fors vagatur, et *Casus* habet, possidet, regit, gubernat res mortalium, hoc certe amplius est, quam si *mortalia habent casum*, admittant, recipiant. Noster VII, 487.

— *regit omnia Casus.*

Seneca Epist. XVI. *Quid mihi prodest philosophia, si Fatum est? quid prodest, si Casus imperat?* et mox: *sive* Casus *res humanas sine ordine impellit et jactat.* BENTL.

BARTHIUS *ad Gratii Cyneget. v.* 24. hypallagen statuit pro *casus habent mortalia*, teste Burmanno, qui vulgatam lectionem tuetur, sed ita ut non alienus sit a viri docti conjectura apud Cortium, legentis *agunt mortalia Casus,* si Codex addiceret. [BENTLEIUS rescribit *et habet mortalia Casus. Ex Addend.*] Ut dicam breviter quae sentio, neque *habent*, neque *agunt* mihi placet, nam *casus* in numero plurali *varios eventus* significat, non *Casum* seu *Fortunam*. De *Casu* vel *Fortuna* loquitur Auctor dis-

Sit subitum quodcunque paras: sit caeca futuri
Mens hominum fati: liceat sperare timenti.
Ergo ubi concipiunt quantis sit cladibus Urbi

16. orbi b. d. *urbi* in c; sed a man. al. adscriptum est *vel orbi*.

quirens, num *fatali providentiae lege*, an vero *Fortuna* RES MORTALIUM regantur? Unde legendum unice erit,

Et agit mortalia Casus.

sic *Lib.* VI, *v.* 98.

Praeceps AGIT *omnia* FATUM.

Stoicus est Poeta, STOICI vero FATUM a Jove condi putabant. Sic Jupiter apud VALERIUM FLACCUM *Lib.* I, *v.* 531.

Vetera haec nobis et condita pergunt
Ordine cuncta suo, rerumque a principe cursu
Fixa manent: neque enim terris tum sanguis in ullis
Noster erat, cum FATA DAREM.

LUCAN. *Lib.* V, *v.* 92.

Sive canit fatum, seu, quod JUBET *ipse,* CANENDO
FIT FATUM? *forsan terris inserta regendis,*
Aere libratum vacuo quae sustinet orbem,
Totius pars magna JOVIS *Cirrhaea per antra*
Exit, et aetherio trahitur connexa Tonanti. JEV.

14. — *Sit caeca futuri Mens hominum fati: liceat sperare timenti.]* *Caeca* quidem *fati* recte dicitur, ut Silius II, 206. de Therone,

Haec caecus fati, *divumque abeunte favore.*

Sed evolve totam orationis seriem, et mirabere tam absurdam sententiam tam diu aut placere aut latere potuisse. *sive*, inquit, *fato fiunt omnia*, *seu Fors et Casus omnia versat; sit mens hominum caeca* FATI *futuri*. Ergo sive *fatum* est, sive *nullum est fatum;* precatur, ut *fati futuri* incerti ignarique simus. Sic ergo locum constituo,

— *sit caeca futuri*
Mens hominum: SALTEM *liceat sperare timenti.*

Futuri absolute, ut jamprimum illud *fati*, quod omnia conturbabat, auferatur. *Metuens futuri, pavidus futuri, incauta futuri spes, cura, caligo futuri.* Claudian. II, Eutrop. 545.

— *pro* caeca futuri
Gaudia!

et Proserp. I, 138.

— *raptusque timens (heu caeca futuri)*
Commendat Siculis furtim sua gaudia terris.

Saltem autem, quod plerique codices *saltim*, facile immutatum; *fati*, *salti.* *Saltem sperare liceat;* ut Noster I, 522.

— *tum ne qua futuri*
Spes saltem *trepidas mentes levet.*

15. — *liceat sperare timenti]* Laudat hunc locum Bentlej. ad Manil. I, 25; ut structuram v. *licet* cum accusativo probet; quare *timentes* ibi legitur. WEB.

16. — *Quantis sit cladibus Urbi Constatura fides Superum,]* Proximo statim versu, *ferale per urbem* sequitur, repone ergo cum majore Codicum numero et Veneta, ORBI.

Constatura fides Superum, ferale per urbem
Justitium: latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces.
Tum questus tenuere suos, magnusque per omnes
Erravit sine voce dolor. sic funere primo

19. null*a* c. supra scripto *nullos* a man. al. 20. Tu*nc* d.

17. — *Ferale per urbem Justitium: latuit plebeio tectus amictu Omnis honos:*] Prae nimio carpendi studio, et prava distinctione deceptus jocularem hic in errorem incidit Scaliger [Hypercrit. vi, 6. p. 7 9]. *Justitium*, inquit, *latuit? immo patuit.* Jus *enim latet in justitio; quippe in bello.* Atqui *latuit honos*, non *latuit justitium.* Et sic interpungunt omnes, quod sciam, editi. Ceterum illud *nullos comitata est purpura fasces,* locus Plinii commode enarrat, Hist. ix, 60. *Huic* (purpurae) *fasces securesque Romanae viam faciunt.* Imitatus est Statius Silv. i, 2, [233.]

Omnis honos: *cuncti veniunt ad limina fasces.*
BENTL.

Turpissima menda inquinatus hic locus. BURMANNUS legendum putabat *ferale per urbem Justitium placuit. Plebejo tectus amictu* etc. Verum si ita scripsisset Auctor, ineptiarum absolvi minime posset. Quid enim! an ideo forte *per urbem* dixerit, ne quis *per agros* justitium fuisse crederet? Nugae! Codd. alii adhuc ineptius legunt *per orbem.* Legendum, ut propitius mihi suggessit Apollo, utque a Poetae manu profectum, quod Eruditis facile persuasurus sum,

Ergo, ubi concipiunt, quantis sit cladibus orbi
Constatura fides Superum, ferale PERURGUENT
Justitium. Latuit plebejo tectus amictu
Omnis honos.

perurguent justitium, id est, omnia fora clausa esse jubent, et Praetorem silere, neque jus administrare patiuntur, ut in gravi Reip. calamitate fieri solitum apud Romanos. Postulat hoc praecedens verbum *concipiunt.* Ignota illa vox librariis imposuit, ex *purgnt* nobis *per urbem* concinnantibus. *Perurguere sacra* ita dixit SEVERUS *in Aetna v.* 226.

Sacra PERURGUENTEM *caput atque attollere coelo.*

SPARTIAN. *in Severo Cap.* xxxii. *cum se videret* PERURGUERI *hora mortis* vel *sub hora mortis*, ut legitur in Cod. Palatino, teste SALMASIO. De veritate hujus emendationis nemo Doctorum dubitaverit. JEV.

21. — *Sic funere primo Attonitae tacuere domus,*] Ridiculum hoc est, *funere primo*; nam tantum abest, ut funus inceptum sit, ut aegrotus nondum mortuus sit; metus jam parentis sit, non dolor. longe elegantius est, quod dedit Lucanus,

— *Sic* VULNERE *primo*
Attonitae tacuere domus:

Primo vulnere figurate, primo pavore et consternatione. Tacitus Agric. 28. *Initio aestatis Agricola*, domestico vulnere *ictus*, *anno ante natum filium amisit.* Statius Silv. i, 1, 18. in re simili.

Attonitae tacuere domus, cum corpora nondum
Conclamata jacent, nec mater crine soluto
Exigit ad saevos famulorum brachia planctus:
Sed cum membra premit fugiente rigentia vita,
Vultusque exanimes, oculosque in morte jacentes;

24. famul*arum* b. c. d. 26. exanimes*que* c. *minac*es b. c. d.

Sed cum plaga recens, et adhuc in VULNERE PRIMO,
Nigra domus questu.

Noster VIII, 72.

Nobile cur robur, Fortunae in VULNERE PRIMO,
Frangis?

Iterum Statius Theb. v, 602. Hypsipyle, cum primum conspicit puerum Ophelten a dracone oblisum et peremptum,

— terraeque inlisa nocenti
Fulminis in morem, non verba in VULNERE PRIMO,
Non lacrimas habet: ingeminat misera oscula tantum
Incumbens.

Sic et ibi corrigendum, nunc enim fertur, ut hic, *funere primo.* Absurde, cum libro demum proximo Opheltae funus celebretur. BENTL.

Funus primum quid sit, nemo facile dixerit, similiter credo nec *funus medium* vel *ultimum. Vulnere* ideo rescribebat BENTLEJUS, aliquanto melius certe. Sed neque *funus* neque *vulnus* hic mihi placet: nam legendum FULMINE PRIMO *i. e.*, *primo ictu fulminis*, scilicet *Fortunae*, *matrem filio unico privaturae:* quod hinc patet, quia dicit *Attonitae tacuere domus.* FULMINE enim tacti stant attoniti, muti et elingues evadunt. Idem mendum haeret *Lib.* VIII, *v.* 72.

Nobile cur robur Fortunae FULMINE *primo,*
Femina, tantorum titulis insignis avorum,
Frangis.

primo FULMINE *Fortunae,* id est, *primo ictu, prima clade Fortunae.* Vulgo male *vulnere.* Sic AUCTOR *Consolationis ad Liviam Aug. v.* 11.

Scilicet exiguo percussa es FULMINIS ICTU,
Fortior ut posses cladibus esse tuis.

LUCAN. *Lib.* v, *v.* 770.

FULMINIBUS *me, saeve, jubes tantaeque ruinae*
Absentem praestare caput;

id est, *ictibus Fortunae.* Sed exemplorum satis! JEV.

22. *Tacuere domus,]* Hoc et similia dici probat Bentl. ad Horat. Carm. I, 37, 25. nostro et aliis locis. WEB.

24. *Exigit ad saevos famulorum brachia planctus:]* Vide, ut ex levi occasione late diffundantur errores. Bersmanni editio sola, typothetae credo incuria, *famulorum.* Hanc secutus Vir magnus omnes suas hac labe maculavit. Libri enim scripti editique *famularum.* Matri enim familias hic sexus convenit, *ancillae*, non servi.

26. — *Oculosque in morte jacentes;]* Ita manuscripti, non *minaces*, quod huic loco minime convenit. GROTIUS. Nostri universi cum editis MINACES; quod

Necdum est ille dolor, sed jam metus: incubat amens,
Miraturque malum. Cultus matrona priores
Deposuit: moestaeque tenent delubra catervae.
Hae lacrymis sparsere Deos, hae pectora duro
Afflixere solo: lacerasque in limine sacro
Attonitae fudere comas: votisque vocari

31. a*ff*ixere b. c. a*df*ix. d. limi*te*. c. ad marginem, sine signo tamen, ab al. man. scriptum est *limine*.

profecto *minime loco convenit*, malim NATANTES. Ovid. Metam. V, 71.

Jam moriens oculis *sub nocte* natantibus *atra*.

Virgil. Georg. IV, 496.

Fata vocant, conditque natantia lumina *somnus*.

Auctor ad Liviam *v.* 93.

Lumina *caerulea jam jamque* natantia morte.

Statius Theb. XI, 558.

Cerno graves oculos atque ora natantia leto.

Statius Theb. II, 638.

Ille oculos *etiamnum in luce* natantes
Sistit.

Ut ubique passim.

27. *Necdum est ille dolor, sed jam metus:]* Arguta sententia, quae multis suo jure placuit, Valer. Flacc. I, 327.

Sin aliud Fortuna parat: miserere parentum,
Mors bona, dum metus est, nec adhuc dolor.

Ovid. Heroid. XV, [102.]

Denique non timui, *quod* dolitura *fui*.

Seneca Thyest. 969.

Dolor, *an* metus *est? an habet lacrimas*
Magna voluptas.

et Troad. 616:

Magis haec timet, *quam* moeret.

31. *Afflixere solo:]* Bentlej. ad Horat. Serm. II, 2, 79. pluribus de confusione vv. *affigere* et *affligere humo*, eorumque significatione disputatis, ita pergit: „Lucanus: *adflixere solo*: ubi tamen acutissimus Jo. Frid. Gronovius Observ. IV, 8. [p. 599. ed. Lips.] ex Manuscriptis suis reponit *Adfixere: neque enim*, ait, *impetu se humi prosternebant, sed procumbebant duntaxat*. Nollem hoc a viro sagacissimae naris profectum. Recte enim habet *Adflixere;* idque vel epitheton *duro* satis ostendit. Id enim rem exaggerat, quod etiam *duro* et marmoreo templorum solo pectora adflixerint. Frigebit autem epitheton, si placide et lentè procubuerint: nihil enim tum interferit, *duro*ne dixeris an *molli*. Quid quod in magno luctu sollemne erat humo corpora affligere; et capite et pectoribus solum tundere, ut pluribus probare facile foret, si id nunc ageremus.“ WEB.

32. — *Lacerasque in limine sacro Attonitae fudere comas:]* Minus placet illud *attonitae*, decimo abhinc versu jam habuimus *attonitae tacuere domus*, neque tam propinquum hunc eodem verbo inchoasset; deinde si *attonitae* sunt; non *lacerant fundunt-*

que comas; sed stupent, torpent, nihil agunt. Denique, versus abhinc alter sic se habet,

Nec cunctae summi templo jacuere Tonantis.

Vel quod concinnius et numerosius, *Nec cunctae* IN *summi, etc.* ut Codex Trin. Si *non cunctae* in Jovis templo erant; id certo indicio est, dictum esse hic antea, *nonnullas* in id templum convenisse: atqui, ut nunc est, nulla prius hic mentio fit vel Jovis, vel templi Tonantis. Ex his vestigiis, tenuibus quidem, aliquid investigandum est, idque sic restituo,

— lacerasque in limine sacro
ANTE JOVEM *fudere comas.*

In aede Capitolina comas fuderunt *ante Jovis simulacrum;* nec tamen ibi *cunctae*, sed *divisere deos,* aliae alios adierunt, ut nullum in tota urbe templum a lugentibus supplicibusque vacuum esset. *Attonite, Ateiove.* ANTE in hoc negotio verbum receptissimum. Propertius IV, 1, 132.

Matris et ante deos *libera sumta toga.*

Propertius II, 8, 25.

Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imas ante *corona* pedes.

Tibullus IV, 6, 3. de Junonis ara,

Staret ut ante *tuos conspicienda focos.*

Propertius II, 21, 45.

Ante *tuosque* pedes *illa ipsa adoperta sedebit.*

Claudian. I, Proserp. 49. de Parcis et Plutone:

Ante pedes *soliumque ducis* fudere *severam*
Canitiem.

Ubi vides locum integrum, velut ex nostro expressum: *fudere comas ante Jovem*, *fudere canitiem ante pedes et solium Plutonis.* Caesar Bello Civ. II, 5. *Aut omnes templa deorum immortalium adirent, et* ante simulacra *projecti victoriam ab diis exposcerent.* Si adhuc dubitas, et ipsa verba totidem literis apponi tibi postulas, ecce tibi Statius Theb. V, 276.

— nec dictis, supplex quae plurima FUDI
ANTE JOVEM *frustra, lacrimis avertere luctus.*
Contigit. BENTL.

Corruptus hic locus et insigniter depravatus. Illi certe *priores cultus*, de quibus antea locutus non est, mihi neutiquam placent. Praeterea si *tenent* ab Auctoris manu esset, melius credo legeretur, *moestasque tenent delubra catervas.* Sed quod illae mulieres moestae primum *lacrimis spargunt Deos*, *antequam pectora solo duro affigant et comas in limine ponant,* et tum postea *invidia Deos onerant,* hoc ipsa vanitate vanius est. Dein vero, cur hic ATTONITAE illae mulieres dicantur, nulla ratio excogitari mihi posse videtur, cum supra *attonitas domos* dixerit. Haec, credo, caussa fuit, cur pro *Attonitae* BENTLEJUS rescribi voluerit *ante Jovem.* Sed ne probem Summi Critici conjecturam, haec caussa est, quod postea dicat poeta *v.* 34.

Nec cunctae summi templo jacuere Tonantis,
Divisere Deos.

Sentis, nisi fallor, erudite Lector, mecum incongruum sensum, ut a Lucani manu, si micam salis in pectore habuerit, ita profectum videri nequeat. Quid faciam! Codices nil juvant. Quod subsidia denegant, ingenium suppleat! Videamus, an audaciori conjectura (in corruptis enim et desperatis locis nemo, nisi invidus, nobis vitio hoc verterit) poetae succurrere queamus. Legendum suspicor,

cultus matrona DECOROS
Deposuit, moestaeque PETUNT
delubra catervae.
Hae lacrimis sparsere GRADUS,
et pectora duro
AFFLIXERE *solo, lacerasque in*
limine sacro
ATTONSAE *fudere comas* etc.

Vides audaciam hujus hominis, Lector! Ast vero rationes jam audies. DECOROS *cultus* rescripsi pro *priores.* Sic supra dixit *Lib.* 1, *v.* 164.

cultu certare DECORO
Cum nuribus coepere mares.

SENECA *in Troad. v.* 946. de Polyxena, ad tumulum Achillis mactanda,

CULTUS DECOROS *regiae vestis*
petit,
Et admoveri crinibus patitur
manum.

Velati in rebus laetis et festo nuptiali. In luctu enim *ornamenta* et CULTUM deponebant. *Petunt delubra*, pro *tenent* lego. Idem SENECA, quem Noster ubique fere imitatur, *in Oed. v.* 199.

DELUBRA PETUNT
Haud ut voto numina placent,
Sed juvat ipsos satiare Deos.

p̄tn̄t et *t̄n̄t* facile, extrita priore litera, confundi solent in MSS. GRADUS vero pro *Deos* audacter reposui, GRADUS enim *templorum osculari, lacrimis spargere, templi postibus caput tundere, quin et summo in luctu crines* ATTONDERE, et SECTOS CAPILLOS *in limine templi ponere solebant Romani.* Unde reposui *Attonsae* pro *Attonitae.* dein ET *pectora: nam* CATERVAE, *hic* INDIVISAE, *postea sejunguntur.* PROPERTIUS *Lib.* 1, *Eleg.* XVI, *v.* 42. de janua, cui supplicabat:

At tibi saepe novo deduxi carmina versu,
Osculaque impressis FIXA *dedi* GRADIBUS.
Ante tuos quoties verti me, perfida, postes,
Debitaque occultis vota tuli manibus?

fixa oscula ibi lego pro vulgato *nixa.* TIBULL. *Lib.* 1, *Eleg.* II, *v.* 83. ab Oudendorpio citatus,

Non ego, si merui, dubitem
procumbere templis,
Et DARE *sacratis* OSCULA LIMINIBUS;
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum SANCTO TUNDERE POSTE CAPUT.

affixere tuetur *Cel.* BURMANNUS. Cum BENTLEJO tamen *afflixere* praeferendum videtur, quod jam Grotius vindicaverat. Si enim rationes hic militare debent, utut AFFIGERE *longiorem et pertinaciorem luctum* significare videri possit, AFFLIGERE magis *saevitiam et impatientiam doloris* indicabit; nam quid huc diuturnus luctus faciat, non video, licet vel integrum mensem solo prostratae jacuisse dicantur matronae. Omnia ad SAEVITIAM doloris hic composita vides, *lacrimis spargunt gradus, corpora solo allidunt, comas detonsas in limine ponunt. Attondere crines* in luctu solitos fuisse Romanos constat. In funeribus amicorum crines abscindebant et mortuo imponebant. SENEC. *in Hippol.* 1179.

Placemus umbras, capitis exuvias cape,
Laceraeque frontis accipe ABSCISSAM COMAM.

PROPERT. *Lib.* 1, *Eleg.* XVII, [21.]

Illa meo caros donasset funere
crines.

Sic refert DIONYS. HALICARN. *Lib.* XI, *pag.* 720. virgines et matronas Romanas, cum funus Virginiae efferretur, veluti in communi et publico luctu, in lecticam ejusdem non solum floreas corollas vittasque et capitum ornamenta, sed et *abscissos capillorum cincinnos* injecisse, *πλοκάμων ἀποκειράμεναι βοστρύχους.* In hoc publico igitur luctu matronas, quasi in patriae funere, co-

Assuetas crebris feriunt ululatibus aures.
Nec cunctae summi templo jacuere Tonantis:
Divisere deos: et nullis defuit aris
Invidiam factura parens: quarum una madentes
Scissa genas, planctu liventes atra lacertos,
Nunc, ait, o miserae contundite pectora matres,
Nunc laniate comas, neve hunc differte dolorem,
Et summis servate malis: nunc flere potestas
Dum pendet fortuna ducum: cum vicerit alter,
Gaudendum est. his se stimulis dolor ipse lacessit.
Nec non bella viri diversaque castra petentes,
Effundunt justas in numina saeva querelas.
O miserae sortis, quod non in Punica nati
Tempora Cannarum fuimus, Trebiaeque, juventus.

37. *comas*. c. supra scripto *·genas* ab al. man. 39. comas; ad marginem ab al. man. scriptum legitur *·genas*. 46. tre*v*iae b. c. d; sed in c. *e* ex *i* a man. sec. correctum est, in margine legitur *trebiae*·.·

mas abscidisse et in limine templorum posuisse, dicit Lucanus. Jev.

37. — *Planctu liventes atra lacertos,]* *Atra liventes*, δεινότης poetica verba propinqua geminare. Stat. Silv. II, 6, 82.

— *non saevius* atros
Nigrasset *planctu genetrix tibi saeva lacertos.*

40. — *Neve hunc differte dolorem, Et summis servate malis:]* Bersmanni codex, NEC *summis*. Eodem redeunt quoad sensum, sed negandi particula clariorem efficit. Scripsit, opinor, auctor:

— *neve hunc differte dolorem*
NEU *summis servate malis.*

Horat. [A. P. 189.]

Neve *minor*, neu *sit quinto productior actu*
Fabula.

45. *O miserae sortis,]* Locus satis sanus, nihilo tamen minus poetam sic dedisse credo, eleganti hellenismo, O MISERI *sortis*, ὦ δειλοὶ τῆς τύχης, ὦ ἄθλιοι τοῦ δαίμονος. Plin. in Panegyrico [c. 58]: *Sic olim servitus pulsa privata fastis nomina induxit*, MISERRIMOS AMBITIONIS, *qui ita Consules semper, ut semper principes erant.* Statius Theb. IV, 403.

Ah miseri morum, bellatis sanguine tanto.

46. — *Quod non in Punica nati Tempora Cannarum fuimus, Trebiaeque, juventus.]* Tolle pravam distinctionem; non enim *tempora Cannarum*, sed *juventus Cannarum.* Servius ad Aeneid. VII, 711. *Mutuscae; haec Trebia postea dicta est, quam modo Tribulam dicunt. Lucanus: Cannarum fuimus* Trebiae-

Non pacem petimus, Superi: date gentibus iras:
Nunc urbes excite feras: conjuret in arma
Mundus: Achaemeniis decurrant Medica Susis
Agmina: Massagetas Scythicus non alliget Ister:
Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, et indomitum Rheni caput: omnibus hostes
Reddite nos populis: civile avertite bellum:
Hinc Dacus premat, inde Getes: occurrat Iberis

48. armis b. 49. Ach*im*. b. c. med*ia* susis. c. ad marginem a man. sec. scripto *'medica scissis*. 50. Massaget*en*. b. c. d. 51. Sue*n*os. c. 52. Albis, *is* in membr. erasa a sec. man.; ad marginem *Albis* sine signo.

que *juventus*. Vides Servium recte haec accepisse. Corrigendum tamen adhuc, *Trebiae*VE, non enim eadem juventus bis occidi potuit.

47. *Date gentibus iras:*] Interpolatoriam manum hic expertus est Poeta. Quid enim hic faciant illa proletaria et trivialia,

date gentibus iras,
Nunc urbes excite feras.

cum infra optant, *ut Dii se* OMNIBUS POPULIS *reddant hostes!* His ejectis, sensus sibi melius constat. Quam insulsum enim est illud *date gentibus iras?* et quam frigide subjiciuntur illae *ferae urbes*, quas sani hominis stomachus nauseat, ut jam taceam de particula illa *nunc*, intempestivo loco posita. Quare lego,

Non pacem petimus, Superi! conjuret in arma,
Mundus: Achaemeniis decurrant Medica Susis
Agmina: Massageten Scythicus non alliget Hister.

Ita, sordibus his liberum, enitescit LUCANI carmen! JEV.

50. — *Massagetas*] Codices paene omnes, cum Romana et Veneta, *Massageten.*

51. *Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos*
Albis, et indomitum Rheni caput:] *Errat*, inquit Scaliger pater [in Hypercrit. VI, 6. p. 779.]: *nam Suevi Rheno propiores: extremi namque eam ad partem Germanorum sunt. Albim vero mediam secare Germaniam, et scriptum est ab auctoribus, et nomen ipsum id indicat: quippe ea vox* medium *significat.* Aerugo haec mera est, laedere quoquo modo volentis. Tacitus de Germ. 41. *In Hermanduris Albis oritur, flumen inclytum.* At ii Hermanduri ut pars et gens Suevorum Tacito dicuntur. Ibidem 38. Suevorum non una gens; *majorem enim partem Germaniae obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune Suevi vocentur.* Atqui si *majorem partem* obtinebant, *mediam* sive *Albin obtinuerint necesse est.*

54. *Hinc Dacus premat, inde Getes:*] Insigne mendum in his latitat. Dixerat Poeta, *omnibus hostes reddite nos populis; civile avertite bellum.* Post Parthos, Massagetas, Suevos, generatim dicit *omnes populos*, ibi-

Alter: ad Eoas hic vertat signa pharetras.
Nulla vacet tibi Roma manus. vel perdere nomen

55. hinc. c. 56. Nul. man. t. R. vac. c.

que clausulam orationi ponit; *Bellum modo civile, o Superi, avertite.* Unde ergo denuo orditur speciatim gentes numerare? *Hinc Dacus, inde Getes nos premat.* Jam autem illa quae sequuntur propius intuere. *Hinc Dacus, inde Getes premat* (Romanos), *alter* (ex ducibus Romanis) *occurrat Hispanis, hic occurrat Parthis.* Concedamus jam ut *alter* distributionem illam recte inchoare possit: si *duo* tantum duces Hispanis et Parthis occurrant, quis occurret *Daco* et *Getae?* quis *Massagetae?* quis *omnibus populis* et *mundo in arma conjurato?* Actum erit de re Romana, nisi melius subveniatur. Quid multis opus?

Hic dacos *premat*, ille getas: *occurrat Iberis*
Alter: ad Eoas hic vertat signa pharetras.

Quattuor jam duces et exercitus habes; ab omni telluris parte cautum est, ab ortu, ab occasu, ab areto: nam ab austro mare defendit: quam recte nunc inferat, *nulla vacet tibi, Roma, manus*, quod si *duos* tantum nomines, inepte subtexitur.

Bentl.

Locus corruptus. *Dacus* enim et *Getes* male Romanos premere videntur contra mentem poetae: qui optavit, *ut Dii omnibus populis hostes redderent* Romuli nepotes, ne bello civili vacare possent. *Getes* quoque, numero singulari, non admodum placet. Caussa haec Bentlejo fuisse videtur rescribendi,

Hic *Dacos* premat, ille *Getas;*

ut *premat* sit positum pro *opprimat* vel *compescat.* Hic et ille recte Bentlejus. Mentem auctoris si recte cepi, vult poeta nullam manum, id est, *nullum exercitum* Romae vaçare, sed omnes copias externis bellis occupari, eo tantum fine, ne bellum civile geri possit. Locus hinc, nisi fallor, fuerit sobriae et verissimae emendationi nostrae, ut legatur,

Hic Dacos petat, ille Getas: *occurrat Hiberis,*
Alter: ad Eoas is *vertat signa pharetras!*
Nulla vacet tibi, Roma, manus!

petat scripsi pro *premat*, quae saepe confusa in MSS. vid. *not. Burmanni ad Lib.* ii, *v.* 310. et *Lib.* vi, 189. et alibi. Dein is lego; Hic *petat Dacos* (bello), ille *Getas*: Alter (sive *tertius) Hiberis obviam tendat:* is *(quartus) oppugnet Parthos.* Miraris audaciam nostram, erudite Lector! Ut tamen videas, quam parum Momi reprehensionem extimescam, Ovidii, feliciter emendati, auctoritate omnem tibi scrupulum eximam. Locus Nasonis est *Lib.* iv, *Fast. v.* 435. quem ita legendum esse censeo:

Haec *implet lento calathos e vimine textos*
Et *gremium: laxos degravat* illa *sinus.*
Illa *legit calthas:* huic *sunt violaria curae;*
Ista *papavereas subsecat ungue comas;*

pro *Haec* reposui *Et*, quae voces semper fere confusae. vid. *supra ad v.* 188. ut justa scilicet membrorum oppositorum Haec et illa maneat proportio, et tandem Ista *papavereas* emendo, pro vulgato *Illa.* Haec ca-

Si placet Hesperium, Superi, collapsus in ignes
Plurimus ad terram per fulmina decidat aether.

58. terras b.

lathos et gremium implet; ILLA *laxos sinus.* ILLA *calthas,* HAEC *violas legit.* ISTA *vero* (de alia nympha loquitur) *papavera carpit.* Nulla hic opus auctoritate. Res oppido per se patet. JEV.

57. — *Collapsus in ignes Plurimus ad terram per fulmina decidat aether.]* Languidum et enerve est illud *collapsus.* Scripsit auctor,

COLLISUS *in ignes.*

Nempe aethere seu aere colliso fulmen fieri tum putabatur. Seneca patruus Nat. Quaest. 1, 1. *Aere vehementius trito, nascuntur trabes et globi et faces et ardores: at cum levius* COLLISUS *est, minora lumina excutiuntur.* et mox, *Nubes mediocriter* COLLISAE *fulgurationes efficiunt,* etc. et iterum, *Sereno quoque coelo aliquando tonat, ex eadem causa qua nubilo,* AERE *inter se* COLLISO. Recteque hic Bersmanni unus codex AER, non *aether.* BENTL.

In hoc loco, quid sanior critica possit, age! experiamur. *Collatus* et *collapsus* est in plurimis MSS., in aliis *per flumina* comparet, quod probatur OUDENDORPIO. *Collatus in ignem* tuetur *Cel.* BURMANNUS. *Collisus* rescribi jubet BENTLEJUS, *quia ex aere colliso fulmen generatur.* Alii *collapsus* legunt. Vides aestum doctissimorum virorum, erudite Lector? Tuto hinc concludere mihi videor, mendosum locum esse. Quid enim est *plurimus aether collatus,* vel *collapsus,* vel *collisus in ignem?* et *quomodo* denique *ille aether per fulmina vel per flumina decidat,* fateor me ignorare cum ignarissimis. Praeterea ridiculus merito videatur poeta, continuo quatuor versuum spatio alloquens ROMAM, SUPEROS et JOVEM. Si quid video, putem hanc mentem poetae fuisse, *ut, si Romanos funditus delere et exstirpare vellent Dii,* IGNEA PLUVIA, *coelitus demissa, consumerentur.* Quare legendum censeo,

vel perdere nomen
Si placet Hesperium SUPERIS, COLLECTUS *in ignes*
Ad terram PLUVIOS *per* NUBILA *decidat aether;*

id est, *pluvia ignea in aethere collecta e nubibus depluat ad terram.* Eleganter vero *aether in ignes pluvios* sive *pluviam igneam collectus et condensatus* dicitur. Ita, nubibus condensatis, aer *pluviam colligere* dicitur Virgilio *Ecl.* IX, *v.* 63.

Aut si, nox PLUVIAM *ne* COLLIGAT *ante, veremur.*

IGNES PLUVIOS dixit, quemadmodum AURUM PLUVIUM pro *pluvia aurea* dixit NASO *Lib.* IV, *Met. v.* 610.

neque enim Jovis esse putabat
Persea, quem PLUVIO *Danae conceperat* AURO.

per NUBILA, *ut* OVID. *Lib.* III, *Fast. v.* 285.

Ecce Deum genitor rutilas PER NUBILA *flammas*
Spargit, et effusis aethera siccat aquis.

Sic, nisi fallor, manum suam tandem agnoverit Lucanus. Mox vero, pro *uter imperet Urbi,* legendum *imperet* ORBI, nempe *Romano.* ORBIS enim *summum Romae imperium* notat. *Vid. supra ad Lib.* I, *v.* 92. JEV.

Saeve parens, utrasque simul partesque ducesque,
Dum nondum meruere, feri. tantone novorum
Proventu scelerum quaerunt, uter imperet Urbi?
Vix tanti fuerat civilia bella moveri,
Ut neuter. Tales pietas peritura querelas
Egerit: at miseros angit sua cura parentes,
Oderuntque gravis vivacia fata senectae,
Servatosque iterum bellis civilibus annos.
Atque aliquis magno quaerens exempla timori,
Non alios, inquit, motus tunc fata parabant,

59. *sive* parens; *iv* et *e* in membr. erasa a man. sec.; ad marginem scriptum legitur *sive parēs* a man. sec. c. 60. nōdum; *ō* a man. sec. c. 61. *o*rbi. b. d. in c est *u* ex *o* correcta a man. sec.; ad marginem legitur a man. sec. scriptum *vel urbi.* 62. movere. b. c. 64. et mis. c.

59. *Saeve parens, utrasque simul partesque ducesque, Dum nondum meruere, feri.]* Nimis febriculose, *saeve parens:* neque enim *parens* absolute *Jovem* denotet; neque recte hic *saevus* dicitur, quem ipsi vindicem et ultorem precantur; scribe modica mutatione,

SUMME *parens*, UTROSQUE *simul, partesque ducesque.*

Virgil. Aen. I, 665.

Nate, patris summi *qui tela Typhoea temnis.*

Silius XVII, 475.

— summique *labat domus alta* parentis.

Cum autem *partes ducesque* nominet, necesse est ut scripserit non *utrasque*, sed ut Bersmannianus habet, UTROSQUE, dignius enim genus ad se adjectivum trahit.

60. — *Tantone novorum Proventu scelerum quaerunt, uter imperet Urbi?]* Advertes, ubi res, quaecumque sit, prius descripta est, tum recte per epiphonema addi *tantone:* sed in re non prius descripta, *quanto* melius convenire. Quam ob rem hic repono:

— QUANTONE *novorum*
Proventu scelerum quaerunt,
uter imperet ORBI.

lib. X, 99. Quantosne *tumores*
Mente gerit famulus?

Horat. II, Serm. III, 317.

— *illa rogare*, Quantane.

Veteres nostri quattuor *orbi*. Noster II, 321. de Pompeio,

— *nec, si fortuna favebit,*
Hunc quoque totius *sibi jus promittere* mundi
Non bene compertum est.

66. *Servatosque iterum bellis civilibus annos.]* Quarto abhinc versu vidimus *civilia bella;* taedet tam propinque cernere, *bellis civilibus:* quare libenter legerim *feralibus*, vel *furialibus*, quo utroque modo alibi de his bellis loquitur.

Cum post Teutonicos victor, Libycosque triumphos
Exul limosa Marius caput abdidit ulva.
Stagna avidi texere soli, laxaeque paludes

69. victos, in margine legitur a man. sec. *victor* sine signo. c. Lib*i*cos, addito *que* a man. al. b.

69. *Cum post Teutonicos victor, Libycosque triumphos]* Vide modo constructionem: cum Marius *victor exul* abdidit caput. Lucano hoc abjudicare et justum et promptum est: sed non aeque facile, quod ille scripserit, conjectura assequi. In codicibus nullum auxilium, ex quibus aliquot inepte habent *victos*. Satis ad sensum faceret *actos*, vel *ductos triumphos*: sed tot homoeoteleuta non in unum versum conclusisset. Nihil mihi probabilius succurrit, quam:

Cum post Teutonicos DEMUM
Libycosque triumphos.

Virgil. Aen. x, 849.

— heu nunc misero mihi demum
Exilium infelix. BENTL.

MARIUS *exsul victor* merito displicet Bentlejo; nam se mutuo haec evertunt. Sed quod pro *victor* legit *demum*, non possum probare. Non placet mihi illa arbitraria corrigendi ratio: eodem siquidem jure alius rescribi jubeat *tandem*. Si saltem *vilis* reposuisset, ut Marius *vilis exsul* diceretur, a Sulla urbe ejectus, tolerari hoc posset. Codices quatuor teste Burmanno *victos*, nempe hoc modo *v̄ctos*. Crediderim poetam nobis reliquisse,

Quum post TEUTONICAS LAURUS *Libycosque triumphos*
Exsul limosa Marius caput abdidit ulva.

Laurus Teutonicas vocat triumphum de Teutonibus, ut PIRATICAM LAUREAM vocat *triumphum de piratis Lib.* 1, *v.* 121.

Et victis cedat PIRATICA LAUREA *Gallis.*

ex quo loco *victos* defendi quoque posset, nisi turpis *κακοφωνία* quatuor vocum, similiter exeuntium, plane vetare hoc videretur.

PROPERTIO nunc auxilium tulisse juvat, leviter corrupto *Lib.* 1, *Eleg.* XVIII. *v.* 11.

Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes;

corruptus locus. *Referas te mihi levis* barbarum mihi videtur, et, si jam *levem* dicere potuisset, quid quaeso notabit *referre se alicui levem?* Sed auctor ita non dedit nobis. Jurat Propertius, *nullam se aliam tetigisse, nullam formosam limina sua ingressam fuisse.* Quale igitur et quam ineptum votum esset, si diceret, *ita tu mihi vicem referas, et inconstans aliis tui copiam facias, uti ego puellam non tetigi!* Credo dedisse nobis poetam,

Sic mihi te SERVET DEUS, *ut non altera nostro*
Limine formosos intulit ulla pedes!

Ita Deus te mihi servet! AMOR nempe. Sic TIBULL. *Lib.* 1, *El.* VI, *v.* 75.

Nec suevo sis casta metu, sed mente fideli
Mutuus absenti TE MIHI SERVET AMOR. JEV.

71. *Stagna avidi texere soli.]* *Uvidi* est in MS. P. unde recte emendavi,

Stagni udi texere soli.

Depositum Fortuna tuum: mox vincula ferri
Exedere senem, longusque in carcere paedor.
Consul, et eversa felix moriturus in urbe
Poenas ante dabat scelerum. mors ipsa refugit
Saepe virum, frustraque hosti est concessa potestas

76. *est* ante v. concessa non legitur in b. c. d. —

Sic lib. III, 85.

Et qua Pomtinas via dividit uda paludes. Grotius.

Sic quoque castigat Nic. Heinsius ad Silii X, 462. de Cloelii equo,

Hinc rapidum glomerans cursum, per lubrica pingui
Stante cruore soli et mulctata cadavera caede
Evolat.

Sed et post Heinsii pumicem, scaber adhuc locus est, Silioque indignus. Vide an ipse rem acu tetigerim,

Hinc rapidum glomerans cursum, per lubrica PINGUIS
Stante cruore soli et CUMULATA *cadavera* CAEDI
Evolat.

Per lubrica soli, pinguis stante cruore. Virg. [Aen. V, 335.] *Per lubrica surgens.* Stante cruore, ut Lucanus [II, 103.], *Stat cruor in templis.* Cumulos autem, acervos caedis, passim. Ceterum in Lucano praeter Puteaneum Harleianus *uvidi;* Arundelianus pro varia lectione *humidi;* mihi vero placet *avidi*, vel translationis virtute, quasi solum sit hauriendi et absorbendi cupidum. Bentl.

Udi soli Grotius, quod recte tuetur Oudendorpius, qui pro *laxaeque paludes* scribebat *crassaeque*, vel legendum conjiciebat,

Stagna udi texere soli, TEXERE *paludes;*

eleganti ejusdem verbi repetitione. Withof. *in Encaen. Crit. pag.* 35. rescribit *spissaeque paludes.* Burmannus variis modis tentat locum, et nunc conjicit *stagna vadi texere solo*, vel *stagna vadis texere soli;* nunc *stagna cavo texere loco;* sed tandem vulgatam defendit, ut *laxae paludes* opponantur *arto carceri.* Omnes vero aestus virorum doctorum facile componi posse videantur, si legamus,

Stagna UDI *texere* SOLI, CANNAEQUE PALUSTRES
Depositum, Fortuna, tuum;

UDUM enim SOLUM est *coenum.* Firmat Ovidius *Lib.* IV, *ex Pont. Eleg.* III, *v.* 47.

In coeno latuit Marius CANNAQUE PALUSTRI,
Pertulit et tanto multa pudenda viro.

In coenosa enim palude latuit Marius, *nudus et* LIMO *obrutus, oculis tantum et naribus eminentibus, extractusque* ARUNDINETO *circa paludem Maricae, in quam se abdiderat, in carcerem Minturnensium perductus est,* teste Velleio *Lib.* II, *cap.* XIX. *Arundinetum* Velleji *cannas palustres* Ovidii exprimit, quem imitatus plane noster Lucanus. [*Cannae palustres* ex eodem Ovidii loco similiter conjecerat *Cel.* Schraderus. *Ex Addend.*] Jev.

76. — *Mors ipsa refugit Saepe virum, frustraque hosti est concessa potestas*] Tolle *est* omnium auctoritate. Sed illud jam respice, *saepe*, inquit, *ipsa mors virum* refugit cum semel tantum mors eum refugerit, ipso mox narrante quando Cimber excla-

Sanguinis invisi, primo qui caedis in ictu
Diriguit, ferrumque manu torpente remisit;
Viderat immensam tenebroso in carcere lucem,
Terribilesque Deos scelerum: Mariumque futurum:

mabat, *non possum C. Marium occidere.* Restituo,

Mors ipsa refugit NEMPE *virum.*

Noster v, 775.

Vivam tibi nempe *superstes.*

Horat. Epist. I, 10, 22.

Nempe *inter varias nutritur sylva columnas.*

Ea hujus vocabuli vis est, ut prius dictorum rationem reddat: quomodo poenas scelerum ante dabat? Nempe mors ipsa refugit virum; noluit illum suis miseriis eximere ac liberare. Denique id tecum reputa, quod statim additur *frustraque.* si *frustra* dixisset, omisso *que;* potuit hoc unum exemplum videri, ex pluribus quae *saepe* acciderant; cum vero *que* addat, demonstrat non *saepe* illud, sed semel factum, idque ipsum esse quod hic narratur. BENTL.

Non *saepe*, sed semel tantum mortem refugisse Marium, dicit Bentlejus, qui hinc legit,

mors ipsa refugit
NEMPE *virum.*

Nollem factum. Illud *nempe* enim longe nimis petitum et otiosum, atque a poetae manu profectum videri nequit. Si mihi divinare liceat, legerim libens hoc modo,

mors ipsa refugit
SAEVA *virum, frustraque hosti concessa potestas*
Sanguinis invisi, primo qui caedis in ACTU
Diriguit, ferrumque manu torpente remisit. ....

Ipsa saeva mors est saevus ille Cimber, qui ad occidendum Marium missus, strictoque ense accedens, voce Marii territus adeo obstipuit, ut gladius ei manu excideret. HOSTIS vero dicitur, quia de Cimbris triumphaverat. MORS SAEVA, *Lib.* II, *v.* 100.

quantoque gradu MORS SAEVA *cucurrit.*

et *v.* 202.

Inter et exsangues IMMISSA MORTE *catervas,*

i. e. immissis percussoribus. *τὸ est* recte deleri jussit OUDENDORPIUS. *In* ACTU *caedis* ex Colbert. codice optime restituit BENTLEJUS, quem vide. JEV.

77. — *Primo qui caedis in ictu Diriguit,]* Cur PRIMO ictu? quasi non uno ictu conficere potuerit, neque necesse fuerit repetisse, cur ICTU? non enim ictum intentabat; sed in ipso carceris introitu consternatus est ille Cimber. Colbertinus veterrimus habet,

Primo qui caedis in ACTU.

Noster VIII, 668.

— *nam saevus in ipso*
Septimius sceleris majus scelus invenit ACTU.

80. *Terribilesque Deos scelerum: Mariumque futurum:]* Quinto ante versu, in eadem quoque caesura, habuimus,

Poenas ante dabat scelerum.

De hac historia Livius [Epit. LXXVII.] pudenter et modeste; *Missus*, ait, *ad occidendum Marium servus, natione Gallus, majestate tanti viri perterritus recessit.* et Valerius etiam Maximus [II, 10, 6.] *Marium ex eo discrimine beneficio majestatis emersisse; et servum claritate viri occaecatum*, *abjecto ferro,*

attonitum inde ac trementem fugisse. Nec aliter Paterculus [II, c. 19.] Appianus [Bell. civ. I, 61.] vero et Plutarchus [Marius c. 39.] mirifici aliquid aspergunt, oculos scililcet Marii magnam ignis flammaeque vim effundere visos; et ingentem ex carcere vocem intonuisse, Tune audes, homo, C. Marium occidere! Uterque melius quam Noster, ut nunc fertur, *Dei* enim illi *scelerum* nullum hic locum habent: auctorem scripsisse credo,

> *Terribilesque* DEUM FACIES, *Mariumque futurum.*

Virg. Aeneid. II, 623.

> *Apparent* dirae facies, *inimicaque Trojae*
> *Numina magna* deum.

Scelerum scribitur cum apice *Scelm̃.* BENTL.

Terribiles illi SCELERUM DII mihi ignotissimi sunt, et ex *Lib.* VII, *v.* 168. huc delati videntur, ubi vulgata lectio nobis inepte SCELERUM SUPEROS novo miraculo exhibet, ut ibidem ostendemus. Virorum quoque doctissimorum explicatio de FURIIS, et *reliquis Diis, scelerum* ULTORIBUS, mihi probari non potest. Menti enim poetae adversari plane videtur. Scholiastes etiam aliud suadet, qui, si vulgatam lectionem hic explicaret, suaviter nugaretur, ad vocem *terribiles* aureum hoc scholion exhibens: *i. e. Qui admissum terreant scelus.* Videamus, an hoc sicco ex lacu limpidam aquam ducere liceat? Corruptus locus est. *Marium futurum,* quaeso, quomodo in tenebroso hoc carcere videre potuit miles, qui voce Marii attonitus, abjecto gladio, pavidus aufugit? et quam ridiculum fuerit, FUTURUM *Marium* explicare, *qualis postea futurus esset ab exilio revocatus*, hinc liquet, quia de OCULORUM et AURIUM SENSU hic agit poeta. Utut vero Lynceo visu et acutissimis Midae auribus praeditus fuisset, praestrictis pavore sensibus Marium TALEM nec videre nec audire potuisset. IMMENSAM LUCEM *in tenebroso carcere* eum vidisse, ait poeta: verum unde *lux ista*, tacet, atque adeo inmensam illam lucem spissis et plus quam Cimmeriis tenebris involvit. Dictum sane oportuit. Quare restat, ut ego jam dicam. *Ex oculis Marii lux illa venit*, qui videns in carcere Cimbrum, stricto mucrone ad se pergentem, ita et indignatione furens, *oculis prae iracundia scintillantibus* resurgens, alta voce his verbis eum increpuit, *Tu vilis Cimber, audes occidere Cajum Marium?* Non tulit lucem Marii oculorum miles, pavidus profugit, et gladius ei excidit manu. Firmat PLUTARCHUS *in Mario pag.* 428. [c. 39. al. p. 352, 7.] qui narrat, *τὰ μὲν ὄμματα τȣ̃ Μαρίȣ φλόγα πολλὴν ἐκβάλλοντα τῷ ςρατιώτῃ φανῆναι, φωνὴν δὲ μεγάλην ἐκ τȣ̃ ἐπισκίȣ γενέσθαι. Σὺ δὴ τολμᾷς, ἄνθρωπε, Γάϊον Μάριον ἀναιρεῖν; oculos Marii ingentem militi flammam emittere visos; terribilem vero ex tenebroso loco vocem auditam: Tune, homo, audes tollere Cajum Marium?* Consentit APPIANUS *Lib.* I, [c. 61.] *de B. Civ.* qui ait, oculos Marii *πυρὸς αὐγὴν καὶ φλόγα ἀφιέναι, ignis splendorem et flammam emisisse:* additque, *surgentem Marium alta voce Cimbro inclamasse*, *Tun' audes occidere Marium?* Quae quum ita sint, in desperato hoc loco majorem audaciam si sumsero, ut ex fumo lucem educam, nemo credo mihi verterit vitio. Legendum puto,

> *Viderat inmensam tenebroso in carcere lucem,*
> *Terribilesque* MINIS OCULOS, *Mariumque* FURENTEM.

In Codice fuisse crediderim *mns ocls*, quod cum non caperet librarius, ne hiatus relinqueretur,

Audieratque pavens: Non haec contingere fas est
Colla tibi: debet multas hic legibus aevi
Ante suam mortes: vanum depone furorem.
Si libet ulcisci deletae funera gentis,
Hunc, Cimbri, servate senem. non ille favore
Numinis, ingenti Superum protectus ab ira,

81. fas h. con. non est. b. c. d. 83. mort*em*. c. 86. Numin'is. d.

Deos scelerum supposuisse eum, vero simile mihi videtur, simili plane errore, quo supra *v*. 634. τὸ *minae* in *Dii* migravisse videtur. *Terribiles minis oculos* dixit, ut *Lib*. VI, *v*. 517. *terribilem Stygio pallore faciem*. Ita tandem Scholiastae verba aptam explicationem habere videantur: nam scintillantes, et minarum pleni Marii oculi recte dicuntur *terrere* ADMISSUM SCELUS sive *sceleratum percussorem, Mario immissam*. FURENTEM *Marium* lego, id est, *ira et indignatione plenum*, forti audacia percussori adsurgentem, eumque alta voce increpantem, *Tun' audes occidere Marium?* Pavidus fugit miles, relicto gladio, consternatusque dixit, *se non posse occidere Marium*. Hoc miraculo nempe moti Minturnenses eum tandem elabi passi fuere. Posset et legi, *Terribilesque Deis oculos*, uti *Lib*. VIII, *v*. 665. Pompejo dat *iratam Diis faciem*. Prius tamen placet. Judicent Critici. JEV.

82. *Debet multas hic]* Turbant in sensu horum verborum explicando viri doctissimi: nec mirum hoc mihi videtur. Menda latet. Haec enim Marii verba,

Non haec contingere fas est
Colla tibi,

plane ostendunt, male legi HIC DEBET. Ex glossa vero haec menda irrepsisse videtur. Glossator ad illa verba, ANTE SUAM, adscripserat, *i. e. mortem*: atque inde *multae* illae *mortes* in textum irrepsisse videntur. Legendum conjicio,

DEBENT *multas* HAEC *legibus aevi*
Ante suam CAEDES: *vanum depone* TUMOREM.

Haec debent rescripsi, sensu postulante, ut ad τὸ *colla* referatur. *Non licet tibi tangere haec colla: debent enim haec, aeterna fatorum lege, ante suam caedem multas aliorum caedes. Leges aevi* vocat, quas AETERNAM *legem* dixit *initio Lib*. VI.

Segnior Oceano, quam LEX AETERNA *vocabat*,
LUCIFEROS *Titan*, LUCTU GRAVIS, *aethera contra*
Egit equos, currumque polo rapiente retorsit;

ita enim locum illum legendum, ibidem docebimus. Vulgo inepte legitur,

Luctificus Titan numquam magis aethera contra
Egit equos.

pro *furorem* lego *tumorem*. *Depone vanum tumorem*, sive *inanem fastum, nam abscissa hac cervice non gloriaberis*. JEV.

86. — *Non ille favore Numinis, ingenti Superum protectus ab ira,]* Malueram *at ira*, ut plena esset oppositio. Sed *ab ira* citat Servius ad II, [257.] Aen. et explicat *voluntate numinum illis propitia, sed in nos*

Vir ferus, et Romam cupienti perdere fato
Sufficiens. idem pelago delatus iniquo

iniqua. GROTIUS. In editione secunda *at ira*, in tertia abjecit, Servii auctoritate commotus. illud interim certum est, post *non* particulam aliquam adversativam desiderari. nescio an hoc magis arrideat:

— non ille favore
Numinis, ingenti VERUM *protectus ab ira.*

Numinis et *Superum* bis idem dicunt. BENTL.

Locus inquinatus. Patet hoc ex aestu doctissimorum interpretum. *Ingens ira Superum* mihi non valde placet. Cur Marius hic VIR FERUS dicatur, caussam non video. Commiseratione magis dignus videtur, quam conviтiis. SERVII explicatio sane ridicula. Scholiastes hic aliquantum sapere videtur, qui ad vocem PROTECTUS haec scribit: *Non ideo servatus est, quia aliquod numen ei favebat, sed quia talis erat, ut posset Romam evertere.* Eleganter simul et verissime! BENTLEJUS frustra sollicitavit vocem sanam, pro *superum* rescribendo *verum.* Male et contra mentem poetae. Legendum censeo,

non ille favore
Numinis URGUENTI *superum protectus ab ira*
VIXERIT; *at Romam cupienti perdere fato*
Sufficiens!

Mentem poetae Scholiastes recte vidit. Sensus est, Marius non ideo VIXERIT, id est, *servatus fuerit,* quia ope alterius numinis ab urguenti ira Superum protectus fuit, sed quia fato destinatus ad perdendam Romam. VIXERIT (ita lego pro vulgato *Vir ferus*, nam *vicsert* in Cod. fuerat) id est, *praesenti mortis periculo liberatus fuerit. Favore numinis* sive Dei alicujus, nam ut OVIDIUS *Lib.* I, *Trist. Eleg.* II, [*v.* 4.] ait,

Saepe PREMENTE *Deo fert Deus alter opem.*

ex quo loco URGUENS IRA *superum* probatur. INGENS IRA potest quidem explicari pro SUPERIS *digna;* hic vero URGUENS praeferendum propter oppositum illud *protectus.* Unde NASO *Lib.* I, *Trist. Eleg.* V, *v.* 75. sua mala cum calamitatibus Ulyxis comparans, se Ulyxe infeliciorem dicit in eo, quod nullius Dei ope sustentaretur.

Me Deus OPPRESSIT, NULLO *mala nostra* LEVANTE,
Bellatrix illi Diva ferebat opem.

Nihil hic jam LUCANO indignum, nihil quod morari Lectores possit. JEV.

88. *Idem pelago delatus]* Quantum turbarum *nuda* illa *regna* dederint, patet ex notis virorum doctorum. BENTLEJUS *nuda regna* recte explodit, sed quia mox sequitur *jacentes*, audaciori conjectura refingit locum, et legit,

NOTA *triumphati* CALCAVIT *regna Jugurthae.*

Nota recte emendatum. Jugurtham enim devicit ac de eo triumphavit. *Calcavit* pro *jacuit*, probare non possum; nimis enim a vestigiis vulgatae lectionis recedit. Multo melius, credo, rescripserim *latuit*, uti hae voces in MSS. confundi solent. *Vid. supra ad Lib.* I, *v.* 20. Sed (ut libere dicam, quae sentio) illud *idem*, quid huc faciat, videre nequeo. Ideone hoc dixerit poeta, ut IDEM ille Marius distinguatur a *Mario futuro*, quemadmodum vulgo legitur *v.* 80? Non crediderim. Quare vide, Lector, an non forte ita locus constituendus sit,

Hostilem in terram, vacuisque mapalibus actus,
Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthae,
Et Poenos pressit cineres. solatia fati
Carthago, Mariusque tulit: pariterque jacentes
Ignovere Deis. Libycas ibi colligit iras.

90. triumphat*i*; post *i* membr. crasa est. d.

TANDEM *pelago delatus iniquo*
Hostilem in terram, vacuisque mapalibus actus
NOTA *triumphati* LATUIT *per regna Jugurthae,*
Et Poenos pressit cineres. Solatia CASUS
Carthago Mariusque tulit, pariterque jacentes
AGNOVERE DEOS.

Tandem lego pro *Idem; postquam nempe e carcere evasisset, mortisque periculo liberatus esset.* *idm* et *idm* facile confunduntur. LATUIT *per* NOTA *Jugurthae regna;* tuto enim et facile ibi latere poterat, quia regna illa ipsi nota erant. *Solatia casus* rescribo pro *fati,* quod *v.* 87. jam praecesserat. Sic *Lib.* VII, *v.* 658.

vovitque sui SOLATIA CASUS.

dein pro *Ignovere Deis,* jure summo puto rescribendum, *Agnovere Deos*, quod vel hinc patet, quia *Carthago et Marius dicuntur* TULISSE *sive accepisse* SOLATIA. Ridicule Scholiastes. *Ignoscere Diis dicuntur, qui, quod Dii jusserunt, ferunt patienter.* Immo vero AGNOVERUNT DEOS, id est, *faventes sibi Deos senserunt*, quia non FRUSTRA, sed *manifesto superum favore* Marius in ruinis Carthaginis tuto latere videbatur. Pari modo *Lib.* IV, *v.* 255. de Caesare loquitur poeta,

Tu, Caesar, quamvis spoliatus milite multo,
AGNOSCIS SUPEROS!

VELLEJ. PATERCULUS *Lib.* II, *Cap.* XIX, de Mario ait, *inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginensium toleravit: cum Marius adspiciens Carthaginem, illa intuens Marium,* ALTER ALTERI *possent* ESSE SOLATIO. Haec plane imitatus LUCANUS. JEV.

90. *Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthae,]* An tanto post tempore adhuc *nuda?* an omnes Mauri occidione occisi erant? Quid autem est *jacuit per regna?* *Per regna* verbum motus sibi jungi postulat, *jacuit* est quietis. Quis umquam duo talia connexuit? Quid quod iterum redeat versu post altero, *pariterque jacentes?* Vide an utrique vulneri veram medicinam fecerim,

NOTA *triumphati* CALCAVIT *regna Jugurthae.*

Ideo *nota* Mario, quia bello Jugurthino legatus et dux peragraverat. Noster IX, 605.

Et plaga, quam nullam Superi mortalibus ultra
A medio fecere die, calcatur.

Claud. VI, Honor. 275.

Heu regio funesta Getis! heu terra *sinistris*
Auguriis calcata *mihi.*

93. —*Libycas ibi colligit iras.]* Colligere iram, recte dictum, ut supra I, 207.

Subsidit dubius, totam dum colligit iram.

Martial. Spectac. XXII, 1.

Seque diu magnae colligit ira ferae.

Ut primum fortuna redit, servilia solvit
Agmina: conflato saevas ergastula ferro
Exeruere manus. nulli gestanda dabantur
Signa ducis, nisi qui scelerum jam fecerat usum,
Attuleratque in castra nefas. pro fata! quis ille,
Quis fuit ille dies, Marius quo moenia victor
Corripuit? quantoque gradu mors saeva cucurrit?
Nobilitas cum plebe perit: lateque vagatur

97. usus; b. 98. pro*h*. b. c.

Sed libenter scire velim, quales sint istae *Libycae irae*. *Libycas* tamen recte se habet, et illud *irae* iratis Musis se intextum intulit. Restituo,

Libycas ibi colligit ALAS.

Alae ut nosti equitum sunt, et quod amplius est, auxiliarium: Romanorum erant *turmae*: *Libycas* ergo *alas* recte, et ex historia. Plutarchus in Mario [cap. 41. al. p. 535, 6.]: *Παραλαβὼν*, inquit, *ἐκ τῆς Λιβύης Μαυρεσίους τινὰς ἱππότας, καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας τινὰς καταφερομένων, συναμφοτέρους ἢ πλείονας χιλίων γενομένους, μεθ᾽ ὧν ἀνήχθη. Accipiens Marius e Libya equites aliquot Mauros, et quosdam ex illis qui ex Italia appellebant, utrosque non amplius mille, Italiam illa classe petebat.* Hos e Libya Mauros equites, *Libycas alas* Noster hic appellat. Claud. II, Rufin. 108.

Illic Armeniae *vibratis crinibus* alae.

et II, Eutrop. 175.

Geticae *dux improbus* alae.

Colligit autem alas, ut *colligere exercitum*, *copias*, *milites*, passim.

98. — *Pro fata! quis ille, Quis fuit ille dies,]* Geminatio mirifice affectum auget.

99. *Moenia victor Corripuit]* *Diripuit* conjiciebat HEINSIUS. *Arripuit*, si quid mutandum, malit BURMANNUS. Vulgata sana. CORRIPERE MOENIA est *celeri gradu urbem intrare*. VALER. FLACC. *Lib.* I, *v.* 132. pari modo de delphine,

aequora delphin
Corripit.

id est, *celeriter natat per aequora. Celeritatem* enim semper notat haec vox. Sic *corripere gradum*, *viam* et similia. Verum illa,

et a nullo revocatum est pectore ferrum,

corrupta putem. Quid enim? Omnes sine ullo discrimine interfecti, nullique parcitum? Praeterea locutio est sine exemplo. Forte,

lateque VAGATUS
Ensis, *et* ASSIDUO RENOVATUM SANGUINE *ferrum*.

anulo est in Cod. membranaceo oblongo, optimae notae, ut forte *a nudo* pro *assiduo* scriptum fuerit, quod tandem in *a nullo* migravit. *Renovare* autem et *revocare* semper fere confusa. *Vid. not.* BURMANNI *ad Lib.* IV, *v.* 204. [I, 600.] JEV.

101. — *Lateque vagatur Ensis: et a nullo revocatum est pectore ferrum.]* Melius tres nostri vetustissimi,

Ensis: et a nullo revocatum est pectore ferrum.
Stat cruor in templis: multaque rubentia caede
Lubrica saxa madent. nulli sua profuit aetas.
Non senis extremum piguit vergentibus annis
Praecipitasse diem: nec primo in limine vitae
Infantis miseri nascentia rumpere fata.
Crimine quo parvi caedem potuere mereri?
Sed satis est jam posse mori. trahit ipse furoris
Impetus: et visum est lenti, quaesisse nocentem.
In numerum pars magna perit: rapuitque cruentus
Victor ab ignota vultus cervice recisos,
Dum vacua pudet ire manu. spes una salutis
Oscula pollutae fixisse trementia dextrae.

102. *est;* non legitur in b; supra v. *revocatum* scriptum est in c. 106. n*on* b. limit*e*. c. 109. *ille*. c. 110. *est;* deest in b et d. in b. supra scriptum est ab eadem manu sine nota. 113. salutis *est*. d. 114. *ιu*xisse, ad marginem scripto *fixisse* a man. sec. c.

— *lateque* VAGATUS
Ensis, et a nullo revocatum pectore ferrum.

Est non agnoscunt.

105. *Non senis extremum piguit vergentibus annis Praecipitasse diem:]* Harleianus, Trin., Colbertinus prior et a prima manu secundus PRAECEPISSE *diem;* ut perinde sit ac *praevertisse*, vulgatum facile tueri potest, verum praetulerim *Praecepisse.* Statius Theb. VIII, 328.

— *celeres neu* praecipe Parcas.

109. — *Trahit ipse furoris Impetus:]* *Impetus furoris* quos vero trahit? an *parvos* sive infantes, de quibus proxime egit? Certe dictum oportuit, quos trahat. Ut I, 491. *Quo quemque fugae tulit impetus.* Virg. [Aen. XII, 772.] — *Huc impetus illam Detulerat fixam.* Quare codicis Coll. Trinitatis lectio mirifice arridet,

— *Trahit ipse* FUROREM *Impetus.*

Crescit ipso impetu, dum in cursu est furor. Seneca Troad. 281.

Tenebraeque, per quas ipse se irritat furor.

Medea, 671.

Immane quantum augescit, et semet dolor
Accendit ipse.

Auctor Herc. Oet. 721.

Hic ipse fraudes esse praemonuit dolus.

Ita Codex Florentinus egregie; non *Deus*, qui hic nullus est. Ipse dolus tam apertus, praemonuit fraudes ibi esse.

110. — *Et visum est lenti,*

Mille licet gladii mortis nova signa sequantur,
Degener o populus, vix secula longa decorum
Sic meruisse viris, nedum breve dedecus aevi,
Et vitam, dum Sylla redit. cui funera vulgi
Flere vacet? vix te sparsum per viscera, Baebi,

116. decorum *est*. b. 117. necdum. c. in margine *ne* sine signo.

quaesisse nocentem.] Libri nostri cum Romana universi repudiant *est*.

115. — *Mortis nova signa]* Si vultum avertisset Marius, si non resalutasset, si manum ad osculandum prensatam retraxisset. Haec *σύμβολα*, ut ait Plutarchus [Marius c. 43. al. p. 538, 9.], *signa* erant satellitibus statim quemvis occidendi.

119. — *Vix te sparsum per viscera, Baebi,*
Innumeras inter carpentis membra coronae
Discessisse manus:] Placet omnino, et verissima est sagacissimi Heinsii conjectura DISPERIISSE, quam ipse firmat ex Juvenalis III, [260.]

Obtritum vulgi PERIT *omne cadaver.*

Et Claudiani II, Rufin. 416. ubi emendationem hanc promit,

— *consumto funere vix tum*
Deseritur, sparsumque PERIT *per tela cadaver.*

Sparsum cadaver perit, ut hic *sparsum Baebium disperiisse.* Quid vero sparsum *per tela* sibi velit, non satis capio. Solum enim caput telo suffixum est, et sic gestatum esse mox ipse narrat. Reponerem libens:

— *sparsumque perit per* FRUSTA *cadaver.*

Per *frustra* est frustillatim, sic ut *per viscera* est visceratim. Atreus apud Senecam, Thyest. 1059.

— *artus, corpora exanima amputans,*
In parva carpsi frusta.

Juvenalis XV, [79.]

— *ast illum in plurima sectum*
Frusta et particulas, *ut multis mortuus unus*
Sufficeret.

Prudent. Psychom. 721.

Carpitur innumeris *feralis bestia dextris,*
Frustatim *sibi quisque rapit, quod spargat in auras.*

Ubi tot verba cum hoc Nostri loco concurrunt, ut plane expressisse eum Prudentius videatur. Collige igitur ex his, *per frusta* apud Claudianum idem fore atque hic *per viscera*, vel apud Senecam, Medea 47. *vulnera, et caedem, et vagum funus* PER ARTUS. id est artuatim, articulatim; et *frustulatim*, per frusta. Plautus Curcul. IV, 4, 20.

Jam ego te faciam, ut his formicae frustillatim *differant.* BENTL.

Locus inquinatissimus, et plane desperatus, ex quo frustra bonum quis sensum elicere quaerat. Quid enim hoc? *Cui vacet flere funera vulgi? Vix vacat te flere, Baebi, discerptum inter manus, aut te, Antoni* etc. Inter funera vulgi igitur BAEBIUS, ANTONIUS, CRASSI? Praeterea quid est illud, *sparsum per viscera?* dein illae *innumerae manus coronae membra carpentis*, inter quas discessisse, discerptus esse

vel disperiisse dicitur. *Vitae sparsum* Cod. S. Germ. corrupte, opinor, pro *Quid te.* Dein, *vel te praesage* Codex oblongus optimae notae. Variant porro codices in *discessisse*, *discerpsisse*, *discepsisse*, *dispersisse* etc. Unde *disperiisse* legebat HEINSIUS *ad* CLAUDIAN. *Lib.* II, *in Rufin. v.* 417. *Cui te*, pro *vix te*, idem HEINSIUS et WITHOF. *in Encaen. Crit. pag.* 36. BURMANNUS vulgatam tuetur. BAEBIUM *sine ferro*, *ferarum ritu*, *inter manus laniatum* scribit FLORUS *Lib.* III, *Cap.* XXI. [§. 26.] Sed sibi non constat: quippe eodem loco refert, *Baebium cum Numitorio uncis tractum.* Quare diversa duorum Baebiorum fata, et tempora Sullae et Marii confundere videtur, ut recte observatum GROTIO. APPIANUS *Lib.* I, [c. 72.] *de B. civ.* scribit, *Baebium cum Serrano, Lentulo et Numitorio in via repertos esse caesos.* Non tamen crediderim, FLORUM, cum *Baebium ferarum ritu laniatum* scribit, putasse, *eum quoque devoratum fuisse.* Neque ea LUCANO mens fuit, quod tamen suadere videantur illa verba *sparsum per viscera*, ut constat et exemplo NASONIS *Lib.* XV, *Met. v.* 88.

Heu quantum scelus est in viscere viscera condi!

manifesto certe indicio, corrupta haec esse, ut de medicina hic sit cogitandum. Scholiastes lucem aliquam his tenebris spargere videtur, qui ad vocem BAEBI haec notat: *Terentius Histrio, circumventus a fugitivis, promisit se ostensurum iis inimicum Marii, qui multa in Senatu contra Marium decrevisset. Misit igitur ad hunc Baebium fugitivos, quem raptum et discerptum Mario obtulerunt.* Deinde ad illa verba, *Innumeras inter carpentis*, haec habet: *Ordo est: Innumeras manus coronae intercarpentis discerpsisse te, Baebi, per viscera.* INTERCARPENTIS *una pars est.* Hactenus Scholiastes, ex cujus verbis patet, τὸ *discerpsisse* a LUCANI manu profectum fuisse. Caeterum fugitivi illi, quorum mentionem facit, videntur esse *Bardaei* vel *Bardiaei milites*, quos PLUTARCHUS *in Mario, pag.* 431. [cap. 43. al. p. 538, 2.] narrat, inaudita licentia horrendas caedes et facinora perpetrasse, quorum et hic meminisse poetam credibile videtur. Mentio horum fit in glossis Stephani. *Βαρδαῖοι. Ἰλλύριοι δȣ̃λοι, διαγωνισάμενοι ἐπὶ τῆς Ἰταλίας, κατὰ Κίννȣ καὶ Μαρίȣ ϛρατευσάμενοι. Βαρδιαῖοι* PLUTARCHO: *Οὐαρδιαῖοι* STRABONI: *Vardaei* vocantur PLINIO *Lib.* III, *Hist. Nat. Cap.* XXII. *Spoliatoresque quondam Italiae Vardaei.* BARDAE etiam dicuntur et Graecis *Βάρδαι*, a recto casu *Βάρδης*, ut patet ex iisdem glossis, *Βάρδης, δορύκτητος Ἰλλύριος δȣ̃λος*, ut adeo forte horum Bardarum seu Bardaeorum nomen imposuerit librariis, qui illud ineptum *sparsum per viscera* nobis substituerunt. Quare, si ejus loco *Bardum per crimina* legamus, vulgata commode explicari posse videatur. *Per crimina Bardum* pro *Bardarum*, sive *scelere militum Bardaeorum.* Verum quia illud, *Vix te* sc. *flere vacat*, durum, et *innumerae* illae *manus* haud elegantes adeo videntur, et quia Scholiastes τὸ *discerpsisse* agnoscit, forte an dederit poeta,

QUID *te* BARDUM *per* CRIMINA, *Baebi*,
IMPURAS REFERAM *carpentis membra coronae*
Discerpsisse manus!

vel etiam,

QUID *te* BARDARUM CRIMINE, *Baebi*,
IMPURA REFERAM RAPIENTIS *membra* CATERVAE
Discerpsisse manu!

Innumeras inter carpentis membra coronae
Discessisse manus: aut te praesage malorum,
Antoni, cujus laceris pendentia canis
Ora ferens miles festae rorantia mensae
Imposuit. truncos laceravit Fimbria Crassos.
Saeva Tribunitio maduerunt robora tabo.

121. Disce*rp*sisse b. d. d*ecerp*sisse. c.

Quid referam, impuras manus te discerpsisse! sic infra *v.* 173.

Quid sanguine manes
Placatos Catuli referam!

Impuras manus vocat *tot caedibus pollutas.* Sic *Lib.* IX, *v.* 130.

Rege sub IMPURO *Nilotica rura tenente.*

RAPIENTIS malim, quam *carpentis*, id est, *laniantis*, *diripientis; raptum* enim et *discerptum Baebium Mario obtulisse fugitivos* dicit Scholiastes, qui strenue nugatur, *τὸ intercarpentis* unam orationis partem esse somnians. Nondum tamen mihi satisfacio, et aliud latere ulcus suspicor. *Sacris canis* mox optime rescribit BENTLEIUS. JEV.

122. *Antoni, cujus laceris pendentia canis Ora ferens miles]* *Laceris canis;* cur ergo iterum altero versu, *truncos laceravit Fimbria Crassos,* utrum mendosum est? prius illud, opinor. sic repono,

Antoni, cujus SACRIS *pendentia canis*
Ora.

Nihil verius, nihil Antonio Senatus principe dignius. Noster VII, 371.

Credite grandaevum, vetitumque aetate Senatum
Arma sequi, SACROS *pedibus prosternere* CANOS.

124. — *Truncos laceravit Fimbria Crassos.]* Livius in Epitome LXXX. *Crassus filius ab equitibus Fimbriae interemtus: pater Crassus, ne quid indignum sua virtute pateretur, gladio se transfixit.* Florus tamen cum Nostro consentit, III, 21. [§. 14.] *Trucidantur Crassi, pater et filius, in mutuo alter alterius aspectu.*

125. *Saeva Tribunitio maduerunt robora tabo.]* Quaenam, rogo, sunt SAEVA illa robora? Alii, in quibus magnus Lipsius est, ad Tacit. Annal. IV, 29. *locum in carcere* intelligunt, *de quo damnati praecipitabantur.* Perperam. Neque enim is locus *robora,* sed numero singulari *robur* vel *robus* semper appellatur; neque vero tam lente Mariani agebant, ut carcere iis opus esset; in mediis viis, in foro, in templis contrucitabant. Alii *rostra* hic accipiunt, et recte: sed quare igitur SAEVA? restituo,

SANCTA *Tribunitio maduerunt robora tabo.*

Hoc scilicet indignissimum erat, Tribunos, ipsos quoque sacrosanctos, in *rostris,* loco sancto, ubi jus et regnum habebant jugulatos. Livius VIII, 14. *Naves Antiatium incensae, rostrisque earum suggestum in foro extructum adornari placuit,* ROSTRAQUE *id* TEMPLUM *appellatum.* Cicero in Vatinium, c. 10. *Cum L. Vettium indicem in* ROSTRIS, *in illo, inquam,* AUGURATO TEM-

Te quoque neglectum violatae, Scaevola, dextrae
Ante ipsum penetrale Deae, semperque calentes

plo ac loco *collocaris*. *Sancta* ergo *robora* periphrasi justissima dicuntur *rostra*. Ovid. Fast. I, 609.

> Sancta *vocant augusta patres: augusta vocantur*
> Templa, *sacerdotum rite dicata manu.*

126. *Te quoque neglectum violatae, Scaevola, dextrae Ante ipsum penetrale Deae, semperqae calentes Mactavere focos.*] Omnino vitiosum est illud dextrae; non enim a Mario patre, cujus *dextra* osculanda erat, sed a filio post patris obitum occisus est Scaevola. Livius Epitome lxxx. *C. Marius editis multis sceleribus, Idibus Januarii decessit.* At Libro demum lxxxvi. *Damasippus praetor, ex voluntate C. Marii Consulis, omnem quae in urbe erat nobilitatem trucidavit, ex cujus numero Q. Mucius Scaevola, Pontifex Maximus, fugiens in vestibulo aedis Vestae occisus est.* Livio fere consentiunt Appianus et Paterculus. Marius pater mortuus est, A. U. C. dclxviii; Marius filius Consul fuit dclxxii. Sed et illud, obsecro, paulum inspice *Ante ipsum penetrale* deae. cujus, quaeso, deae? prius significatum oportuit; verum ipsam Lucani manum agnosce,

> *Te quoque neglectum violatae, Scaevola,* vestae,
> *Ante ipsum penetrale deae semperque calentes*
> *Mactavere focos.*

Vestae violatae a Marianis militibus, qui Scaevolam Pontificem Maximum ante ipsos ejus focos trucidarunt, Scaevola *neglectus* Vestae, quippe quae sacerdotem suum non protexerit. Noster x, 177.

> *O sacris devote senex, quodque arguit aetas,*
> *Non* neglecte deis.

Quid jam videtur? Nondum mihi credis sic a Lucano profectum? Crede igitur codici Harleiano, qui clare habet *Vestae;* crede Arundeliano, qui *dextrae* quidem in linea, sed superne pro varia lectione *Vestae*. Bentl.

Locus vexatissimus, in quo mirum quantum aestuant doctissimi interpretes. Varias eorum opiniones recenset Oudendorpius, qui pro *violatae* legit *violentae*. Burmannus quoque, si *violentae* legatur, vulgatam lectionem servari posse putat. Cortius legebat,

> *Te quoque* neglectu *violatae, Scaevola,* vestae.

id est, *cum contemtu Vestae*. Recte, si quid video: nam illa, quae addit poeta,

> *Ante ipsum penetrale* Deae *semperque calentes*
> *Mactavere focos,*

confirmant hanc emendationem, et liquido probant, *Vestam* praecessisse. Unum est, quod obstare recte scribit Burmannus, quod male conjungi videantur haec verba, natura sua disjuncta, *neglectus Deae violatae*. Videamus, an ex Scholiastae nugis sapere liceat. Ita ille: *Q. Mucius Scaevola, Pontifex Maximus, Sacerdos Vestae, inimicus C. Mario adolescenti fuit, qui, cum ipsum fugere vellet, a Marianis occisus est in templo Vestae: qui cum manum sanguine implesset, simulacrum Vestae adspersit, ut majus persecutionis* (in Voss. pr. erat *percusso*, pro *percussoris) crimen esset.* Quasi Scaevola, data opera, ut percussoris scelus augeret, adeoque ejus poenam aggravaret, vulneratus

Mactavere focos: parvum sed fessa senectus
Sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit.

128. parū. d. matuere. c. ad marginem scripto mactavere. 129. effundit. c.

manu sua sanguinem exceperit, eoque Vestae imaginem adsperserit. Ridicule profecto! Si dixisset, *Scaevolam Vestae simulacrum manu tenuisse, atque ita obtruncatum illud sanguine suo respersisse, eoque majori se sacrilegii scelere adstrinxisse percussores, quod sacerdotem, Deae simulacra amplexum, trucidare veriti non essent;* dixisset profecto, quod sana ratio dictat, et quod voluisse LUCANUM, vero admodum simile videtur. Non enim *de violentis percussorum dextris*, neque *de fide data*, neque *de dextra veteris illius Scaevolae, ardentibus focis injecta*, sed *de sacerdote, Vestae simulacra amplexo, et ante aras Deae trucidato* (FLOR. *Lib.* III, *Cap.* XXI. [§.21.]) cogitavit LUCANUS. Quare legendum,

Te quoque neglectu PROLATAE, *Scaevola*, VESTAE.

Religione nimirum *numinis* a caede se tueri voluisse videtur sacerdos, adeoque *prolato* (vel *praelato*) *Vestae simulacro* SUPPLEX vitam quasi oravit PONTIFEX; eodem plane modo, quo Chryses, Apollinis sacerdos, supplex Agamemnoni VITTAS DEI et SCEPTRUM *aureum* manu praetendit apud HOMERUM *Iliad.* A, [373.] Majus proinde adhuc sacrilegii crimen, quod SUPPLICEM, *ἱκέτην θεῶν*; SIMULACRA VESTAE AMPLEXUM, *et* SACERDOTEM *ante* ARAS *Deae, sine ulla commiseratione, obtruncassent.* Res notissima. Facilis vero lapsus librariorum *prolatae* in *violatae* mutantium.

Optimo NASONI interim medicinam faciemus, corrupto *Epist.* IV, *Heroid. v.* 86.

Tu modo duritiam silvis depone jugosis;
Non sum materia digna perire tua.

TANAQUIL. FABER *ad* LUCRET. *Lib.* III, *pag.* 480. legebat *duritia*, teste HEINSIO. *Cel.* BURMANNUS in loco hoc obscuro se torquet diu et rescribit,

NAM *sum materia digna perire tua.*

ut *perire* sit *amando perire:* sed de hac emendatione non multum sibi pollicetur vir summus, et meliora offerenti cedere se paratum dicit. *Perire materia alicujus* latinis auribus inusitatum videtur. Quid multis opus ambagibus! Legendum puto,

Nam sum MATERIES *digna* FURORE *tuo.*

sum digna AMORE *tuo; quare oro, ut duritiam tuam deponas, meque ames.* Sic *Epist.* VII, *v.* 34.

Materiem CURAE *praebeat ille* MEAE.

curae meae, id est, *amori.* FUROR, ARDOR, IGNIS, CURA poetis est *amor, vid. supra.* JEV.

128. — *Parvum sed fessa senectus Sanguinis effudit jugulo,] Parvum sanguinis.* Sermo parum usitatus. veteres quatuor *parum* contra metrum, unus ex recentioribus, pro varia lectione *paucum.* Scripsit, opinor, poeta PAULUM *Sanguinis:* ut Horat. Serm. II, 6, 3.

Et paulum *silvae super his foret.*

Terentius, [Andr. II, 2, 23.] *Paulum obsoni.*

Septimus haec sequitur, repetitis fascibus, annus:
Ille fuit vitae Mario modus, omnia passo,
Quae pejor fortuna potest, atque omnibus uso,
Quae melior: mensoque, homini quid fata pararent.

130. *exequitur*. c. 133. *hominis*. b. d. *paterent*. d. *parrarent*, supra *ra* scripto *vel te*. b.

130. *Septimus haec sequitur, repetitis fascibus, annus:*] Codices aliquot vetusti *exequitur*, recentior unus *insequitur*. et sane *annus insequens* passim occurrit; *annus insequitur* nescio an usquam. Quintilianus tamen, Instit. IV, 2. *Audistis quae ante acta sunt; accipite nunc quae insequuntur.* Codex Bersmanni *Hic sequitur.* Lego:

Septimus HINC *sequitur, repetitis fascibus, annus.*

133. — *Mensoque, homini quid fata pararent.*] Emendo ex consensu manuscriptorum,

— *mensoque hominis quid fata paterent:*

id est, menso experimentis vitae, quae summa esset fatorum distantia a maxima felicitate ad maximam miseriam. GROTIUS. Recte restituit HOMINIS et PATERENT: restat tamen paululum quid, adhuc emendandum:

Mensoque hominis QUOD *fata paterent.*

Quod paterent, id est: *Quantum*, vel *Quicquid paterent.* Noster IX, 420.

— *Libycae quod fertile terrae est,*
Vergit in occasum.

Claudian. Gildon. 159.

— *privato jure tenetur*
Exigui specie fundi, QUOD *Nilus et Atlas*
DISSIDET: *occiduis* QUOD *Gadibus arida Barce,*
QUODQUE *Paraetonio* SECEDIT *litore Ganges,*
Hoc sibi transcripsit proprium.

Vides eandem sermonis formam: *Mensus est, quod fata hominis patent; tenetur, quod Nilus et Atlas dissidet; transcripsit, quod Barce Gadibus secedit.* Quod si adhuc dubitas, respice ad hoc ipsius Lucani IX, 6.

QUODQUE PATET *terras inter lunaeque meatus.*

et III, 294.

QUICQUID *ab occiduis Libye* PATET *arida Mauris.*

Sed in Claudiano insedit gravissimum mendum; nempe hoc queritur, Gildonem totam Africam possidere, ab occasu ad ortum usque, ab Atlante ad Nilum. Tribus hanc eandem rem sententiis exaggerare studet. Fidem vero vestram, historici! si quantum a Gadibus Barce, et quod Ganges a Paraetonio secedit, unus Gildo tenuit, non Africam modo, sed et totam Asiam sub jugo habuit. Ulcus vides, ecce medicinam:

Quodque Paraetonio secedit ab AEQUORE TINGIS.

Tingis, *Τίγγις*, hodie *Tangier*, prope fretum Herculeum. BENTL.

Variant Codd. *homini* et *hominis*; *paterent*, *pararent*, *patrarent*, *valerent* exhibentes. Interpretes quoque in diversa abeunt. GROTIUS explicat, *menso experimentis vitae, quae summa esset fatorum distantia a maxima felicitate ad summam miseriam*, quod OUDENDORPIUS probat. GRONOVIUS *ad* SENEC. *Herc. Oet. v.* 165. hoc modo, *quid fata valerent ad producendum*

Jam quot apud Sacri cecidere cadavera portum?
Aut Collina tulit stratas quot porta catervas,
Tunc cum paene caput mundi, rerumque potestas
Mutavit tralata locum, Romanaque Samnis
Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas?
Sylla quoque immensis accessit cladibus ultor.
Ille quod exiguum restabat sanguinis Urbi
Hausit; dumque nimis jam putrida membra recidit,

136. tu*m* b. 137. tra*n*slata. b. c. d. 141. jamque nim. dum. c. putr*i*a. d.

aliquem ab infima ad summam fortunam, et vicissim. BURMANNUS simpliciter, *quibus (fatis) ab ipsis natalibus ad mortem usque obnoxii viverent homines.* Recte mentem poetae cepit vir summus. Ast hunc sensum verba negant. Legendum puto parva mutatione,

Mensoque, HOMINEM QUAE *fata* MANERENT.

menso, id est, *emenso omnia* FATA, *quae hominem* MANERE sive *quae homini accidere possunt.* FATA hic sunt *varii status, variaeque conditiones vitae, in quibus pro variis rerum temporumque circumstantiis homo constituitur.* Hinc, quando secunda utitur fortuna, omniaque ei ex voto fluunt, *felicia, prospera, laeta:* sed contra, cum adversa premitur fortuna, *dura, iniqua, tristia* atque *aspera* vocantur FATA. Nulla hoc eget probatione. MANERE porro *hominem* eleganter dicuntur haec FATA, id est, *inevitabili necessitate impendere.* SENEC. *Troad. v.* 858.

Quod MANET FATUM, *dominusve quis te,*
Aut quibus terris, Hecube, videndam
Ducet? in cujus moriere regno?

VALER. FLACC. *Lib.* III, *v.* 352.

Scilicet HAEC *illo juvenem populosque* MANEBANT
Tempore.

HAEC FATA *iis impendebant.* MANERE nos ea dicuntur, quae certo nobis exspectanda sunt. Sic FATA sive *mortem omnes* MANERE dicit AUCTOR *Consol. ad Liv. Aug. v.* 357.

FATA MANENT *omnes: omnes exspectat avarus*
Portitor, et turbae vix satis una ratis.

atque ita passim. *Vid.* OUDENDORP. *ad Lib.* VII, *v.* 185. JEV.

134. *Jam quot apud Sacri cecidere cadavera portum?]* Quale vero illud *cecidere cadavera?* An prius isti cadavera erant, quam caderent? dederat auctor:

Jam quot apud Sacri JACUERE *cadavera Portum?*

Noster VII, 597.

— Jacet *aggere magno*
Patricium campis, non mixta plebe, cadaver.

139. *Sylla quoque]* Bentl. ad Manil. IV, 221. affert hunc locum cum altero Statii Silv. IV, 6., ut saevitiam Syllae probet. WEB.

141. — *Dumque nimis jam putrida membra recidit,]* Col-

Excessit medicina modum, nimiumque secuta est,
Qua morbi duxere, manus. periere nocentes;
Sed cum jam soli possent superesse nocentes.
Tunc data libertas odiis, resolutaque legum
Fraenis ira ruit, non uni cuncta dabantur,
Sed fecit sibi quisque nefas. semel omnia victor
Jusserat. infandum domini per viscera ferrum
Exegit famulus: nati maduere paterno
Sanguine. certatum est, cui cervix caesa parentis

142. modus. c. 144. poss*u*nt. c. 145. Tunc; in margine *tum* sine nota. c. *que* a man. sec. b. 146. *fur*it. c. 147. *victor* in membr. erasa a man. sec.; in margine a man. prim. *vel ductor*. c. 148. i*n f*andum; inter *n* et *f* aliquid erasum est. d. 150. cervix cui. c.

bertinus prior, Harleianus, Puteaneus, Regius PUTRIA. Sed illud vide: *Dum nimis recidit, medicina excessit modum.* bis inepte dicitur, quod semel tantum in posteriore colo, dici debebat. adde huc, quod hoc versu *nimis* est, et sequente *nimium;* sine controversia dederat auctor,

Dumque ENSIS *jam putria membra recidit*
Excessit medicina modum; nimiumque secuta est,
Qua morbi duxere manus.

Ovid. Metam. 1, [190.]

— sed non medicabile vulnus
Ense recidendum *est; ne pars sincera trahatur.*

142. *Excessit medicina modum.]* Hinc illud Claudiani ad Adrianum [Ep. 1, 11.]: *Excessit jam poena modum.* de eodem hoc Sylla Seneca [de Beneff. v, 16.] dixerat: *Ingratus L. Sylla, qui patriam durioribus remediis, quam pericula erant, sanavit.*

146. — *Non uni cuncta dabantur, Sed fecit sibi quisque nefas.]* Hoc non ceperunt interpretes. Non uni, ait, Syllae dabantur cunctae caedes, non in unius Syllae gratiam aut commodum fiebant: sed *sibi quisque* nefas fecit; privatis suis simultatibus, caede inimicorum, vel lucris, caede cognatorum, sub illa proscriptionis specie velificatus est.

148. — *Domini per viscera ferrum Exegit famulus:]* *Exegit ferrum*, unde Seneca Medea 126.

Utinam esset illi frater! est conjunx: in hanc
Ferrum exigatur.

Unde corrigendus in Troasi locus, *v.* 1155.

Ut dextra ferrum *penitus* exactum *abdidit.*

Exactum ferrum, non, ut nunc fertur, *exacta dextra.*

150. *Certatum est, cui]* Nemo de loci hujus sanitate umquam dubitare visus fuit. Mihi tamen, attente consideranti, corruptus apparet. *Sanguine patris respersos filios* ait poeta, cur igitur ineptissima ταυτολογίᾳ adji-

Cederet: in fratrum ceciderunt praemia fratres.
Busta repleta fuga, permistaque viva sepultis
Corpora: nec populum latebrae cepere ferarum.
Hic laqueo fauces, elisaque guttura fregit:
Hic se praecipiti jaculatus pondere dura
Dissiluit percussus humo: mortesque cruento
Victori rapuere *suas*: hic robora busti
Extruit ipse sui, necdum omni sanguine fuso

153. *tunc* pop. c. 156. d*e*sil*i*it. c. d*e*siluit. d.

cit, *certatum esse, cui cervix parentis caesa cederet? Cervix* PARENTIS, de *patre* si capiatur, ineptum et ridiculum fuerit, quia *sanguis paternus* praecessit: si vero de *matre*, putidum hoc et stolidum simul videatur. Alterutrum igitur verum fuerit: Aut haec ab alio intrusa (qui forte sequiorem sexum inauditae crudelitatis expertem relinquere noluit, et filios vel filias de collo matris certantes inducere officii sui putavit) atque adeo, ejecto hoc emblemate, legendum,

nati maduere paterno
Sanguine, ET *in fratrum ceciderunt praemia fratres;*

Aut in Lucano corrigendum,

Certatum est, cui cervix caesa PEREMTI
Cederet:

peremti, id est, *interfecti patris.* Sic LUCAN. *Lib.* III, *v.* 641.

Nullius vita PEREMTI
Est tanta dimissa via.

et *Lib.* X, *v.* 92.

lege summa PEREMTI
Verba patris. JEV.

154. — *Elisaque guttura fregit:*] Commemorat hunc locum Bentl. ad Horat. Carm. III, 27, 60. cum aliis, quibus *elidere collum, guttura*, dici probat. WEB.

157. *Hic robora busti*] Locus suspectus. Interpretes tamen sicco pede transeunt veluti sanum. Ast videamus, quid hic homo noster agat. Exstruit, inquit poeta, sibi rogum, et omni sanguine nondum fuso, desilit in flammas. Euge! cautus videlicet iste homo! Si enim exspectasset, dum omnem effudisset sanguinem, jam in flammas desilire non potuisset. Ast, quomodo omnem fundat sanguinem, non illato sibi vulnere letali? Ita si scripsit LUCANUS, oppido deliravit. Forte an dederit poeta,

Hic robora busti
Exstruit ipse SIBI, *necdum* HOSTE AUT MILITE VISO
INSILIT *in flammas, et dum licet occupat* IGNEM.

Dicit poeta, *hunc hominem, ut se gladiis cruenti victoris subtraheret, rogum sibi fecisse, et, quamvis neque hostem Marium, neque milites ejus vidisset, ardentem rogum insiluisse, ne supremo igne careret et insepultus projiceretur.* SIBI erat in Bersmann. et Voss. pr. et VV. LL. Hortensii, teste Oudendorpio. *Insilit* rescripsi, quod alacritatem et ardorem properandae sibi mortis in hoc homine, rogum ardentem conscendente, melius exprimere videtur, quam vulgatum *desilit.* *Se dedit* conjecerat

Desilit in flammas, et, dum licet, occupat ignes;
Colla ducum pilo trepidam gestata per urbem,
Et medio congesta foro: cognoscitur illic
Quicquid ubique latet scelerum. non Thracia tantum

162. *jacet.* b. c. d.

Heinsius male. Praesenti extulit tempore poeta. Exstruit rogum, insilit et *ignem supremum* ANTE MORTEM jam occupat, unde caussa ultro patet, cur IGNEM hic Lucano vindicare visum fuerit. Judicium sit penes eruditos. Jev.

162. — *Cognoscitur illic Quicquid ubique latet scelerum.]* Colbertini duo, Harleianus, cum aliis bene multis et editione Romana *jacet.* Idem de suis praedicant Pulmannus Bersmannusque. Alii pares fere numero, cum Puteaneo, *latet.* Ceterum omnes editiones prava distinctione peccant. non enim *quicquid scelerum* voluit Lucanus; sed *quicquid latet*, nempe capitum. Tum autem in altero colo *tantum*, ut nunc est per se positum, plane friget. Immo *tantum scelerum* non vidit Thracia. Sed perpende illud diligentius: nam ubicumque distinguas; seu post *latet*, sive post *scelerum;* aut expressum habebis, aut saltem subintellectum, *tantum scelerum.* An igitur *scelera* pendebant in Diomedeis stabulis? Minime, sed ut mox de Antaeo et Oenomao, *ora*, *vultus*, *capita.* Repone igitur et distingue:

— *cognoscitur illic,*
Quicquid ubique latet. CAPITUM *non Thracia tantum*
Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni.

Val. Flaccus IV, 185. de re simili:

Ossaque tetra situ et capitum *maestissimus ordo.*

In foro cognoscitur, quod alibi latet, quippe jussum erat a Sylla, ut capita omnium proscriptorum in forum comportarentur, ab ipso coram recognoscenda, et poena in occultantes constituta. Val. Maximus IX, 2. [1.] *Id quoque inexplebilis feritatis indicium est: abscissa miserorum capita, modo non vultum et spiritum retinentia, in conspectum suum afferri voluit, ut oculis illa, quia ore nefas erat, manderet.* Dio Cocceianus in Excerptis, p. 662. *Πάντων τῶν σφαζομένων ὅπȣ δ' ἄν κεφαλαὶ εἰς τὴν τῶν 'Ρομαίων ἀγορὰν ἐκομίζοντο, καὶ ἐπὶ τȣ̃ βήματος ἐξετίθεντο.* Capita ait caesorum ὅπȣ δ' ἄν, *(quicquid ubique latet)* in forum pro rostris delata. Bentl.

Sudant hoc loco et ingenium frustra fatigant summi critici. Nec mirum. Prava etenim distinctione laborat hic locus, et turpissima menda inquinatus est. Post *latet* τελείαν ςιγμὴν ponunt, et *tantum scelerum* male conjungunt contra mentem ipsius poetae, qui *quidquid scelerum* conjungi voluit, dicens,

cognoscitur illic,
Quidquid ubique latet scelerum.

Tantam, ait, *fuisse Sullae, inaudita crudelitate cum voluptate grassantis, saevitiam, ut sibi in foro Romano ostendi et detegi pateretur horrenda flagitia et scelera, quae aliis in locis apud barbaras nationes tegerentur.* Hic igitur interpungendum. Ipse sensus τὸ *quidquid scelerum* vindicat, quod a Burmanno idoneis exemplis satis illustratum. Sed

Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni,
Postibus Antaei Libye: nec Graecia moerens
Tot laceros artus Pisaea flevit in aula.

164. ant*h*ei, c. ut semper.

nunc ansam corrumpendi loci et mendam indagabimus. Illud PENDERE merito mihi suspectum. *Quae* enim *scelera* aut *quomodo* in stabulis Diomedis pendere possint, non video. *Hospites ibi ab equis devorabantur*, quorum nullae, puto, reliquiae remanserint. Erroris fonte detecto, facile mihi jam fuerit sanare desperatum ulcus. Lego, ut LUCANUM scripsisse omnes critici facile agnoscent,

> *cognoscitur illic,*
> *Quidquid ubique latet scelerum. Non* TALIA THRACE
> *Vidit Bistonii stabulis* PORTENTA *Tyranni,*
> *Postibus Antaei* AUT *Libye: nec Graecia moerens*
> *Tam laceros artus Pisaea flevit in aula.*

In codice vitiose credo scriptum *n̄ trasia trase*, unde *Thracia tantum* fluxisse videtur. Ita *bello furiosa* THRACE dicitur HORATIO *Lib.* II, *Od.* XVI, [*v.* 5.]. *Talia portenta*, *tam laceros artus* jam optime conjungi, quivis facile videat. Illud enim *tantum* est plane ineptum. PORTENTA vocat *horrendas caedes, et inauditae crudelitatis facinora foedasque laniationes*, *qualium nulla apud barbaros exempla.* Sic *Lib.* V, *v.* 284.

> *Quid velut ignaros, ad quae* PORTENTA *paremur,*
> *Spe trahis?*

et *Lib.* VIII, *v.* 414.

> *Nam, quo plura juvent Parthum* PORTENTA *fuisse,*
> *Hanc sciet et Crassi.*

Ita MONSTRA vocat impias caedes, a Petreji militibus in castris perpetratas, *Lib.* IV, *v.* 245.

> *Et quae Fortuna, Deorum*
> *Invidia, caeca bellorum in nocte tulisset,*
> *Fecit* MONSTRA DIES.

quemadmodum ibi optime restituit *Cel.* BURMANNUS pro vulgato *fides.* et ibidem *v.* 252.

> *Ac, velut occultum pereat scelus, obvia* MONSTRA
> *In facie posuere Ducum.*

p̄dre et *p̄t̄a* facili errore confusa a librariis, qui hanc vocem et Lucani mentem aeque ignorabant. *Tam laceros artus* recte vindicatum BURMANNO. Majorem elegantiam spirare hoc modo videatur poeta! JEV.

165. — *Nec Graecia moerens Tot laceros artus Pisaea flevit in aula.*] *Laceros artus* post versus undecim iterum habemus,

> *Cum* laceros artus *aequataque vulnera membris.*

Certissimum mendi signum. Praeterea, ut jam dixi, *capita* tantum foribus affigebantur, non *artus*, seu tota corpora. Restituo:

> *Tot laceros* VULTUS *Pisaea flevit in aula.*

ut supra *v.* 112. Ab ignota *vultus* cervice. Ovid. Heroid. IX, 89. de Thrace Diomede

> *Non tibi Threiciis adfixa penatibus* ora,
> *Non hominum pingues caede tacentur equae.*

De Oenomao, Hyginus LXXXIV; *Multis interfectis novissime Pelops Tantali filius cum venisset*, et CAPITA *humana super*

Cum jam tabe fluunt, confusaque tempore multo
Amisere notas, miserorum dextra parentum
Colligit, et pavido subducit cognita furto.
Meque ipsum memini caesi deformia fratris
Ora rogo cupidum, vetitisque imponere flammis,
Omnia Syllanae lustrasse cadavera pacis:

170. cup*i*dum; *i* man. sec. in membr. erasa c.

valvas fixa vidisset, poenitere eum coepit. De Caco, Virgilius VIII Aen. 197.

> *Caede tepebat humus, floribusque adfixa superbis*
> Ora *virum tristi pendebant pallida tabo.*

Ubi obiter reponendum *squalida.* Quomodo enim *pallida tabo*, quod ipsum nigrum est? ut [ibid.] IX, 472.

> — *Simul* ora *virum praefixa movebant,*
> *Nota nimis miseris*, atroque fluentia tabo.

Denique de Antaeo Pindarus Isthmiorum IV. [92.] *Καὶ τοί ποτ᾽ ΑΝΤΑΙΟΥ δόμους προσπαλαίσων ἦλθ᾽ ἀνὴρ τὰν πυροφόρον Λιβύαν ΚΡΑΝΙΟΙΣ ὄφρα ξένων ναὸν Ποσειδάωνος ἐρέφοντα σχέθοι υἱὸς Ἀλκμήνας. Ibat*, inquit, *Hercules Libyam, ut Antaeum, Neptuni templum hospitum* capitibus *tegentem*, *cohiberet*, ubi Scholiastes annotat, *de Diomede Thrace plures idem dicere; de Eveno*, *Bacchylidem; de Oenomao*, *Sophoclem.* Evicimus igitur, tot testibus, et *vultus*, non *artus;* et *capitum*, non *scelerum* reponi oportere. Nondum tamen datum est manum de hac tabula tollere: quippe non modo *laceros artus*, sed ne laceros quidem tam brevi tempore bis dixisset: neque sane ullo hic epitheto opus est; satis per se apparet, *vultus* illos abscissos fuisse, cum *moerens* dicat et *flevit*, et post Diomedem et Antaeum hoc inferat. vix aliter auctorem scripsisse credam, quam,

> *Tot* PROCERUM VULTUS *Pisaea flevit in aula.*

Omnes enim, qui cum Oenomao pro filiae nuptiis certabant, proceres suarum civitatum, principumque filii erant. Et inde constat ratio, cur tota Graecia *fleret et moereret;* non ob quorumvis, sed ob tot nobilium juvenum mortes.

167. — *Miserorum dextra parentum Colligit,]* Ride illam *dextram parentum.* Num omnes isti parentes *una* tantum dextra hic utebantur? Saltem *dextrae* dictum oportuit. cur autem non et *sinistra?* Certe, quia *furto haec* acta narrat, *furtifica* illa *laeva* magno hic usui fuisset. Denique *sua* modo dextra, nulla familiarium opera hic utebantur parentes; quorum aliquot decrepiti, aliquot morbo detenti, omnes moerore et metu paene confecti? Gratia vero codici Harleiano hic habenda est, qui solus Lucani manum servat,

> — *Miserorum* CURA *parentum*
> *Colligit*, *et pavido subducit cognita furto.*

Ut supra *v.* 64.

> — *At miseros angit sua* cura *parentes.*

171. *Omnia Syllanae lustrasse cadavera pacis:]* Ita constanter

omnes libri tam scripti, quam editi. *Ironiam* hic agnoscit Scholiastes, cujus sententiae acquiescere videntur interpretes. Metuo tamen valde, ut hoc a poetae manu sit profectum. Quo enim, quaeso, in re tristissima ironiam! Credo dedisse nobis LUCANUM vel *cladis*, vel *stragis*. CLADEM vocat *tot millia, sola sanguinis siti et saeviendi libidine, jussa mori.* Supra *v.* 139.

Sulla quoque immensis accessit CLADIBUS *ultor.*

id est, *Marianae saevitiae* CLADES SULLANA *accessit, sola ulciscendi cupiditate.* STRAGES vero recte dicuntur *cadavera insepulta jacentia.* Sic infra *v.* 212. *Strage cruenta interruptus amnis,* et *Lib.* III, *v.* 627.

STRAGE *virum cumulata ratis.*

atque ita passim. PACEM SULLANAM vulgo interpretantur *finem caedium.* Ast, quo jure, ipsi viderint. Mihi non placet sane *ista pax*, quippe qui crediderim, viros doctissimos hic a. Scholiaste deceptos, uti non raro factum. *Vid. ad Lib.* I, *v.* 135. *et* 151. Caeterum de poetae nostri latinitate dubitare hic videtur *Cel.* BURMANNUS, quia CICERO, TERENTIUS aliique dicere non solent *hoc convenit cum illo*, sed *convenit huic cum illo.* Verum ex corrupto, ineptorum saepe, grammaticorum judicio et depravato gustu de veterum scriptis non temere judicandum. Canones enim grammatici ex nuda, et saepe parum diligenti, observatione nati in nativis linguae elegantiis non raro vacillant, ut ex iis de veteris Latii pomoeriis tuto concludere non liceat. OVIDIUS certe Orbiliorum non adeo expavit ferulas, cum *Lib.* II, *Met.* *v.* 846. diceret,

Non bene CONVENIUNT, *nec in una sede morantur,*
MAJESTAS ET AMOR.

Quare inducor, ut credam perinde esse, quomodocumque haec dicamus, sive *amor et majestas conveniunt*, exemplo NASONIS; sive *amor convenit cum majestate*, ut LUCANUS; sive *convenit amori cum majestate*, ut CICERO et TERENTIUS loqui amant; sive denique, *amor et majestas inter se conveniunt*, vel *bene convenit amorem inter et majestatem*, vel *amor convenit in majestatem*, ut PLAUTUS et LIVIUS locuti fuere, pro varia et diversa τῦ *convenire* significatione, qua commode explicari potest haec loquendi formula: quamvis non negaverim, illud *convenit amori cum majestate* frequentiori usu tritum fuisse apud prosae eloquentiae scriptores. Poetae contra libertate majori utuntur. Multa enim nobis falso suspecta habentur, quae optimae monetae apparerent, si ex tristissimo illo tot veterum historicorum, oratorum et poetarum naufragio plures ad nos salvi enatassent. Sed de his alia commodiore occasione dicemus, quando fastum illorum, qui ex solo Nizolii Thesauro sapere didicerunt, probe retundemus. Quod vero ad LUCANUM, dissimulare nolim, mendae suspectum mihi hunc locum videri. Sanus quippe et integer si esset, non *conveniat*, sed *conveniret* dictum oportuisset. Praeterea res ipsa ultro clamat, *fratris caput non habuisse hunc hominem, quippe quod adhuc quaereret.* CAPUT fratris sui (totum enim cadaver nec poterat, nec audebat, metu Sullae) furtim rapere et rogo inferre cupiebat. Sed tabe consumtum illud perdiderat lineamenta oris, totum deforme atque adeo non agnoscendum erat. Certus igitur ut esset, se verum fratris habere caput, illud cadaveris fraterni, quod vel ex armis vel vestibus inter truncos jacentes agnoscere poterat, cervici abscissae comparare necesse habuit, ut videret, si cum ea conveniret. Quare patet legendum esse,

Perque omnes truncos, cum qua cervice recisum
Conveniat, quaesisse caput. Quid sanguine manes
Placatos Catuli referam? cui victima tristes

172. resectum; c. 174. cum; b. d. tristes; in margine a man. sec. *tristis*. c.

Perque omnes truncos, QUOD *cum cervice* REVULSA
CONVENIT, *quaesisse caput*.

vel, si quis hic pares Ciceroni elegantias desideret,

CUI *cum cervice* REVULSA
CONVENIT, *quaesisse caput*.

revulsa cervice lego; *revulsum* enim erat in Hamburg. Codice et in Harlej. teste BENTLEJO, qui et probare videtur. *Revulsa cervix* est, *quae a capite abscisso separata erat*. Sic *Lib.* X, *v.* 100.

Quantosne tumores
Mente gerit famulus, Magni CERVICE REVULSA!

et *avulsa cervix Lib.* VIII, *v.* 10.

Seque, memor fati, tantae mercedis habere
Credit adhuc jugulum, quantum pro Caesaris ipse
AVULSA CERVICE *daret*.

Sic *infra v.* 181. AVULSAE *cecidere manus*, id est, *a reliquo corpore separatae*. Τò *convenit* sensus postulat: ex eo enim, *quod exacte convenit illud caput cum cervice avulsa*, certo colligere potuit, fraternum caput esse. Sed jam nimii fuimus. JEV.

172. — *Cum qua cervice recisum Conveniat, quaesisse caput.]* Bersmanni Codex, RESECTUM; Harleianus REVULSUM. Recte: quippe supra *v.* 112. habuimus *cervice recisos*. Noster VIII, 12.

Quantum pro Caesaris ipse
Avulsa cervice *daret*.

Et X, 100.

— *Magni* cervice revulsa.

174. — *Cui victima tristes*
Inferias Marius, forsan nolentibus umbris
Pendit.] Nam Marium filium quidem non a famulo in id rogato sed a dispositis in hoc hostibus interemtum narrant. vide Vellejum [II, 27, 4]. GROTIUS. Non de Cajo Mario filio hic agitur, alius Marius quaerendus est, *Marcus* scilicet *Marius Gratidianus*, Marci Gratidii oratoris filius vel Marii illius magni VII Cos. per adoptionem frater, Tullii Ciceronis propinquus, vir praetorius. vide Ciceronem de offic. III, 16 et 20. in Bruto cap. 45. de legibus III, 16. Is miserrimam hanc lanienam ex invidiosa illa et fatali adoptione lucratus est: de qua Livius Epitome LXXXVIII, *Sylla Marium senatorii ordinis virum, cruribus brachiisque fractis, auribus praesectis, et oculis effossis, necavit*. Florus III, 21. [§. 26.] *Sylla Marium, ducis ipsius fratrem, apud Catuli sepulcrum oculis, manibus, cruribusque defossis*, (emendant desectis, mallem avolsis, vel recisis,) *servatum aliquamdiu ut per singula membra moreretur*. Valer. Maximus IX, 2. [1.] *Quam porro crudeliter Sylla se in Marco Mario praetorio gessit! quem per ora vulgi ad sepulcrum Lutatiae gentis pertractum, non prius vita privavit, quam oculos infelicis erueret, et singulas corporis partes confringeret. vix mihi verisimilia narrare videor*. Julius Firmicus I, 3. *Praetorio viro, minori scilicet Mario, qui judicio omnium bene meritus de republica videbatur, Syllana jus-*

sione, elisa sunt prius crura; deinde dejecta de statu corporis brachia humerum tenus dissoluta ceciderunt; tertio amputata lingua vocem reliquit in faucibus; ad postremum omni corporis parte mutilata, oculi qui fuerant spectatores, et superstites, eguruntur: et in tam angusto corpore tot sunt inventa supplicia, ut vix anima tantis vulneribus erogata sit; cum hinc inde membris fluentibus, minutatim spiritus carperetur. Porro hujus crudelitatis Syllanae minister et carnifex Catilina erat. Vide etiam Plutarchum in Sylla. [cap. 32. al. p. 91, 8.] Asconius Pedianus in orationem de toga candida: *Marci Marii Gratidiani, summe popularis hominis, qui ob id bis Praetor fuit, caput abscissum per urbem sua manu Catilina tulerat: — fuerat vero hic Gratidianus arta necessitudine Ciceroni conjunctus.* Et ibidem. *Dicit* (Cicero) *Catilinam M. Marii Gratidiani caput gestasse, quod caput tum plenum animae et spiritus ad Syllam usque ab Janiculo ad aedem Apollinis (quae est inter forum olitorium et circum Flaminium) manibus suis ipse detulit.* Vide Cic. de Pet. Consulatus. c. 3. Haec praeter morem meum huc congessi, quod viginti de Mario isto Lucani versibus commentarii loco sint. BENTL.

Suspectus mihi hic locus. *Cum* plurimi habent codices, quod recepit OUDENDORPIUS, qui *inexpletum bustum* explicat, *quod caede hac satiatum nondum erat.* Sed, nescio quo modo, illud *inexpletum bustum* hic mihi non placet; dicit enim auctor, *umbras Catuli* FORSAN *noluisse haec infanda piacula*, ubi illud *forsan* sensum turbare videtur. Praeterea *pendere inferias* eo sensu, quo hic apud poetam occurrit, nullibi legisse memini. *Inferias* et *piacula* conjungit quidem LUCANUS *Lib.* IV, *v.* 788.

> EXPIET *invisas dirae Carthaginis umbras*
> INFERIIS *Fortuna novis; ferat ista cruentus*
> *Hannibal, et Poeni tam* DIRA PIACULA *manes.*

Ast hic inconcinnum videtur, *Marium pendere inferias umbris forsan nolentibus*, praesertim cum *sanguine placatos manes* jam dixerit. Cogitabam olim,

> *Cui victima* TRISTI
> IMPERIO *Marius* POENAS, *nolentibus umbris,*
> *Pendit* INERS, SAEVO *non fanda piacula busto.*

tristi imperio, id est, SULLAE *imperio arbitrioque.* Sic VELLEJ. PATERC. *Lib.* II, *cap.* 53. de Pompejo ait, *Princeps Romani nominis* IMPERIO ARBITRIOQUE *Aegyptii mancipii jugulatus est.* *Pendit poenas* pro *forsan*, vel, si illud *forsan* a poetae manu sit, PENDIT simpliciter pro *poenas pendit.* Sic VALER. FLACC. *Lib.* I, *v.* 445.

> *tuis nam* PENDIT *in arvis*
> *Delius, irato Steropen quod fuderat arcus.*

dein, INERS Marius SAEVO *busto poenas pendit*, sive *inermis ad saevum Catuli tumultum mactatus est.* Quamvis enim certo constaret, veteres olim dicere solitos fuisse *pendere* et *solvere inferias;* uti dixerunt, *dare* et *reddere; ferre* et *referre*, et *mittere inferias:* illud tamen utique huic loco semper obstaret, quod *Marius victima* nullo modo dici possit *dare*, *ferre*, *mittere* vel *pendere inferias*, quippe quem Catulus ad tumulum mactavit et *inferias patri misit.* Aliud forte ulcus subest. Quare ampliandum censeo. JEV.

Ibidem] Multa hic peccantur, tam prava distinctione, quam mendosa lectione. Locus sic constituendus est:

> CUM *victima tristes*
> *Inferias Marius (forsan nolentibus umbris)*

Inferias Marius, forsan nolentibus umbris,
Pendit, inexpleto non fanda piacula busto:
Cum laceros artus, aequataque vulnera membris
Vidimus, et toto quamvis in corpore caeso
Nil animae letale datum, moremque nefandae
Dirum saevitiae, pereuntis parcere morti.
Avulsae cecidere manus, exectaque lingua
Palpitat, et muto vacuum ferit aera motu.
Hic aures, alius spiramina naris aduncae
Amputat: ille cavis evolvit sedibus orbes,
Ultimaque effodit spectatis lumina membris.

176. Pendit, supra scripto *Solvit*, explicandi causa, ut videtur. b. 177. artus, in margine *artos* sine signo. c. 182. *aera* in membr. erasa. c. 185. effodit, *o* correcta ex *u* a man. sec. c. spectatis, *p* correcta est; in margine a man. sec. ·*spectatis*. c.

Pendit inexpleto, MISERANDA *piacula*, *busto*.

CUM, omnes nostri cum Romana et Veneta: recte!, ut mox in repetitione, *cum* laceros artus. *Non fanda* piacula ferri non possunt; cum tertio abhinc versu NEFANDAE habeamus. *n̄fanda mis'anda* compendiose. Silius I, 182. in re simili, omnibusque tormentorum generibus,

Haec inter spretae miseranda piacula *poenae*.

Inexpleto autem, inexplebili, insatiabili. *Busto* autem Q. Lutatii.

181. *Avulsae cecidere manus, exectaque lingua Palpitat, et muto vacuum ferit aera motu.*] *Avulsae manus;* vides recte in Floro emendatum, *manibus cruribusque* AVOLSIS (sic enim codices vetusti) non DEFOSSIS: *manus avulsae* CECIDERE: cum dixit, *linguam exsectam palpitare adhuc*, *et mutas loquelas agitare;* simile quid sine dubio de *manibus* dixerat,

Avulsae MICUERE *manus*.

Scelestus est in manes Lucani, qui sic eum scripsisse inficias ire ausit. Virgil X, 395.

Te decisa suum, Laride, dextera quaerit:
Semianimesque micant *digiti, ferrumque retractant.*

185. — *Ultimaque effodit spectatis lumina membris.*] Non placet EFFODIT, quod si ut cetera propinqua *palpitat*, *ferit*, *amputat*, praesentis est temporis, in metrum peccat. Restitue:

Ultimaque EFFUNDIT *spectatis lumina membris*.

Ita Colbertinus secundus, Puteaneus, Harleianus. *Effundit* humo scilicet; *effodit* enim jam dictum erat in isto, *cavis evolvit sedibus orbes*. Noster VII, 305.

Et caput hoc positum rostris, effusaque membra.

Vix erit ulla fides, tam saevi criminis unum
Tot poenas cepisse caput. sic mole ruinae
Fracta sub ingenti miscentur pondere membra:
Nec magis informes veniunt ad littora trunci,
Qui medio periere freto. quid perdere fructum
Juvit, et, ut vilem, Marii confundere vultum?
Ut, scelus hoc Syllae, caedesque ostensa placeret,
Agnoscendus erat. Vidit Fortuna colonos
Praenestina suos cunctos simul ense recisos,

189. li*t*ora, ut semper d. 194. rec*eptos;* b. c. d.

Virgil XI, 485.

Frange manu telum Phrygii praedonis, et ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde *sub altis,*

186. *Vix erit ulla fides, tam saevi criminis unum Tot poenas cepisse caput.]* Val. Maxim. supra: *Vix mihi veri similia narrare videor.* Sed tolle pravam distinctionem, quae editionibus insedit: non enim *poenas criminis* conjungendum, sed *fides criminis:*

Vix erit ulla fides tam saevi criminis.

194. *Praenestina suos cunctos]* Mendosus locus, quod et numerorum insuavitas, et horribilis tot nominum, in *os* exeuntium, fragor et turbatus sensus arguat. Turbant codices, alii *recisos,* alii *recepto* exhibentes. In Bersmanni Cod. erat *unius etc.* Haerent quoque doctissimi interpretes. Olim tentabam,

Vidit Fortuna colonos
Praenestina PIOS, JUGULIS SIMUL *ense recepto,*
Unius HAUD DUBIAE PEREUNTES CARMINE SORTIS.

ut ad SORTES PRAENESTINAS (quae *dubiae* et *incertae* habebantur, teste PROPERTIO *Lib.* II, *Eleg.* XXIII. *v.* 41.

Nam quid PRAENESTIS DUBIAS, *o Cynthia,* SORTES?
Quid petis Aeaei moenia Telegeni?)

allusisse videretur poeta, quas certitudine oraculum Syllanum, *carmen haud dubiae sortis, eos certae morti addicentis,* vicerit. Verum audacior merito haec conjectura videri possit. PLUTARCHUS *in Sylla pag.* 472. [c. 32. al. p. 91, 3.] *Praenestinos ad duodecim millia jugulatos.* VALER. MAX. *Lib.* IX, *cap.* 11. [1.] *Quinque millia* recenset, *quae Sylla, cum armis abjectis humi corpora prostravissent, interficienda et per agros dispergenda curavit.* APPIANUS *Lib.* I. [c. 94.] *de B. Civ. Sullam eos sagittis configi jussisse* ait. Hinc, eodem eos mortis genere confectos fuisse, constare videtur. Quare legendum puto,

Vidit Fortuna colonos
Praenestina PIOS, JUSSO SEMEL *ense recepto,*
Unius PASSIM PEREUNTES CRIMINE *mortis.*

pios colonos, qui Deam summa veneratione colebant. SEMEL JUSSO *ense recepto,* id est, UNO

Unius populum pereuntem tempore mortis.
Tunc flos Hesperiae, Latii jam sola juventus,
Concidit, et miserae maculavit ovilia Romae.
Tot simul infesto juvenes occumbere leto,
Saepe fames, pelagique furor, subitaeque ruinae,

195. Unius *et* pop. c. pereunt*is;* in margine *pereuntem* c. *noctis,* in margine man. rec. *mortis.* c. 196. tu*m.* d. 198. *succ*umbere. b.

ictu *confodi jussos.* Sic *Lib.* ix. *v.* 851.

> *velox currit per tela venenum,*
> *Invaditque manum, quam protinus ille retecto*
> *Ense ferit, totoque* semel *dimittit ab armo.*

semel, id est, *uno ictu*, ut recte Oudendorpius legit, quem et vide ad *Lib.* iii. *v.* 296. passim *pereuntes*, id est, *confertim, omnes simul.* Tibull. *Lib.* i, *Eleg.* iii. *v.* 59.

> *Hic choreae cantusque vigent,* passimque vagantes
> *Dulce sonant tenui gutture carmen aves.*

et *Lib.* ii, *Eleg.* iii. *v.* 69.

> *Glans aluit veteres, et* passim *semper amarunt.*

pplm et *pssm* confusa vidimus, *supra ad Lib.* i. *v.* 490. Crimine *unius mortis* pro *uno et eodem scelestae mortis genere* dixisse videtur. Jev.

198. *Tot simul infesto juvenes occumbere leto,]* Non memini quicquam inaudivisse de *leto infesto:* mihi plane persuasum est, sic dedisse auctorem:

> *Tot simul* inlato *juvenes occumbere leto.*

Inferre *mortem*, *necem*, passim habes. Illata autem mors est, violenta, non naturalis. Tacitus Annal. i, 6. *Neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam, credibile erat.* Et ii, 68. *Unde major fides, conscientia sceleris et metu indicii mortem Vononi* inlatam. Ordo est, *tot juvenes occumbere leto simul inlato.* Inlato leto, ut mox immissa morte, *v.* 202.

> — *exangues* immissa morte *catervas.*

199. *Saepe fames, pelagique furor, subitaeque ruinae, Aut coeli, terraeque lues, aut bellica clades,]* Ex nostris solus Puteaneus habet *caedes*, idque perperam; cum tertio abhinc versu iteretur. Ceterum *que,* quod saepe fit, bis terve pro *ve* hic ponitur: quod et sententia ipsa monstrat, et *aut* bis interpositum. Quin et *terrae caelique* habent codices plerique, veteres certe omnes: lege igitur et distingue,

> *Saepe fames, pelagive furor subitaeve ruinae,*
> *Aut* terrae caelive *lues, aut bellica clades.*

Furor pelagi ruinaeve subitae, genitivo singularis. Bentl.

Cel. Burmannus recte deesse aliquid suspicatus fuit, quare tentabat,

> *Numquam poena* dedit;

Non male quidem: sed aliud latet. Bentlejus *ruinae* casu genitivo capit, conjungitque *furor pelagi et ruinae.* Male et contra poetae mentem. Illud *saepe*

Aut coeli, terraeque lues, aut bellica clades,
Numquam poena fuit. densi vix agmina vulgi
Inter et exangues immissa morte catervas
Victores movere manus. vix caede peracta
Procumbunt, dubiaque labant cervice: sed illos

200. ter. coelique. b. c. d.

corruptum plane mihi videtur. Non enim *saepe* aut *frequenter*, sed *nonnumquam* et *raro* hoc fit, *ut* FAME, PESTILENTIA, TERRAE MOTU, MARISVE INUNDATIONIBUS etc. *simul multa millia hominum absumantur.* Quare legendum, uti dedisse auctorem puto,

Tot simul infesto juvenes occumbere leto,
CULPA *fames, pelagive furor, subitaeve ruinae*
Aut coeli terraeve lues, aut bellica clades,
Numquam poena fuit.

Clpa initio versus in *Spe* mutatum has turbas fecit. Haec mens poetae est: *Fieri solet nonnumquam, ut insigni calamitate,* CULPA *pestis* puta, *famis, aut terrae motus multa simul hominum millia rapiantur, sed numquam tot millia simul morte puniti inveniuntur.* Sic *culpa bellorum Lib.* VIII. *v.* 648.

Haud ego CULPA
Libera BELLORUM.

Sic *culpa sua non vixisse* dicitur Scaeva, cum per eum non steterit, quominus occumberet, se omnibus periculis mortis exponendo, *Lib.* VI. *v.* 204. Ellipsis vocis *nonnumquam, aliquando* multum elegantiae habere hic videtur, cum illa sponte intelligitur ex eo, quod sequitur, *Numquam poena fuit.* Posset et legi *Caussa*, sed *culpa* mihi magis poeticum esse videtur. *Vitium* eleganter vocat TIBULLUS *Lib.* I, *Eleg.* X. [*v.* 7.]

Divitis hoc VITIUM *est auri: nec bella fuerunt,*
Faginus adstabat quum scyphus ante dapes. JEV.

203. — *Victores movere manus. vix caede peracta]* Indignor hos carnifices VICTORES appellari; qui cives undecumque inermes, et in angustum conclusos, post fidem datam, contrucidaverunt. Pauci latrones talem caedem vel multorum millium peragere possent; unde mox eleganter, ut omnia, Noster,

Tot millia vulgi
Non piguit jussisse mori.

Non *occidi* dixit, sed *mori.* LICTORES libenter reponam; *satellites, percussores.* Ceterum in sequentibus,

— VIX *caede peracta*
Procumbunt dubiaque labant cervice: sed illos
Magna premit strages,

illud *vix* totam orationem conturbat. Si enim caesi *vix* procumbunt, quomodo trunci eorum vivos obruunt et elidunt? Deinde quaenam ista est tam putida repetitio, *caede peracta*, et continuo *peragunt caedis partem?* Quid quod *procumbunt* et *labant* de vulneratis dictum est: at *caede peracta* non de vulneratis, sed de vulnerantibus? Virg. IX, 242.

Mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta
Adfore cernetis.

Quid hic agendum? vide, an sententiae filum secuti ex his erroribus evaserimus,

Magna premit strages: peraguntque cadavera partem
Caedis: viva graves elidunt corpora trunci.
Intrepidus tanti sedit securus ab alto
Spectator sceleris: miseri tot millia vulgi
Non piguit jussisse mori. congesta recepit
Omnia Tyrrhenus Syllana cadavera gurges.

209. *tim*uit. b. d. 210. tyrrenus, c. tirrenus, d. ita semper. gurges, in margine '*tybris*. c.

HI *caede* PEREMTI
Procumbunt, dubiave labant cervice; sed illos
Magna premit strages, peraguntque cadavera partem
CLADIS: *viva graves elidunt corpora trunci.*

Peremti caede, ut Virg. IX. 453.

— *Rhamnete reperto*
Exsangui, et primis una tot caede peremtis:

dubiave autem, non *dubiaque.* Si enim procumbunt, jam serum nimis est *labare;* prius labant, et tum postea procumbunt. Ex Patruo hoc sumsit, Agamem. 786.

Quid ista vates corpore effusa ac tremens
Dubia labat cervice? *famuli, attollite.*

Cladis etiam, non *caedis;* ne eadem vox tam cito recurrat. Denique HI non *vix*, vel antetheti ratione postulante, hi jugulantur et cadunt, sed illos cadentium strages mole sua obruit.

207. *Intrepidus tanti sedit securus ab alto Spectator sceleris:]* *Intrepidus, securus,* geminum sine copula adjectivum, numquam posuisset auctor. Promta vera emendatio foret, vel sine auxilio codicum, quam tamen Bersmanni unus conservavit,

Intrepidus tantique SEDET *securus ab alto*
Spectator sceleris.

Colbertinus etiam secundus SEDET, sed omisso QUE. *Sedet,* tempore praesenti; ut illa vicina, *premit, peragunt, elidunt.*

210. *Omnia Tyrrhenus Syllana cadavera]* Miror equidem, neminem doctorum virorum hunc locum mendae suspectum habuisse, manifesto corruptum. Quis enim, quaeso, ferat illa *omnia Sullana cadavera congesta?* An *Sullana* dixerit, ne forte quis haec sub Mario contigisse crederet? dein quomodo *Sullana* vocet *cadavera Marianorum?* Nullo haec umquam colore defendi possunt. Sed et urguet adhuc majus malum, ineptus putidi poetastri pullus *v.* 211. quo *primos in fluvium, summos in corpora cecidisse* nobis narrat; et quasi non satis esset ineptiarum, placuit interpolatori hic *praecipites rates effingere,* quarum (remis velisque forte properantium) cursus praeceps cadaverum multitudine retardaretur. Quis, quaeso, talia legens ineptiarum non arguat Lucanum, et putidissimi poetae deliria non projiciat e manu? Sed librariorum haec culpa, verba auctoris male describentium. Legendum suspicor hoc modo,

congesta recepit

In fluvium primi cecidere, in corpora summi.
Praecipites haesere rates, et strage cruenta

211. flu*men*. c.

Omnia Tyrrhenus SIMUL ATQUE *cadavera gurges,*
Praecipites haesere VIAE; NAM, *strage cruenta*
INTERCEPTUS, *aquis fluxit prior amnis in aequor:*
Ad molem stetit unda sequens. TUM *sanguinis alti*
Vis sibi fecit iter. etc.

GURGES TYRRHENUS ex mente Lucani est *Tiberis* fluvius, in quem cadavera occisorum projecta, quae tandem cum aquis fluvii in Tyrrhenum mare eluctata fuerunt *v.* 219. Sic TYRRHENUM FLUMEN vocat *Tiberim* VIRGILIUS *Lib.* VII. *Aen. v.* 663. Adeoque inepto illo versu,

In fluvium primi cecidere, in corpora summi,

atque RATIBUS *illis male feriatis* hic facile carebimus. Pro *Sullana* lego *simul atque*, postulante sensu. Dicit poeta: *Simulac cadavera in Tiberim fuere projecta, praeceps fluvii cursus tardatus fuit.* VIAE *praecipites haesere. Sanguis* enim HAERENTES AQUAS *adjuvisse* dicitur *v.* 217. VIA de *flumine.* TIBULLUS *Lib.* I, *Eleg.* X. *v.* 15. [alii *Eleg.* IX, 36.]

Illis eriperes verbis mihi, sidera coelo
Lucere, et puras FLUMINIS IRE VIAS.

viam et *iter* hic fluvio tribuit: *vid. not.* BROUKHUSII. LUCANUS *Lib.* IV. *v.* 85.

Tum, qua solitis e fontibus exit,
Non habet unda viam.

mox vero pro *interruptus* lego *interceptus*, (facili librariorum lapsu) ut cum *prior amnis* conjungatur, qui *strage cadaverum a reliquis aquis separatus*, in mare fluxit. Sic *Lib.* III, *v.* 640.

Discursusque animae, diversa in membra meantis,
INTERCEPTUS *aquis.*

Sic *interceptus* et *interruptus* confusa apud OVID. *Lib.* VI. *Met. v.* 579.

Colla INTERCEPTA *videntur.*

in Cod. Mediceo erat *interrupta.* Dein pro *jam*, quod sequitur, TUM lego, id est, *postea*, sensu postulante. Nihil hic jam Lucano indignum inveniri poterit.
JEV.

212. *Praecipites haesere rates, et strage cruenta Interruptus aquis fluxit prior amnis in aequor,]* Colbertinus prior cum tribus Pulmanni AQUAE et a prima manu Harleianus. Bersmanni codex PRO STRAGE, et INTERRUPIT AQUAS. Sane hic locus crucem interpretibus fixit. Quid enim RATES hic faciunt? quis illis in hac sententia locus? Jam vero quot vocabula putidissime repetita? *Praecipites* hic, et quarto post versu *praecipiti*, hic *haesere*, et quinto deinde *haerentes.* Hic *strage*, et septimo ante *strages.* Quam stulte autem CRUENTA strage INTERRUPTUS? cum mox non modo non interruperit amnem cruor, sed interruptum et *haerentem adjuverit* atque impulerit. Quod a nostro mutuatus est Claudianus III, Honor. 100.

— et frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis; turbaque cadentum
Staret, ni rapidus juvisset flumina sanguis.

Laterem lavet, qui tot maculas eluere conetur; sane, interpola-

Interruptus aquis fluxit prior amnis in aequor,
Ad molem stetit unda sequens: nam sanguinis alti
Vis sibi fecit iter, campumque effusa per omnem,
Praecipitique ruens Tyberina ad flumina rivo
Haerentes adjuvit aquas: nec jam alveus amnem,
Nec retinent ripae, redeuntque cadavera campo.
Tandem Tyrrhenas vix eluctatus in undas
Sanguine caeruleum torrenti dividit aequor.

213. aqu*ae*. b. d. sed in b. supra scripto *vel aquis*. 214. molē; *e* in membr. erasa. b. 216. t*i*berina, c, ut fere semper. *in* fl. b. d. 218. red*d*untque; b. c. d.

tor aliquis, uti mihi videtur, jam a multis saeculis toto hoc Lucanum versu donavit. Nimirum *interrupit aquas* in codice suo legebat, pro compendioso illo *interrupt'*; quod est *interruptus*. Deesse ergo sententiae quid existimans, nothum illud inseruit, quo sublato, locum jam videbis sanissimum.

In fluvium primi cecidere, in corpora summi.
[Praecipites haesere rates et strage cruenta]
Interruptus aquas fluxit prior amnis in aequor:
Ad molem stetit unda sequens.

Interruptus aquas, tritissimo hellenismo; id est, *habens aquas interruptas*.

214. — *Nam sanguinis alti Vis sibi fecit iter,]* Puto pro *nam* scribi *dum* debere. stetit flumen obsessum cadaveribus, donec sanguinis rivi viam fecere. Grotius. *Nam* procul dubio mendosum est. Nec tamen cum viro magno *dum* reposuerim. Quid? an unda haerens stetit, opperiens, expectans, deliberans, *dum* sanguis influeret? Unicum in hujus modi sententia vocabulum est *cum:*

Ad molem stetit unda sequens,
cum *sanguinis alti*
Vis sibi fecit iter.

215. — *Campumque effusa per omnem,]* Colbertinus secundus quae. Nimirum quod poeta dedit, hoc est,

— *cum sanguinis alti*
Vis sibi fecit iter: campum
quae fusa *per omnem.*

216. *Praecipitique ruens Tyberina ad flumina rivo]* Omnes omnium Codices cum Romana et Veneta, in *flumina.* Quis primus interpolaverit, nescio; certe *in flumina;* neque enim *adjuvaret*, si *ad fluvium* tantummodo.

218. — *Redeuntque cadavera campo.]* Non Puteaneus tantum, sed Colbertini duo, Harleianus, Regius cum aliis, et editione Romana, *reddit*, caeteri *reddunt.* nullus, ut nunc fertur, *redeunt.* Omnino recipiendum *redditque. Nec alveus, nec ripae retinent amnem; sed* (amnis) *reddit cadavera campo.* Nisi sic legas, versus sequens soloecisset: *vix eluctatus*, quis, nisi *amnis?* Silius x, 321.

Sanguineus tumidas in campos Aufidus undas

Hisne, Salus rerum, Felix his Sylla vocari,
His meruit tumulum medio sibi tollere Campo?
Haec rursus patienda manent: hoc ordine belli
Ibitur: hic stabit civilibus exitus armis.
Quamquam agitant graviora metus, multoque coitur
Humani generis majore in proelia damno.

225. mult*um*que. b. c. d.

Ejectat, redditque *furens sua* corpora *ripis.*

Que, quod est *sed*, Lucano familiare.

221. *Hisne, Salus rerum, Felix his Sylla vocari,]* Valer. Max. IX, 2, [1.] de Sylla, *En quibus actis Felicis cognomen assequendum putavit!* Rerum Salus; nempe quod se *Rempublicam constituere* diceret. Martialis II, 91.

Rerum *certa* salus, *terrarum gloria*, *Caesar.*

225. *Quamquam agitant graviora metus, multoque coitur Humani generis majore in proelia damno.]* Quid hoc est, *metus agitant graviora?* nulla sana his verbis subest sententia. Scripsit auctor,

Quamquam ADERUNT *graviora* METU.

Aderunt, hoc est, *venient*, ut I, 635.

— *non fanda timemus;*
Sed venient majora metu.

Seneca Hippol. 1030.

— *litori invexit malum* majus timore.

Silius V, 348.

Utque metum leti procul, et leviora pavore
Cognovit.

Illud vero, quod sequitur, quam diu jam cubuit, et quousque in mendo cubabit? Priscianus p. 798. *Passivo verbi coeo usus est Lucanus in* II. *Multumque coitur Humani generis majori in praelia damno. sed sciendum, quod coitur pro colligitur, et convenitur pro exigitur, passivam vocem assumentia accipiuntur.* Sic ibi et Codex Cantab. nisi quod, *majore.* Apparet summum magistrum sic verba construxisse: *Multum humani generis coitur* (sive colligitur) *in praelia majore damno.* Sane codices plerique etiamnum habent MULTUM cum Romana ac Veneta: Colbertinus tamen prior et Puteaneus MULTO, quod et nos, pace Prisciani, amplectemur. nunquam enim fidem nobis faciet, *coitur* passive posse sumi pro *colligitur.* Lege vero, non verbis modo legitimis, sed sententia erectiore:

Quamquam ADERUNT *graviora* METU; *multoque coitur*
Humani generis MAJORA *in praelia damno.*

Ubi ordo est: *coiturque* (coeunt homines; impersonale) *in majora praelia* (quam Marii et Syllae erant) *multo damno humani generis:* vel, si mavis, sic: *coiturque in multo majora praelia, damno humani generis.* Ceterum adeo in promtu est *majora* substituere, ut jam olim in Pulmanni editione compareat. Silius I, 272.

Bellaque sumta viro belli majoris *amore.*

Exulibus Mariis bellorum maxima merces
Roma recepta fuit: nec plus victoria Syllae
Praestitit, invisas penitus quam tollere partes.
Hos alio, Fortuna, vocas: olimque potentes

Et xv, 490.

majora *petuntur*
Rursus bella *retro.*

Illud vero vii, 498. ex hoc ipso loco sumtum videatur,

— *et ut parvo* MAJORA *ad* PRAELIA DAMNO
Eliceret, dabat interdum simulantia terga.

229. — *Invisas penitus quam tollere partes.]* Scio, quo modo ex persona Syllae explicari possit INVISAS *partes*, praetulerim tamen,

ADVERSAS *penitus quam tollere partes.*

quoniam lenius, clementius, usitatius est. nec magna adeo mutatio, *īvisas, adūsas.* Val. Max. ix, 2, [1.] de Sylla: *Quatuor legiones* contrariae partis, *fidem suam secutas, obtruncari jussit.* Livius Epit. lxxx, de Mario, *Omnibus* adversae partis *nobilibus trucidatis:* et ibidem, *Qui aut pugnare nolebant, aut in* diversas partes *transibant.* Suetonius Vitellio, 18. *Ab Antonio primo* adversarum partium *duce oppressus.* Et Caesare, 1. *Ut repudiaret Corneliam, Cinnae filiam, compelli a Dictatore Sylla nullo modo potuit, quare* diversarum partium *habebatur.* Ita saepe reperies, *adversas, diversas, contrarias partes:* nusquam, ut opinor, invisas.

230. *Hos alio, Fortuna, vocas:]* Tragicus in Hercule Oetaeo, 178.

Alio *nostras* Fortuna vocat
Lacrimas; alias flere ruinas
ME *fata jubent. Quae prima querar?*

Sic ibi lego, non *mea fata.* BENTL.

Ibid. *Olimque potentes concurrunt]* Merito vulgata lectio displicuit doctissimo OUDENDORPIO, qui corruptum locum suspiciens, ingeniosissima conjectura mentem poetae assecutus, divinaverat *orbemque petentes.* Proxime verum: nisi quod *olim* et *orbem* nimis differant in ductibus literarum. Sed legendum, minima fere mutatione, SOLIUMQUE PETENTES. SOLIUM est vera manus auctoris. *Solium* pro *regno.* Sic *Lib.* iv, *v.* 690.

Lege tribunicia SOLIO *depellere avorum*
Curio tentarat.

Scriptum fuit in Codice,

Hos alio ſtna v̄caS olimq. ptnts

Majuscula litera in *v̄caS* geminandum illud elementum notabat. Neglecto hoc scribendi compendio, insulsum illud *olimque potentes* hinc natum. Haec porro emendatio utrum meae industriae, an vero *Cel.* SCHRADERI, olim, cum mecum esset, ita legendum monentis, amori candorique debeatur, vehementer dubito. Quare optimo amico, in cujus candidissimo pectore rara admodum summa cum eruditione certat humanitas, omnem, si qua ea est, inventi hujus gloriam, utut se monuisse conscium neget, lubens resigno.

Nunc, data iterum occasione, VALERIO FLACCO opitulemur, leviter corrupto, *Lib.* ii, *v.* 323.

Haec hospita, credite, puppis
Adveniet: levior Lemno Deus aequore flexit
Huc Minyas.

LEVIOR DEUS, vereor, ut cum *Cel.* BURMANNO rite explicari pos-

Concurrunt. neuter civilia bella moveret,
Contentus, quo Sylla fuit. Sic moesta senectus
Praeteritique memor flebat, metuensque futuri.
At non magnanimi percussit pectora Bruti

232. Conteptus. c.

sit pro *benigno* et *favente*. Lego et distinguo,

Haec hospita, credite, puppis
ADVENIT: ET MELIOR *Lemno Deus aequore flexit*
Huc Minyas.

MELIOR DEUS, id est, *benignior*. Idem VALERIUS *Lib.* I, *v.* 675.

Haec luerim satis, et TUA NUMINA, *rector,*
Jam fuerint MELIORA *mihi.*

Sic *Diva melior*, de Venere placata, idem *Lib.* II, *v.* 369.

usque novos DIVAE MELIORIS *ad ignes*
Urbe sedent laeti Minyae, viduisque vacantes
Indulgent thalamis.

OVIDIUS *Epist. Heroid.* XI, *v.* 105.

Nubite felices, PARCA MELIORE, *sorores.*

id est, *fato benigniore*. Hinc et emendare jam liceat locum LUCANI vexatissimum, in quo se multum torsit criticorum princeps BURMANNUS. Est vero locus ille *Lib.* III, *v.* 448., quem ita emendo,

Servat MELIOR *Fortuna nocentes,*
Et tantum miseris irasci numina possunt.

vulgo inepte *multos* legitur. *Fortuna*, inquit poeta, *nocentibus et impiis* BENIGNIOR ESSE ET FAVERE, *eosque ab ira Deorum protegere solet, ut impune scelerati esse possint.* MISEROS *enim et* INFORTUNATOS *ira Deorum premit.* Loquitur ibi de Caesare ejusque militibus, sacratos lucos immissa securi impune violantibus. Firmat poeta *Lib.* IV, *v.* 121.

Sed parvo FORTUNA *viri contenta pavore*
PLENA REDIT, *solitoque magis* FAVERE SECUNDI
Et veniam meruere DEI.

MELIOR FORTUNA est *solito magis favens, et benignior.* Vide ea, quae dicta ad *Lib.* II, *v.* 85.

non ille favore
Numinis urguenti Superum protectus ab ira
Vixerit.

ubi *favor Numinis* recte explicari ex mente poetae possit pro *favore Fortunae.* Sic in veteri Inscriptione *apud* GRUTERUM *pag.* 111. est, JOVI O. M. FORTUNAEQUE MELIORI. AUG. ET DIIS DEABUSQUE COMMUNIBUS. JEV.

231. — *Neuter civilia bella moveret, contentus quo Sylla fuit.*] Ignavum illud FUIT librariis et glossatoribus debemus: scripsit auctor,

Contentus, quo Sylla, LOCO.

Ita *locus primus, locus princeps.*

234. *At non magnanimi percussit pectora Bruti Terror,*] Imitatus est Claudianus, I, Rufin. 261.

At non magnanimi virtus Stilichonis eodem
Fracta metu.

Unde et illud discas, ut ibi *Fracta metu*, ita hic PERCELLIT legendum, (non PERCUSSIT) praesenti tempore, ut mox *Invenit.* Non *percelli* viri magnanimi est;

Terror, et in tanta pavidi formidine motus
Pars populi lugentis erat: sed nocte sopora,
Parrhasis obliquos Helice cum verteret axes,
Atria cognati pulsat non ampla Catonis.
Invenit insomni volventem publica cura
Fata virum, casusque Urbis, cunctisque timentem,
Securumque sui; farique his vocibus orsus:
Omnibus expulsae terris, olimque fugatae

239. sōpni. c. 240. casus, sine *que*. c.

non percuti *ἀπαθέος καὶ ἀναισθήτυ*, nulla patriae caritate moti, dissimilis avunculi et soceri sui Catonis, qui (*v.* 240.) sui licet securus, aliis tamen *cunctis timebat*.

235. — *Et in tanta pavidi formidine motus Pars populi lugentis erat:]* Contra VI, 419. *Turbae sed mixtus inerti Sextus erat*, sed nota usum ET et QUE Lucano prope peculiarem: *non* in priore colo subintelligitur in sequente: adeo ut *et pars erat* id ipsum sit, quod *et non pars erat*, vel *nec pars erat*. Quod observavit et Priscianus: quem vide IV, p. 750. Jam vero, quid illud sit, *pavidi formidine motus*, haerere me et caligare confiteor, aut simpliciter potius nescire. Si enim *motus* civile bellum hic notat, ut plane necesse est: cur pavidus vocatur? *motus* ipse *pavere* non potest; *paveri* quidem solet: non tamen pavidum dicitur, quod pavetur. Restituo,

Et in tanta pavidi formidine MUNDI
Pars populi lugentis erat.

Centies in his libris habes, totum *mundum* ad primos belli civilis motus expavisse; et postea collisum fuisse. Vel in ipso prooemio, *Totis concussi viribus orbis*, et infra 248.

Inconcussa tenens trepido vestigia mundo,

et V, 160.

Deque orbis trepidi tanto consulta tumultu.

Brutus igitur, vir magni animi, in totius mundi formidine et consternatione non est perculsus; *si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinae.* [Horat. Carm. III, 3, 7.] Mutatum ab iis crediderim, qui, cum *formidine mortis, poenae, fustis* etc. saepe legissent, ad eandem faciem *formidine mundi*, non de ipso mundo formidante, sed de alio ipsum mundum metuente dici oportere, existimabant. Atqui Tacitus Annal. XV, 6. *Haec plures, ut* formidine regis *et Corbulonis minis patrata, extollebant.* Horat. Serm. 8. [Lib. I, *v.* 3.] *Deus inde ego*, furum aviumque Maxima formido.

242. *Omnibus expulsae terris, olimque fugatae Virtutis jam sola fides,]* Nimis diu suspenditur et in ambiguo fluctuat sententia: quippe in tot verbis, nescias adhuc, utrum compellet Catonem, an de virtute aliquid narraturus sit. scripsit auctor,

Omnibus O PULSAE *terris olimque fugatae.*

Sic pulsus *patria*, *regno*, *solio*, passim. Noster IV, 212. *Imme-*

Virtutis jam sola fides, quam turbine nullo
Excutiet fortuna tibi; tu mente labantem
Dirige me, dubium certo tu robore firma.
Namque alii Magnum, vel Caesaris arma sequantur,
Dux Bruto Cato solus erit. pacemne tueris,
Inconcussa tenens dubio vestigia mundo?
An placuit, ducibus scelerum, populique furentis

245. tu certo. c. 246. sequentur. d. sic et b. correcta tamen *a* in *e*, et supra scripto *vel a*. 249. furent*is; is* in memb. erasa. c.

mor o patriae. Virgilius [Ecl. III, 3.], *Infelix o semper oves pecus.*

244. — *Tu mente labantem Dirige me, dubium certo tu robore firma.]* Inconcinna prorsus clausula est, inter *me* et *dubium* constituta. Codex Puteaneus DERIGE; at Bersmanni unus egregie ERIGE. Totum locum sic lege ac distingue:

— *tu mente labantem*
ERIGE *me* DUBIA, *certo tu robore firma.*

Labantem mente dubia, ut supra *v.* 204. *Dubia mens*, et *mente labare* passim. Ovid. Metam. VI, 629. de Procne Ityn filium occisura,

Sed simul ex nimia mentem *pietate* labare
Sensit; ab hoc iterum est ad vultus versa sororis.

Sic codices plerique et olim editi, perperamque hic *matrem* pro *mentem* substituit vir alioquin subtilissimus. Contrarium prorsus hoc est menti Nasonis, mentique adeo ipsius Heinsii: quippe si *mater* sive maternus affectus *labat*, non vincere incipit (quod voluit Heinsius) sed vinci. si labat maternus affectus, vergit in crudelitatem, non in pietatem. hoc probant ipsa illa exempla, quae Heinsius sibi advocat: *Mater redit, Rex patrem vicit*, et ex Statio illud Theb. XI, 659.

— *jam* flectere patrem
Incipit, atque datis abolere Menoecea regnis:
Primum adeo, saevis imbutus amoribus aulae,
Indicium specimenque sui, jubet igne supremo
Arceri Danaos.

Pater flectitur, paternus affectus *labat;* dedidiscit patrem Creon, et assuescit regem agere. Corrigendum vero obiter, *saevis* MORIBUS *aulae*, non *amoribus*. Sic et XII, 600.

— *quaenam ista novos induxit Erinnys*
Regnorum mores?

ERIGE autem mentem, si *labat; dirige*, si *errat*.

247. *Dux Bruto Cato solus erit. pacemne tueris,]* Concinnius codex Bersmanni ERIS: quod sequens *tueris* satis confirmat.

248. *Inconcussa tenens dubio vestigia mundo?]* *Dubius* jam semel venit, tertio ante versu: scripsit, opinor, Lucanus TREPIDO: V, 160.

Deque orbis trepidi *tanto consulta tumultu.*

249. *An placuit, ducibus scelerum populique furentis*

Cladibus immistum civile absolvere bellum?
Quemque suae rapiunt scelerata in proelia causae:
Hos polluta domus, legesque in pace timendae;
Hos ferro fugienda fames: mundique ruinae
Permiscenda fides. nullum furor egit in arma.

Cladibus immistum civile absolvere bellum?] *Absolvere bellum* est excusare, auctoritate sua quasi justum et pium facere. Plin. Hist. XIII, 15. *Quo dedecore tota absoluta proscriptio est.* Sed non placet *ducibus* et *cladibus:* ut una et personae et res commisceantur. Quid, quod duces scelerum de Pompeianis hic diceretur; parum ex decoro, neque ad sensus Lucani. Quin et *populi furentis* nimis inclementer, qui alienum furorem ipse innocens et ignarus plerumque sequitur; occulta hic latent menda, sic, opinor, emaculanda,

An placuit, VICIBUS *scelerum populique* CRUENTIS
CAEDIBUS *immixtum, civile absolvere bellum?*

Quam prope a receptis lectionibus absint, vides: at quanto meliore sententia? *Vicibus scelerum,* quae scilicet in civili bello nunc hae partes nunc illae facient et patientur. rem plane conficit Senecae patrui locus, Thyest. 133.

Advertat placidum numen, et arceat,
Alternae SCELERUM *ne redeant* VICES.

Cruentis autem *caedibus populi,* melius quam *cladibus.* Seneca Herc. Fur. 919.

Nate, manantes prius
Manus cruenta caede *et hostili expia.*

254. *Nullum furor egit in arma.]* Corruptus locus. Poeta statuit, omnes furore in bellum civile ruisse, ut initio operis exclamaverit,

Quis furor, o cives! quae tanta insania ferri!

inepte igitur dicere hic merito videatur,

nullum furor egit in arma.

Sensit hoc *Cel.* BURMANNUS, qui inde conjecit *pudor.* WADDELUS *in Observ. Critic. p.* 125. legit ILLUM *furor egit in arma.* Verum attentius locum consideranti alia menda latet. Neque enim illud HOS, bis positum, sine ulla ad alios relatione, a poetae manu esse videtur. Legendum suspicor,

Hos polluta domus, legesque in pace timendae,
AUT *ferro fugienda fames, mundique ruinae*
Permiscenda fides; ILLOS *furor egit in arma.*
Castra petunt ISTI *magna mercede. Tibi uni*
Per se bella placent?

Probat hanc emendationem *versus* 259.

Accipiunt alios, facient te bella nocentem.

Omnes, inquit, nocentes fuerunt et ante bellum civile, quia turpes caussas habebant. HI enim *vel propter scelera, legum poenam metuentes, vel obaerati, paupertatem et urguentes creditores effugere cupientes:* ILLI *contra furore et insania:* ISTI *mercede et praemiis sollicitati* bellum civile gerunt. Tu vero, Cato, nulla privata caussa, solo libertatis amore partes faciens, bellum civile gerendo nocens futurus es. HI, ILLI, ISTI. Sic apta membrorum oppositorum

Castra petunt magna victi mercede: tibi uni
Per se bella placent? quid tot durasse per annos
Profuit immunem corrupti moribus aevi?
Hoc solum longae pretium virtutis habebis?
Accipient alios, facient te bella nocentem.
Ne tantum, o Superi, liceat feralibus armis,
Has etiam movisse manus: nec pila lacertis
Missa tuis caeca telorum in nube ferantur:
Nec tanta incassum virtus eat. ingeret omnis
Se belli fortuna tibi. quis nolet ab isto
Ense mori, quamvis alieno vulnere labens,
Et scelus esse tuum? melius tranquilla sine armis
Otia solus ages, sicut coelestia semper

256. durare. d. 257. corruptis. b. c. 260. Nec tamen. c. Nec tant. d. 264. nolit in. b. nollet, in margine scripto nolit. c. nollet in. d. 267. Ocia, c. d. qui fere semper *ci* pro *ti* habent vocali sequente.

fuerit proportio. Vid. *supra ad v.* 54. Firmat Thuan. quart. in quo erat *victi magna*. JEV.

255. *Castra petunt magna victi mercede:]* Parce, quaeso, tam male ominari. immo ita corrigendum,

Castra petunt magna DUCTI *mercede.*

261. — *Nec pila lacertis* — *Nec tanta incassum virtus eat.]* Fefellit omnes interpretes orationis constructio; quae et mendis laborat, et prava interpunctione: sed suo demum nitori restituetur hoc modo:

— NE *pila lacertis*
Missa tuis caeca telorum in nube ferantur,
NEU *tanta incassum virtus eat; ingeret omnis*
Se belli fortuna tibi.

Ubi ordo, et sensus est, omnis fortuna belli ingeret se tibi, ne pilo conjecto vel ignotum ferias, vel nullum. NE *tanta* Colbertinus secundus et Trin. et Valerius Probus p. 1395.

267. — *Sicut coelestia semper Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.]* Ferri non potest *Inconcussa;* cum supra in hac Bruti oratione versum jam inchoaverit, *Inconcussa tenens trepido vestigia mundo.* Nec per se placet *Inconcussa sidera.* Melius castiusque Patruus Herc. Fur. 928.

— *Stet suo caelum loco*
Tellusque et aether: astra inoffensos agunt
Aeterna cursus.

Vix aliter scripsit, quam INDEFLEXA: suo et ordinato cursu feruntur, eo nusquam deflexa. Apuleius de deo Socratis [post princip.]: *Septem stellae, quae vulgo vagae ab imperitis dicuntur,*

quae tamen INDEFLEXO *et certo et stato cursu meatus longe ordinatissimos diutinis vicibus aeternos efficiunt.* Plinius, Paneg. [cap. 4.] *Aetatis* indeflexa *maturitas.* Ita alii, *de via, de cursu, de spatio, de curriculo deflectere.* BENTL.

Offendit hic BENTLEIUM τὸ *inconcussa*, quia supra *inconcussa vestigia* dixit *v.* 248. quare *indeflexa* corrigit, quia ex ejus sententia LUCANUS aliter scribere non potuit. Miseret me summi Bentleji, qui hic infeliciter tentat locum. Mentem enim poetae non cepit. Si quid video, sensus poetae hic erit. *Tu certe, Cato, melius feceris, si, misso bello civili, in otio et solita animi tranquillitate vivas, exemplo Deorum, qui aeterna voluptate et otio felicissimo fruuntur.* Ast hoc non exprimunt illa poetae verba,

Sicut coelestia semper
Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.

Frustra sunt doctissimi interpretes, qui putant, poetam loqui de *motu* vel *cursu siderum.* Nihil minus! *Sidera coelestia* sunt DII, *qui* (secundum EPICURI et STOICORUM quorundam, ejus castra hac in parte quodam modo sequentium, dogmata) sine ulla rerum humanarum cura, in otio beatissimo aeterna voluptate fruuntur. Variae illae MStorum lectiones corruptum locum arguunt. In Codice forte *Ixa* vitiose exaratum fuerat pro *Ixu*, unde primum *laxo*, mox *lapso*, sollemni aberratione, et dein *lapsu* factum, cujus vocis interpretamenta sunt *motu* et *cursu*, ut recte odoratus fuit OUDENDORPIUS. Quid multa? Legendum puto,

melius tranquilla sine armis
Otia solus ages, sicut coelestia semper
Inconcussa PIO SOLVUNTUR *sidera* LUXU.

Solvi luxu et *in luxum* elegans locutio, pro *resolvi in voluptatem.* PIO LUXU SOLVI est *incorrupta et solita voluptate frui.* PETRONIUS *Satir. Cap.* XCI. *Convertit ille* SOLUTUM GAUDIO *vultum*, ubi dubito, an praestiterit *solutum in gaudia*, ut τὸ *in* absorptum fuerit ab ultima litera vocis *solutum*, quia dicit, eum antea *tristem* et *confusum* stetisse. Sic *solvi somno* et *in somnum. Soluta somno corpora* dixit LIVIUS *Lib.* V. *Cap.* XLV. ubi *vid.* DRAKENBORCH. OVID. *Lib.* I. *Fast.* 371. VIRGILIUS IV. *Aen. v.* 529.

At non infelix animi Phoenissa, neque umquam
SOLVITUR IN SOMNOS.

Solvi luxu et *libidine* frequens atque obvium: sic *solutae mero et libidine aniculae* PETRONIO *Cap.* CXXXVIII. *Resolvi in nimiam securitatem* dixit FRONTIN. *Lib.* II. *Strat. Cap.* IX. *Solvi in lacrimas*, quod *effluere in lacrimas* dixit LUCAN. *Lib.* IX. *v.* 106. Unde *lacrimae solutae*, id est, *effusae, copiosae* apud CLAUDIANUM *Lib.* II. *in Rufin. v.* 258.

galeasque SOLUTIS
Humectant lacrimis.

ubi *vid.* BARTH. et HEINS. *ad* OVID. *Epist. Her.* XIII. *v.* 116. Ita *solvi oscitatione*, pro *in oscitationem resolvi*, dixit QUINCTILIANUS *Lib.* XI. *Inst. Orat. Cap.* III. loco desperato, quem forte ita restituere possis; *ne, dum supini (nimis) securique* MOVEMUR, LANGUORE *ipse* NOSTRO *oscitatione solvatur.* Vulgo nunc legitur, *an non et ipse nostra oscitatione solvatur. Movemur* pro vulgato *moveamus* lego: agit enim de *ardenti et concitato oratoris motu*, qui multum facit ad attentionem judicis excitandam; si enim MOTUS *remissus nimis et languidus* fuerit, facile oscitatione solvatur judex, somnusque ei obrepat. JEV.

Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.
Fulminibus propior terrae succenditur aer,
Imaque telluris ventos, tractusque coruscos
Flammarum accipiunt: nubes excedit Olympus

268. *motu* c. 271. accipi*unt*, *int* in membr. erasa. d. ol*i*mpus, ut semper. d.

271. — *Nubes excedit Olympus Lege deum. minimas rerum discordia turbat: Pacem summa tenent.*] Servius quidem ad Aeneid. VIII, 454. *summa* citat, et Joannes Sarisberiensis p. 679. Hodie tamen Lucani codices, tam vetusti quam recentiores, magno consensu MAGNA exhibent, cum editione Veneta: vix unus et alter pro varia lectione *summa:* et de *summis* prius egerat, cum *sidera* et *Olympum* dixit. Ceterum prava distinctio in omnibus editionibus haeret; *Nubes excedit Olympus Lege deum.* Hoc putidum est, *lege Deum fieri, ut locus altus sit loco inferiore altior.* Immo puncto mutato lege,

nubes excedit Olympus.
Lege deum, minimas rerum discordia turbat,
Pacem magna tenent.

Nempe res magnas in pace versari, dum minores discordiis agitantur, hoc non *situs* beneficio, sed divina lege fit. Silius hoc imitatus est VI, 120.

Talis lege deum clivoso tramite vitae
Per varios praeceps casus rota volvitur aevi. BENTL.

Corruptus hic locus, et mala distinctione laborat. Quaenam enim illa lex Deorum fuerit, secundum quam Olympus nubes excedit, videre nondum licuit. Illa quoque generis enallage in *minimas rerum* et *summa*, quamvis tueri velit *Cel.* BURMANNUS, mihi hic non placet. Crediderim, poetam hoc modo nobis reliquisse,

Fulminibus terrae UT *propior succenditur aer,*
Imaque telluris ventos tractusque coruscos,
Flammarum EXCIPIUNT; *nubes excedit Olympus:*
Lege AEVI *minima* ET *rerum discordia turbat,*
Pacem summa tenent.

Sensus auctoris est, Catonem debere exemplum Deorum sequi. Sapientem enim omnibus affectibus vacuum in quiete et tranquillitate animi vivere decet, uti Dii in otio beatissimo aeterna voluptate fruuntur. *Quemadmodum*, inquit, *aer et terra, infra nubes posita, ventos et fulmina excipiunt; Olympus vero altior nubes et tonitrua despicit:* SIC ET LEGE AETERNA *fatorum constitutum est, ut infimi mortalium affectibus turbentur, animi vero excelsi, his miseris mentis tumultibus vacui, pace et plena animi tranquillitate gaudeant.* Sic elegans haec comparatio fuerit et sensus poetae optime sibi constiterit. Confer locum SENECAE *de Ira Lib.* III. *Cap.* 6. ab OUDENDORPIO citatum. *Terrae propior* erat in Oiseliano, ab HEINSIO collato, et in Hulstiano Cod. teste OUDENDORPIO. Atque ita citat SERV. *ad* VIRGIL. *Lib.* VIII. *Aen. v.* 454. Quare ibi particulam comparationis inserui, quae excidisse videtur. *Excipiunt ventos.* Sic *Lib.* VI. *v.* 339.

EXCIPIT *adversos Zephyros et Iapyga Pindus.*

haec verba frequenter confusa in

Lege deum, minimas rerum discordia turbat:
Pacem summa tenent. quam laete Caesaris aures
Accipient tantum venisse in proelia civem!
Nam praelata suis nunquam diversa dolebit
Castra ducis Magni. nimium placet ipse, Catoni
Si bellum civile placet. pars magna Senatus,

273. *magna* ten. b. d. lact*ae*. b.

MSS. *vid.* Drakenborch. *ad* Sil. Ital. *Lib.* xvii. *v.* 5. pro *minimas rerum* lego *minima et rerum*, intellecto altero comparationis membro *sic* vel *ita: minima* enim in Cortii MSS. et in Cod. Turriano, ut jam caesurae beneficio opus non sit ad ultimam syllabam producendam. Lege aevi rescripsi pro *Lege Deum. Lex aevi* est *Lex naturae*, quam Legem simpliciter *Lib.* vi. *v.* 462. *Legem mundi Lib.* x. *v.* 201. *Legem fatorum et ordinem aeternum Lib.* viii. *v.* 568. legem aeternam vocat *initio Lib.* vii. Sic *Lib.* ii. *v.* 82.

debent multas haec legibus aevi
Ante suam caedes.

uti ibi legendum puto. Si quis vulgatam tueri velit, per me licet, dummodo *legem Deorum* tum explicet *ordinem rerum a Diis constitutam. Lib.* i. *v.* 81.

Latiis hunc numina *rebus*
Crescendi posuere modum.

atque ita nihilominus *legem aevi* sive Fatum habebimus. Stoici enim *fata a Jove condi* statuebant, *quibus ipse quoque teneretur.* Seneca *de Provid. Cap.* v. *Ille ipse omnium conditor ac rector* scripsit *quidem* fata, *sed* sequitur. *Semper paret; semel jussit. Vid. supra ad v.* 12. *h. l.* Ita, mutata distinctione, nova luce perfunditur hic locus. Jev.

277. — *Pars magna Senatus,*
Et duce privato gesturus proelia Consul
Sollicitant, proceresque alii: quibus adde Catonem
Sub juga Pompeji;] Foedum hic a librariis facinus admissum est; quod interpretibus omnibus facessivit negotium; nisi si qui vafriores locum intactum reliquerunt. *Senatus*, inquit, *Consules, aliique proceres* sollicitant. Quem, obsecro? Respondet unus, *me Brutum:* alter, *se Catonem*, tertius, *omnes ubicumque.* Ad quid autem sollicitant? *ad arma*, inquiunt, *secum capessenda.* Enimvero finis adest rebus verbisque, si haec et ejusmodi subintelligi possunt, auctore nihil dicente. Quibus, inquit, *sollicitantibus adde Catonem sub Pompeji juga.* jam vero, si Cato *additur*, liber in orbe solus Caesar erit. indicatum erat prius, illos omnes sub jugo fuisse. Atqui qui pro alio *sollicitat*, non idcirco sub ejus jugo est; vide, si veram lectionem extudimus,

— *pars magna Senatus*
Et duce privato gesturus praelia Consul
Militat, ac *proceres alii.*

Militat ac, *sollicitat.* Qui sub alio duce militat, revera sub ejus jugo est. Militabant vero sub Pompejo, tum privato, Consul uterque cum parte magna senatus et procerum. Fac, inquit, *etiam Catonem militem*, et in toto orbe solus Caesar a Pompeji jure liber erit. Cato mox *v.* 322.

— *ideo* me milite *vincat,*
Ne sibi se vicisse putet.

Cicero infra VII, 84.

Scire SENATUS *avet*, MILES *te*, *Magne*, *sequatur*,
An comes. BENTL.

Locus intricatior, quem doctissimi interpretes frustra tentarunt, mentem poetae haud assecuti. Mihi an melius cesserit, eruditis judicandum relinquo. Illud *sollicitant* male capiunt viri docti pro *sollicitant ad bellum*, quasi Senatus et Consules Catonem, vel Brutum, vel omnes generaliter in bella sollicitarent. Menti enim poetae hoc adversari videtur. Hinc, opinor, tentavit hunc locum WITHOF. *in Encaen. Crit. p.* 38. *et* 39. qui rescribi volebat *Non sibi dant.* BENTLEJUS non multo felicius legit *Militat ac*, quod duriusculum et inconcinnum videri possit. Mentem auctoris cepisse mihi videor. *Quam laetus erit Caesar* (inquit poeta) *ubi audierit*, *Catonem*, *Magni partes secutum*, *bello civili se immiscuisse. Neque enim dolebit*, *Catonem castra* POMPEJI *suis praetulisse. Tantum enim abest, ut doleat, ut contra* OMNIBUS VOTIS *hoc* OPTARE *videatur. Ut hoc optet*, MOVENT *eum Senatus et Consules*, *aliique proceres*, JUGO SE SERVILITER SUBJICIENTES *et sub* DUCE PRIVATO *militantes. Quibus si Cato accesserit*, *plena votorum felicitate fruetur*, *quod* SOLUS *in orbe Romano* LIBER VIVAT. Nunc locus sit sobriae et modestae criticae, ita legendum arguentis:

Nam praelata suis numquam diversa dolebit
Castra ducis Magni: nimium FAVET *ipse*, *Catoni*
Si bellum civile placet! Pars magna Senatus
Et duce privato gesturus proelia Consul
Sollicitant proceresque alii; quibus adde Catonem
Sub juga SERVITII, *toto jam liber in orbe*
Solus Caesar erit.

favet rescripsi, pro vulgata *placet*, quam ridicule explicat Scholiastes dicens: PLACET. *Scilicet sibi ipse Caesar*, *si Catoni placet bellum civile*, *quippe quod ipse commovit.* Divinitus hunc hominem nobis missum credas, ut Lucanum explicaret! Adeone igitur sibi placeret Caesar, ut cristas tolleret, quod Catoni bellum civile placeret? Hoc siquidem puerile esset. Praeterea *ipse placet*, pro *ipse sibi placet*, est latinitas sine exemplo. *Nimium favet*, id est, *ipse impense favet huic judicio Catonis*, *omnibus votis hoc optat.* Ita *favere procellis* dicitur Cornelia sive *optare procellas*, *quibus perire volebat. Lib.* IX. *v.* 116.

Votaque sollicitis faciens contraria nautis
Composita in mortem jacuit, FAVITQUE PROCELLIS.

Sic Helena dicitur *favere laudibus formae*, sive *optare famam pulchritudinis* OVIDIO *Epist. Heroid.* XVII. *v.* 127.

Sed nihil infirmo: FAVEO *quoque* LAUDIBUS ISTIS:
Nam mea vox quare, *quod cupit esse*, *neget?*

SENECA Thebaid. *v.* 438.

Illinc et hinc miscere cupientes manum
Vibrata dextra tela suspensa tenent.
PACI FAVETUR!

id est, *pax optatur. Sollicitant* vero hic recte positum, pro *movent Caesarem*, *ut hoc optet. Sollicitare* est *movere.* OVID. *Lib.* III. *Amor. Eleg.* IX. [*v.* 34.]

Cum rapiant mala fata bonos (*ignoscite fasso*)
SOLLICITOR, *nullos esse putare Deos.*

PLIN. *Lib.* X. *Epist.* 51. *Potest nos* SOLLICITARE *lacus iste*, *ut committere illum mari velimus.* Ita *gloria*, *ambitio*, *avaritia* dicitur *sollicitare animos.* LUCAN. *Lib.* VI. *v.* 805.

Et duce privato gesturus proelia Consul
Sollicitant, proceresque alii: quibus adde Catonem
Sub juga Pompeji; toto jam liber in orbe
Solus Caesar erit. quod si pro legibus arma
Ferre juvat patriis, libertatemque tueri:
Nunc neque Pompeji Brutum, neque Caesaris hostem,

279. Sollicitantque alii proceres. c. 280. Pompei. ita semper. d. 283. Pomp. neq. Brut. Caes. d.

nec gloria parvae
SOLLICITET *vitae.*

OVID. *Lib.* I. *Fast. v.* 304.

Nec levis ambitio perfusaque gloria fuco,
Magnarumve fames SOLLICITAVIT *opum.*

dein SERVITII reposui, summo jure: cum enim *ducem privatum* vocet Pompejum, et *castra ducis Magni ingeminet*, ineptus merito videri possit, si *Pompeji* scripsisset. JUGUM SERVITII eleganter dixit. Sic *Lib.* IV. *v.* 576.

Percipient gentes, quam sit non ardua virtus
SERVITIUM *fugisse manu.*

et *indiga* SERVITII *plebes Lib.* IX. *v.* 254. in codice *svti* scriptum fuit, quod cum non caperet librarius, nomen Pompeji supposuisse videtur. JEV.

283. *Nunc neque Pompeji*] Obscurus mihi videtur hic locus. Variant MSS. *Hunc* vel *Nunc* exhibentes. Vossian. sec. *Tunc.* Explicant autem viri docti hoc modo. *Si pro libertate arma caperet Cato, Brutum* ANTE VICTORIAM *nec Caesaris nec Pompeji, sed* POST BELLUM *victoris hostem fore.* ut ita *nunc* et *post bellum* opponantur. Scholiastes ad haec, POST BELLUM, notat: *Innocentiae est, quod bellis civilibus non vult interesse: virtutis, quod post bella se spondet victoris inimicum.* Ast cur, quaeso, durante bello nec Caesaris nec Pompeji hostem se fore dicit, cum pro pio libertatis zelo utrosque odisse deberet? et cur differt odium suum? Aliud, credo, voluit poeta, qui hic sub persona Bruti insanum libertatis amorem et invisae tyrannidis odium ostentare voluisse videtur. Quare vix abest, quin arrepta codicis Vossiani lectione rescribam,

TUNC *neque Pompeji Brutum, nec Caesaris hostem,*
AST FATUM *victoris habes.*

ut jam minitari videatur Brutus, se *victorem*, id est, *tyrannum* occisurum. *Fatum victoris* hic *tyrannicidam* notat. *Bellum* et *fatum* saepe confusa. *Vid. ad Lib.* I. *v.* 504. Sic DUO FATA *Trojae* sive *Trojae eversores* dicuntur OVIDIO Hercules et Achilles *Lib.* V. *Fast. v.* 389.

Stare simul casu TROJAE DUO FATA *videres:*
Hinc puer Aeacides; hinc Jove natus erat.

Ita FATUM VINDEX TERRARUM dicitur LUCANO, quod morte Alexandri orbem servitute liberavit, *Lib.* X. *v.* 21.

Illic Pellaei proles vesana Philippi,
Felix praedo, jacet TERRARUM VINDICE FATO
Raptus. JEV.

Post bellum victoris habe. Sic fatur. at illi
Arcano sacras reddit Cato pectore voces:
Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur:
Sed quo fata trahunt, virtus secura sequetur.
Crimen erit Superis et me fecisse nocentem.
Sidera quis, mundumque velit spectare cadentem
Expers ipse metus? quis, cum ruat arduus aether,

284. habes. b. c. d. 289. valet. c. 290. *ille*. c.

284. *Post bellum victoris habe.]* Omnes ubique codices cum Romana et Veneta HABES: quod promtius est et animosius, quam *habe*.

290. — *Quis, cum ruat arduus aether, Terra labet, misto coeuntis pondere mundi, Complosas tenuisse manus?]* Nostri omnes tam vetusti quam nuperiores, magno consensu, cum Veneta et Romana, *Compressas;* et recte. Hoc, ut sententia postulat, lenti est et otiosi; illud summum affectum indicat, vel gaudii vel metus. *Complosas* vero *tenere manus* nullo sensu dicitur. Ceterum versus iste, mihi videtur, nothus et commentitius; altero abhinc versu habuimus *mundum cadentem;* ne iterum hic *mundi* vellet ingerere. quid quod verba ipsa si excutias, inania sunt. BENTL.

Spurius BENTLEIO hic versus videtur, quia *mundum cadentem* jam dixit. Sed jugulare integrum versum ob unam vocem corruptam crudele est. Vox *mundi* corrupta est, quam mox emendabimus. Verum hic aliud me sollicitum habet, nempe illud *velit spectare expers metus*. Metus enim ille, arbitror, *voluntarius* non fuerit in ruina coeli et totius terrarum orbis exitio. Tunc enim necessario timuerit vel summus STOICORUM sapiens, quem, *tenacem propositi*, ut *Lib.* III. *Od.* III. [*v.* 8.] ambitiose jactat HORATIUS,

Si fractus illabatur orbis,
IMPAVIDUM FERIENT RUINAE.

Legendum puto,

Sidera quis mundumque FERAT *spectare cadentem*
Expers ipse metus? quis, cum ruat arduus aether,
Terra labet, mixto coeuntis pondere MASSAE
Compressas tenuisse manus.

ut dicat poeta, *quis sine metu spectare* SUSTINEAT *ruinam mundi? quis ausit sine metu hoc spectare?* Sic *Lib.* IV. *v.* 796.

Non TULIT *afflictis animam producere rebus.*

PROPERT. *Lib.* III. *Eleg.* V. *v.* 61.

Non TULIT *huic pectus stridorem audire procellae,*
Aut duro teneras laedere fune manus.

Saepe hae voces confusae. *Vid.* BURMANN. *ad Lib.* VIII. *v.* 617. ubi et ex OVIDIO alia exempla protulit. MASSAE *coeuntis* verissime, nisi fallor, rescripsi. *Massam coeuntem* vocat poeta ELEMENTA, IN ANTIQUUM CHAOS, *unde primum educta fuerunt,* REDEUNTIA. Firmat nostram emendationem OVIDIUS, de *chao* loquens, *Lib.* I. *Fast. v.* 108.

Ut semel HAEC *rerum secessit lite suarum,*
Inque novas abiit MASSA *soluta domos.*

Terra labet, misto coeuntis pondere mundi,
Complosas tenuisse manus? gentesne furorem
Hesperium ignotae, Romanaque signa sequentur
Deductique fretis alio sub sidere reges?
Otia solus agam? procul hunc arcete furorem,
O Superi, motura Dacas ut clade, Getasque

292. Com*pressas*, b. c. d. 293. Post hunc versum b. alium addit: *Atque alio patriam quaerent sub sole jacentem.* 295. h*i*nc. c.

pondus vero huic MASSAE recte tribuit auctor, quae, ut OVIDIUS *Lib.* I. *Met. initio* ait, erat

RUDIS *indigestaque* MOLES
Nec quidquam, *nisi* PONDUS INERS.

MASSA enim proprie *rude metallum*, *nondum purgatum*, *cusum aut signatum.* Sic *Lib.* VI. *v.* 403.

In formam calidae percussit PONDERA MASSAE,
Fudit et argentum flammis, aurumque moneta
Fregit.

et *Lib.* VII. *v.* 753.

Invenere quidem spoliato plurima mundo
Bellorum in sumtus congestae PONDERA MASSAE.

pondere mixta massae coeuntis igitur est, *elementis confusis et in antiquum chaos redeuntibus.* Nemo, credo, de hac emendatione dubitabit. JEV.

292. *Gentesne furorem Hesperium ignotae, Romanaque signa sequentur,]* Tertio mox versu, et in sexto quoque pede, rursum habemus,

— *procul hinc arcete* furorem.

Enimvero III, 249, ex persona Lucani, de hoc bello civili:

Tunc furor *extremos movit* Romanus *Oretas.*

Sed non tam decore, ex persona Catonis, qui ipse in partibus erat. Scripsit auctor,

— *gentesne* LABOREM
Hesperium ignotae Romanaque signa sequentur?

Noster VII, 511.

Di, quorum curas abduxit ab aethere tellus
ROMANUSQUE LABOR.

et hic *v.* 317.

— *finemque laborum*
Gentibus Hesperiis.

Labor Hesperius, qui a bonis civibus excutiendo servitutis jugo laborabatur. Virgil. Aeneid. I, 597.

O sola infandos Trojae miserata labores!

et VI, 56.

Phoebe, graves Trojae semper miserate labores.

294. *Deductique fretis alio sub sidere reges?]* Meliores codices *diducti*, id est, *divisi fretis:* at *deducti*, est deportati. vide Drakenborchium ad Silium. [XV, 187.]

296. — *Motura Dacas ut clade, Getasque]* Vetusti quattuor *Dahas* recte. *Dacae* non dicuntur; *Daci* prima longa. Seneca Oedipo 472.

Sensere terrae te Dahum *feroces.*

Securo me Roma cadat. ceu morte parentem
Natorum orbatum, longum producere funus
Ad tumulum jubet ipse dolor: juvat ignibus atris
Inseruisse manus, constructoque aggere busti
Ipsum atras tenuisse faces: non ante revellar,
Exanimem quam te complectar, Roma, tuumque
Nomen, libertas, et inanem prosequar umbram.
Sic eat: immites Romana piacula divi
Plena ferant: nullo fraudemus sanguine bellum.
O utinam, coelique Deis, Erebique liberet

299. tumul*os*. b. c. d. *voc*at ips. c. 301. atr*as*, *a* ex *o* manus sec. correxit. c. 303. persequar. b. c. d. 306. liceret, d. liberet, addito *vel liceret*. b.

Sic ibi lege, non Dacum: brevem enim syllabam postulat versus, ut

Trahuntque siccas machinae carinas.

Thyest. 370.

Qui sparsos agitant Dahas.

Sic ibi optimus Florentinus, non *Daas*.

299. *Ad tumulum jubet ipse dolor: juvat ignibus atris]* Nostri omnes cum Romana ac Veneta *tumulos*. Recte: quippe *natorum*, non unius nati.

Ibidem, *Atri ignes, Atrae faces*, utrumque hic non potest, tantum non in eodem versu. Codices nihil variant nec juvant. Jam primum autem *ignibus atris* rerum ordinem turbat. *Producere funus ad tumulos; ignibus manus inserere; aggere busti constructo, faces tenuisse.* Ergo tertio loco, nondum accenduntur ignes, et tamen in secundo manus ignibus inseruntur. Illud deinde considerandum, quid sit *manus inserere?* id vero perinde est, ac *immiscere* se alicui negotio. Noster VIII, 552.

— caeloque tonante, profanas
Inseruisse manus, *impure ac semivir, audes?*

Audes *te inserere*, te immiscere. Iterum IX, 1072.

— secreta quid arma
Movit, et inseruit *nostro sua tela labori?*

hoc est, quid sua tela *immiscuit?* Ad hanc autem faciem, quid erit, *inserere* se vel *manus* suas *ignibus?* hoc Scaevolae alicujus esset, non patris in nati funere satagentis. Negotium, inquam, opus aliquod, hic requiritur, non *ignes*, nec simile quicquam. Sed facilius ulcus nudare, quam medicinam invenire; mihi nihil melius occurrit quam, *juvat* OMNIBUS ACTIS *Inseruisse manus.*

303. — *Et inanem prosequar umbram.]* Omnes Codices cum Romana ac Veneta, *persequar*; recte.

306. *O utinam, coelique Deis,*

Hoc caput in cunctas damnatum exponere poenas!
Devotum hostiles Decium pressere catervae:
Me geminae figant acies, me barbara telis
Rheni turba petat: cunctis ego pervius hastis
Excipiam medius totius vulnera belli.
Hic redimat sanguis populos: hac caede luatur,
Quicquid Romani meruerunt pendere mores.

307. dampnat̄, t correxit manus alia. c. 310. *Reni*, ut semper. d. hastis, manus sec. *a* ex *o* correxit. c. 311. medius, addito *vel solus*. b. 313. perdere d; ita et b. addito *vel pendere;* pendere, in margine a man. alia *per*dere. c.

Erebique liberet] Codices tres vetusti, Colbertinus, Harleianus, et alii quidam, *liceret*. recte, ex Stoico dogmate de fato. BENTL.

In hoc loco menda latere mihi videtur. Pro vulgato *liberet* certe in plurimis Codd. est *liceret*, ut testantur OUDENDORPIUS et BURMANNUS, qui ex Thuan. sec. malit *placeret*. Crediderim errare summos viros, qui illud *liberet* referunt ad *deos coeli et erebi*, nam menti poetae hoc mihi adversari videtur. STOICUS *est Cato. Optat hic, ut* FATA *sibi permittant exemplo Deciorum Diis Manibus caput devovere pro Reipublicae salute : liceret* igitur vera manus auctoris. Ast, cedo, quid jam *coeli Dei* huc faciant? Puto dedisse poetam,

O utinam STYGIISQUE *Deis* EREBOQUE *liceret*
Hoc caput in cunctas damnatum exponere poenas,
Devotum hostiles Decium UT *pressere catervae!*

utinam, inquit, *mihi per fata liceat caput hoc meum* DIIS MANIBUS *atque* EREBO *devotum pro omnium salute in poenas exponere, ut hac piaculari victima redimantur Romanorum scelera, quemadmodum Decii se pro Reipublicae salute devoverunt!* nam *ut pressere* erat in Bersmanni Cod. et Voss. sec. teste *Oudendorpio*, atque ita inveni quoque in oblongo illo optimae notae Codice. *Caput Stygiis Deis et Erebo damnatum* est *Diis Manibus sacrum.* In hac devovendi significatione tertio casui fere jungitur hoc verbum. Ita *Erichtho damnarat montem sacris Lib.* VI. *v.* 641. et *damnata tristi loco moenia Lib.* I. *v.* 249. dixit LUCANUS. OVID. *Lib.* II. *Art. Am. v.* 387.

Nec mea vos UNI DAMNAT *censura* PUELLAE.

ubi vid. not. Heins. Judicent Critici. JEV.

308. *Devotum hostiles Decium pressere catervae :]* Quid autem si *pressere?* non omnes qui *premuntur ab hostibus*, aut perimuntur, aut vincuntur. Noster I, 514.

— cum pressus *ab hoste*
Clauditur externis miles Romanus in oris;
Effugit exiguo nocturna pericula vallo.

Lege igitur:

Devotum hostiles Decium OPPRESSERE *catervae.*

obrutus et oppressus est Decius telis hostium.

Ad juga cur faciles populi, cur saeva volentes
Regna pati pereunt? me solum invadite ferro,
Me frustra leges et inania jura tuentem:
Hic dabit, hic pacem jugulus, finemque laborum
Gentibus Hesperiis: post me regnare volenti
Non opus est bello. quin publica signa, ducemque
Pompejum sequimur? nec, si fortuna favebit,
Hunc quoque totius sibi jus promittere mundi
Non bene compertum est: ideo me milite vincat,
Ne sibi se vicisse putet. Sic fatur: et acres
Irarum movit stimulos: juvenisque calorem
Excitat in nimios belli civilis amores.
Interea, Phoebo gelidas pellente tenebras,
Pulsatae sonuere fores; quas sancta relicto
Hortensi moerens irrupit Marcia busto.
Quondam virgo toris melioris juncta mariti:
Mox ubi connubii pretium, mercesque soluta est
Tertia jam soboles, alios foecunda penates
Impletura datur; geminas e sanguine matris

317. *malorum* b. c. d. sed in b. adscriptum est *vel laborum*. 321. Hunc, *u* ex *i* manus sec. correxit. c. 323. Nec; c. 324. mon*uit*; sed in margine a manu alia *movit*. c. 326. gelid. pheb. c. 329. *thoris*, ut semper. c. 332. *et*, b. c. *de*, d.

323. *Sic fatur: et acres Irarum movit stimulos: juvenisque calorem Excitat in nimios belli civilis amores.*] Colbertinus prior FATUS. *Iras* autem *movere* recte dixeris: *movere stimulos irarum* minime, *excitat* quoque pro *excitavit* non nimis venuste. Totus locus sic corrigendus:

— *Sic* FATUS; *et acres*
Irarum ADMOVIT *stimulos, juvenisque calorem*
EXCIIT *in nimios belli civilis amores.*

Admovit stimulos caloremque exciit in amores. Tacit. Hist. v, 16. *Proprios deinde stimulos legionibus* admovebat. Noster VI, 11.

Ut videt ad nullos exciri *posse tumultus*
In pugnam *generum.*

326. *Interea, Phoebo gelidas pellente tenebras,*] Placet codex Bersmanni, qui verba sic disponit,

Interea gelidas Phoebo *pellente tenebras.*

Permistura domos, sed postquam condidit urna
Supremos cineres, miserando concita vultu,
Effusas laniata comas, concussaque pectus
Verberibus crebris, cineresque ingesta sepulcri,

335. con*tus*aque b. d. 336. V*uln*eribus. c. sepul*ch*ri, ita fere semper. d.

334. — *Miserando concita vultu, Effusas laniata comas,]* Nec *miserandus ille vultus* cuiquam eleganti formarum spectatori placebit, nec *concita vultu*, quid sibi velit vel Oedipus conjecerit. *Concita ira*, *furore*, *cursu*, recte. Sed nihil huc faciunt, neque honeste *curret* hic Marcia; nec miserandus cursus placet. Ne dubites, quin dederit auctor,

— *miserando* SORDIDA CULTU.

Sordes istas et cultum mox describit, *comam effusam et laceram*, *planctibus contusum pectus*, *caput cineribus sparsum*. *Sordida cultu*, ut Ovid. Amor. III, 6, [48.]

Ilia cui placuit, quamvis erat HORRIDA CULTU.

335. — *concussaque pectus]* Codices universi, cum Romana ac Veneta, *Contusaque pectus*: ut poetae passim. Noster supra, *v.* 38.

Nunc, ait, o miserae contundite pectora matres.

336. — *Cineresque ingesta sepulcri,]* Versu abhinc secundo habuimus,

— *sed postquam condidit urna*
Supremos cineres.

Utrum horum in mendo cubet, dispiciendum est. Et profecto *ingesta cineres sepulcri*, ne latinum quidem est. Quippe in omnibus hujus formae hellenismis, quales priore versu, *laniata comas*, *contusa pectus*, reciprocus semper est sensus, et pronomen *suus* subintelligitur; quod et admonuimus ad Horat. III, Carm. 5. [*v.* 38.] castigantes summi viri errorem, qui *vellera exuta costus* recte dici existimavit. Atqui Marcia *ingesta cineres* non *suos* utique, sed *sepulcri*. Quid, quod si *ingesta cineres* esset, non sparsa, sed tota cooperta foret atque obruta: ut Ovid. 464. [in Ibide]:

Saucius ingesta *contumuleris* humo.

Verum non cineribus *sepulcri*, sed *rogi* spargi debuerit: quippe qui *urna conditi* clausique erant, antequam ad sepulcrum ventum erat. Singula igitur, ut vides, verba mendosa sunt: duroque nodo durior cuneus efflagitatur. *Crines* et *cineres* passim inter se mutantur: illud *c̄nes*, hoc *cīnes* compendio scribitur. Repono igitur,

— *contusaque pectus*
Verberibus crebris, CRINESQUE INSPERSA FAVILLA.

In luctu, favillis seu cineribus crinem spargere, frequentissimum. Seneca Troad. 83.

Per colla fluant moesta capilli
Tepido Trojae pulvere turpes.

et mox, [*v.* 99.]

Coma demissa est libera nodo
Sparsitque cinis fervidus ora.

Ceterum ubi semel CRINES in CINERES transierunt; tum consequens erat, ut corrector aliquis pro *favilla* reponeret *sepulcri*; quod *cineres* et *favilla* idem es-

Non aliter placitura viro, sic moesta profatur:
Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi
Jussa Cato, et geminos excepi feta maritos.
Visceribus lassis, partuque exhausta, revertor
Jam nulli tradenda viro. da foedera prisci
Illibata tori: da tantum nomen inane
Connubii: liceat tumulo scripsisse, Catonis
Marcia: nec dubium longo quaeratur in aevo,
Mutarim primas expulsa, an tradita, tedas.
Non me laetorum sociam, rebusque secundis
Accipis: in curas venio, partemque laborum.
Da mihi castra sequi: cur tuta in pace relinquar,
Et sit civili propior Cornelia bello?
Hae flexere virum voces, et tempora quanquam

340. laxis, supra scripto *vel lassis* a man. rec. b. 346. *comitem*, c. quod b. quoque pro varia lectione a man. rec. habet. 548. relinquor, b. d. sed in b supra o scriptum est *vel a*.

sent. *Comas laniata* et mox *crines inspersa*: sic alibi *crines* et *caesariem* conjungit. vide ad 1, 188.

338. *Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi Jussa Cato,]* *Justa* clare habet Colbertinus veterrimus, ut recte emendat praestantissimus Gronovius Observat. 1, 13. [p. 86. Lips.] *Peregi justa*, ut *justa reddere, percipere, exigere*. Idem Gronovius Observat. IV, 6. [p. 677. Lips.] nonnihil indignatur, se summo viro emendationem suam non probasse. Si Nic. Heinsium, ut sane videtur, intelligit; mirum profecto. Probasset vero, si veram distinctionem percepisset, quae haec est:

Dum sanguis inerat, dum vis;
materna peregi
Justa, *Cato, et geminos excepi feta maritos.*

Non *justa* absolute, sed *justa materna*, sunt concipere, parere, alere, matris officium implere.

342. — *Da tantum nomen inane Connubii:]* Placet *conjugii*, supra enim habuimus *connubii*.

344. — *Nec dubium longo quaeratur in aevo,]* Melius Cod. Trin. cum duobus Bersmanni, NE dubium.

350. — *Et tempora quanquam Sunt aliena toris,]* Illud ET, mutando distinctionem, jugulavit sententiam. Foedera, inquit, placent sola, sine pompa et caeremoniis: *quamquam* tempora sunt toris aliena. Immo *quia sunt*, non *quamquam sint*. Unius literulae mutatio tam turpi vitio medebitur. lege, et distingue:

Hae flexere virum voces, EA
tempora quamquam

Sunt aliena toris, jam fato in bella vocante:
Foedera sola tamen, vanaque carentia pompa
Jura placent, sacrisque deos admittere testes.
Festa coronato non pendent limine serta;
Infulaque in geminos discurrit candida postes,
Legitimaeque faces, gradibusque acclivis eburnis
Stat torus, et picto vestes discriminat auro:
Turritaque premens frontem matrona corona,
Tralata vetuit contingere limina planta.
Non timidum nuptae leviter tectura pudorem

351. Sint, b. c. d. 354. Versus in b. ab eadem manu serius additus est. 356. acclivis; c in membr. erasa man. sec. b. acclinis, d. 359. Translataque, b. vetat b. d. vitat, c. quod b. quoque pro varia scriptura habet.

SINT *aliena toris, jam Fato in bella vocante.*
Foedera sola tamen —
SINT codices plerique omnes cum Romana ac Veneta.

354. *Festa coronato non pendent limine serta; Infulaque]* Illud NON, quod Nostro familiare est, continuandum est per versus sequentes: adeo ut QUE perinde sit ac NEC vel AUT, notent haec tirones.

359. *Tralata vetuit contingere limina planta.]* Veteres quattuor, et plerique alii *vitat*. *Vetuit* in nullo est, nec praeteritum hic convenit. Illud *vitat* vir magnus in textum recipi velit, ut matrona, non pronuba, sed *nova nupta* intelligatur. Quis vero sponsam, quae jam nunc ducitur domum a sponso, *matronam* appellavit? Praeterea, si haec nova nupta est, cur iterum mox inculcat, *non timidum* NUPTAE? Nihil prius de nupta dictum esse, vel inde scias, quod a NON veluti novo principio ordiatur. Denique haec *matrona* turrito capite alteque exaedificato est; at mox nupta demisso vultu et flammeolo leviter velata. Quare haec pronuba esto, et vitet ipsa limen tangere, ut suo exemplo nuptae praecipiat.

360. *Non timidum nuptae leviter tectura pudorem Lutea demissos velarunt flammea vultus:]* Scriptum fuisse verisimile est *pvelant*; et cum litera *p* forte excidisset, ex *velant* ad metrum supplendum factum esse *velarunt*. Atqui praeterito non egemus, sed praesenti. Restituo,

Lutea demissos PRAEVELANT *flammea vultus.*

Fidem facit Claudianus, qui hunc ipsum locum ob oculos habuit: II. Proserp. 325. de nova nupta;

Et sparsos religant crines, et vultibus addunt
FLAMMEA *sollicitum* PRAEVELATURA PUDOREM.

et VI. Honor. 648.

Et sextas Getica praevelans *fronde secures.*

Lutea demissos velarunt flammea vultus:
Balteus haud fluxos gemmis adstrinxit amictus,
Colla monile decens; humerisque haerentia primis
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.
Sic, ut erat, moesti servans lugubria cultus,

362. aut, c. d. 365. Sicut b. c. d. cesti, *m* et punctum infra *c* a man. sec., in margine scriptum est: *sic ut erat mesti.* c. servat, d.

363. *Colla monile decens]* Aestuat hoc loco *Cel.* BURMANNUS et haerere se fatetur, de *monili* Marciae et *nudis sine supparo lacertis* sollicitus. Omnes vero aestus tam hoc loco, quam in sequentibus facile componi posse videantur, si (uti HEINSIUS *v.* 355. pro *infulaque* rescribi jubebat *infulave)* copulativam ubique in disjunctivam mutaverimus, hoc modo,

Festa coronato non pendent limine serta,
*Infula*VE *in geminos discurrit candida postes,*
*Legitimae*VE *faces, gradibus*VE *acclinis eburnis*
Stat torus etc.

et dein,

Balteus haud fluxos gemmis adstrinxit amictus,
*Colla monile decens, humeris*VE *haerentia primis*
Suppara nudatos cingunt AUGUSTA *lacertos.*

tum, nisi fallor, summi viri dubitatio de *monilium mutatione et supparis* evanescat, et *nudi* Marciae *planctuque lividi lacerti* recte se habeant. *In luctu* enim *monilia omnemque cultum decorum* (vid. *v.* 28.) *deponere*, et *moesto cultu* sive *lugubri mutare* solebant matronae Romanae. In luctu et squallore erat Marcia, *monilia* et AUGUSTA *suppara* (ita legerim libens pro *angusta*, quia a VARRONE apud NONIUM *Cap.* XIV. cum *aurea et gemmis fulgente corona* conjungitur SUPPARUM, adeoque *delicatioris vestimenti genus* fuisse videtur, quo honoratiores matronae uti solebant) deposuerat, et RICINIUM sumserat, ut patet ex eodem NONIO in voce *Ricinium*, ubi ex VARRONIS *Libro* I. *de Vita Pop. Rom.* haec verba citat: *Ex quo mulieres in adversis rebus ac luctibus, cum omnem vestitum delicatiorem et luxuriosum* FASTUM EX INSTITUTO *ponunt*, RICINIA *sumunt.* Ita lego, pro *postea institutum,* quod vulgo exstat. A funere veniebat Marcia, *sordida et lugubri veste,* RICINIO nempe, induta, *sine supparo*, *sine monilibus*, ut patet ex versu sequente,

Sicut erat, MOESTI *servans* LUGUBRIA CULTUS.

putidissimam vero antiquariae eruditionis ostentationem hic facile agnoscas in Lucano! JEV.

362. *Balteus haud fluxos gemmis adstrinxit amictus,]* Uno errato admisso, progeneratur alterum. Postquam *velarunt* in textum adscivissent, id scilicet restabat, ut *adstrinxit* eodem tempore efferretur. Atqui veterrimi tres, Colbertini duo, et Puteaneus ADSTRINGIT: omnes autem ubique AUT, non HAUD. Lege igitur,

Balteus AUT *fluxos gemmis* ADSTRINGIT *amictus.*

365. *Sic*, *ut erat*, *moesti ser-*

Quoque modo natos, hoc est amplexa maritum.
Obsita funerea celatur purpura lana.
Non soliti lusere Sales: nec more Sabino
Excepit tristis convicia fësta maritus.
Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui.

366. hec, c. 367. celatur; b et c. pro varia lectione praebent *velatur*, prior a man. rec. 369. tristis, *i* ex *e* correcta est. d.

vans lugubria cultus, Quoque modo natos, hoc est amplexa maritum.] Sequere modo filum orationis: *servans lugubria cultus sic amplexa est maritum, quoQUE modo natos;* et videbis QUE redundare; et dictum oportuisse *Quo modo natos.* Restituas vel sine libris,

Sicut erat, moesti SERVAT *lugubria cultus.*

Sed et sic habent quinque nostri, Colbertinus prior, Puteaneus, Cantab. Trin. Regius. BENTL.

Quos natos et quomodo hic amplexa fuisse dicatur Marcia, fateor mihi non liquere. Interpretes sicco pede transeunt. De natorum tamen amplexu nec Marciam cogitasse, nec Lucanum somniare potuisse crediderim. *Natas* erat in Voss. tert. Lege, si sapis, bone Lector,

Quoque modo MANES, *hoc est amplexa maritum.*

MANES sive *umbram* HORTENSII, a cujus busto et tumulo venit ad Catonem, sordida, lugubri veste induta, ingesta sepulcri cineres, nudis et lividis a planctu brachiis. Probat auctor verbis Catonis, eleganti in comparatione Romae, quam mortuam et exstinctam amplecti, et cum ea exspirare cupiebat *v.* 301.

non ante revellar,
EXANIMEM *quam te* COMPLECTAR, *Roma, tuumque*
Nomen, Libertas, et INANEM PROSEQUAR UMBRAM.

Hoc modo igitur, hoc eodem caritatis amore, quo umbram Hortensii prosecuta erat, amplectebatur Catonem, neque enim stimulos Veneris sentiens foedera prisci tori tentare cupiebat, sed connubio jungi ideo unice volebat, ut a Catone non tam repudiata, quam potius LIBERORUM QUAERENDORUM CAUSSA Hortensio tradita videretur, tumuloque suo inscribi posset MARCIA CATONIS. Res ultro patet, quare pluribus non adstruo. JEV.

367. *Obsita funerea celatur purpura lana.]* En versum spurium, dignumque, qui ab omnibus Musis furcillis ejiciatur. Pro *celatur* unus et alter *velatum.* Nec sensus ei, nec sermo constat. *Obsita erat squalore vestis, foedior corporis habitus,* dixit Livius, II, 23. At quis umquam dixit vestem *obsitam* alia veste, purpuram lana, vel *funeream lanam?* Unde *purpuram* in paupere et parca domo Catonis? Desierat auctor de novae nuptae ornamentis loqui: *Sic Marcia maritum amplexa est, quo modo natos: non lusere soliti sales.* Vides haec sic conjuncta connexaque esse, ut ne bonum quidem versum inserere possis, nedum omnium pessimum.

Junguntur taciti, contentique auspice Bruto.
Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore
Caesariem, duroque admisit gaudia vultu:
(Ut primum tolli feralia viderat arma,
Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, moestamque genis increscere barbam.
Uni quippe vacat studiisque odiisque carenti,
Humanum lugere genus) nec foedera prisci
Sunt tentata tori: justo quoque robur amori
Restitit. hi mores, haec duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum, finemque tenere,
Naturamque sequi, patriaeque impendere vitam;
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.

377. studiis, omisso *que*. b. c. 382. vitam, addito *vel curam*, b. quod legitur in c.

371. — *contentique auspice Bruto.]* Bentl. ad Horat. Carm. I, 7, 27. pluribus de usu v. *auspice* disputatis, laudat nostrum et alterum locum Senecae Troad. 862.

Quicunque hymen funestus, illaetabilis
Lamenta, caedes, sanguinem, gemitus habet,
Est auspice Helena dignus,

docens v. *auspice* in his proprie accipiendum esse, cum notissimum sit auspices more sollemni nuptiis adhiberi solitos. WEB.

372. *Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore Caesariem.]* *Horrificam* vero caesariem? crediderís certe, vel Gorgonis vel Eumenidum crines designari: at Lucanus omnino scripsit,

Ille nec HORRENTEM *sancto dimovit ab ore*
Caesariem.

Horrentem, neglectam, intonsam, impexam. Tibullus II, 3. [*v.* 23.] de Apolline Admeto serviente,

Saepe HORRERE *sacros doluit Latona* CAPILLOS,
Quos admirata est ipsa noverca prius.
Quisquis inornatumque caput crinesque solutos
Aspiceret, Phoebi quaereret ille comam.

Horatius Epod. V, 28.

Horret capillis *ut marinus asperis*
Echinus.

Seneca Herc. Furent. 468.

Fortem vocemus, cujus horrentes comae
Maduere nardo?

et Oedip. 230.

Incipit Cirrhae vates spargere horrentes comas.

et Troasin 884. de Polyxena:

Dedisce captam: deprime horrentes comas:
Crinemque docta patere distingui manu.

Huic epulae, vicisse famem: magnique penates,
Submovisse hyemem tecto: pretiosaque vestis,
Hirtam membra super Romani more Quiritis
Induxisse togam: Venerisque huic maximus usus,
Progenies: Urbi pater est, Urbique maritus:
Justitiae cultor, rigidi servator honesti:
In commune bonus: nullosque Catonis in actus
Subrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas.
  Interea trepido discedens agmine Magnus,
Moenia Dardanii tenuit Campana coloni.
Haec placuit belli sedes, hinc summa moventis

385. h*i*emem, c. d. ita semper. 387. h*i*c, b. 392. descendens, d. disced*ens*; *ns* ab alia man. additae sunt; membrana supra *e* erasa est. c. 394. movent*i*; b. d.

387. — *Venerisque huic maximus usus, Progenies;]* Credo ab auctore scriptum

Venerisque huic UNICUS *usus.*

Ne Cato in hac continentiae laude Zenobiae vel cuiquam concedat, ideo et supra, *non foedera prisci sunt tentata tori:* effoeta nempe uxore.

394. *Haec placuit belli sedes,]* *Belli sedes*, si suo loco, recte dicitur. ut Tacito Hist. I. 65. *Irent ultores, exscinderent* sedem *Gallici* belli: et III, 32. *Cremona* belli sedes. Cum autem de *eligenda* sede agitur, tum dativus casus adhibetur. Idem II, 19. *Laudare, quod coloniam validam* sedem bello *legisset;* et III, 8. *Quaesitum inde, quae* sedes bello *legeretur.* Repone ergo,

Haec placuit BELLO *sedes.*

Ibidem. *Hinc summa moventis Hostis in occursum sparsas extendere partes,]* Variant hic codices: Colbertini duo et Cod. Trin. MOVENTEM. Puteaneus et Harleianus cum aliquot aliis et Romana MOVENTI. Ceteri cum Veneta MOVENTIS. Omnes tamen SUMMA habent, communi errore. Quid enim est *summa movere?* Scripsit auctor:

Haec placuit BELLO *sedes: hinc* SIGNA MOVENTEM
Hostis in occursum sparsas extendere partes.

Ordo est, *placuit, hinc moventem signa extendere sparsas partes in occursum hostis. Placuit* bis sumitur, prius personaliter, postea impersonaliter. Vide nos ad Horat. Carm. I, 1, 1. *Movere signa*, passim et ubique. VIRES Puteaneus pro varia lectione, loco *τῦ partes.* BENTL.

Bentlejus, cui illud *summa moventis* displicebat, refingit,

Haec placuit bello sedes; hinc SIGNA MOVENTEM.

male tamen illud *signa moventem* tribui videtur Pompejo, quippe qui *sedem belli* eo loco figens non adeo bene *signa movere* dicatur. In vetustis duobus Vossii

Hostis in occursum sparsas extendere partes,
Umbrosis mediam qua collibus Appenninus
Erigit Italiam, nullo qua vertice tellus
Altius intumuit propiusque accessit Olympo.
Mons inter geminas medius se porrigit undas
Inferni Superique maris: collesque coercent

397. nulloque *a;* b. c. 400. coercet, *t* in membr. erasa correcta est. d.

MSS. *vires* invenit *Cl.* OUDENDORPIUS, qui tamen, quod miror, vulgatam tuetur. *Vires* vera manus auctoris. Forte scripsit Lucanus,

Haec placuit bello sedes: HIC ARMA MOVENTIS
Hostis in occursum sparsas extendere VIRES.

HIC *castra ponere, et sedem belli statuere;* HIC, sive *hoc loco,* in occursum Caesaris, bello eum persequentis, copias suas longe lateque spargere et extendere placuit, ut ita distineret hostem. *Vires* de *copiis militaribus* passim. Sic *Lib.* IV. *v.* 665.

Sollicitatque feros non aequis VIRIBUS *hostes.* JEV.

397. — *Nullo qua vertice tellus Altius intumuit propiusque accessit Olympo.]* Vetusti nostri, NULLOQUE A *vertice:* et ita Servius ad Aeneid. XII, 703. ut etiam PROPIORQUE. Codex Bersmanni, PROPIUSVE. Lego,

— *nullo*QUE A *vertice tellus*
*Altius intumuit, propius*VE *accessit Olympo.*

BENTL.

Nulloque a vertice] Ita plurimi Codd. in aliis est, *nulla qui, nulla quo.* SERVIUS quoque *ad Lib.* XII. *Aen. v.* 703. *Nulloque a vertice* legit. Sed vel sic idoneum sensum non habebit. Quid multis opus ambagibus? Scribendum est, ut auctor dedisse clamat,

nulloque EA *vertice* TELLUS
*Altius intumuit, propius*VE *accessit Olympo.*

Ea tellus, Italia nempe, cujus hic descriptionem aggreditur poeta. *Nullo monte Italia aeque intumuit ac Appennino;* nullus enim altior in Italia mons reperiri possit Appennino, vel qui propius accedat ad altitudinem Olympi, quippe qui, ut infra LUCANUS ait *v.* 429.

Longior educto qua surgit in aera dorso,
Gallica rura VIDENS *devexas* DESPICIT *Alpes,*

ut forte ibi legendum. Variant enim Codices, *aspicit, excipit, accipit* exhibentes. *Vide not.* OUDENDORPII. JEV.

399. *Mons inter geminas medius se porrigit undas]* Cur iterum *medius,* cum tertio ante versu dixisset, *mediam* Italiam erigit? Rescribo,

Mons inter geminas LONGUM *se porrigit undas.*

ut Aeneid. X, 892.

Tollit se arrectum quadrupes.

et XI, 742.

Concitat, et Venulo adversum se turbidus infert.

400. — *Collesque coercent Hinc Tyrrhena vado]* Non placent isti *colles;* versu ante quarto jam habuimus, *mediam qua collibus*

Hinc Tyrrhena vado frangentes aequora Pisae,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.
Fontibus hic vastis immensos concipit amnes,
Fluminaque in gemini spargit divortia ponti.

402. Arcon, supra scripto *vel Anc.* b.

Appenninus Erigit Italiam. Crediderim sic ab auctore profectum,

— COSTASQUE *coercent.*

Claudianus VI. Honor. 286. de Apennino,

— *hunc esse ferebat*
Incola, qui Siculum *porrectus ad usque* Pelorum
Finibus ab Ligurum populos complectitur omnes
Italiae, geminumque latus *stringentia longe*
Utraque perpetuo discriminat aequora tractu.

ubi clara vides imitationis vestigia. Noster 438. *Siculo cessere Peloro,* et 431. *Amplexus rupibus omnes Indigenas*, Latii populos. et hic *costas*, quod illic *latus.* Persius I, 96.

Sic costam *longo subduximus Apennino.*

402. *Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.]* *Fluctus* de mari dici solent et debent, non de continente, ut Dalmatia. Lege,

Illinc Dalmaticis obnoxia FLATIBUS *Ancon.*

ut V, 379.

— *Ausoniam qua torquens frugifer oram,*
Dalmatico Boreae *Calabroque* obnoxius *Austro,*
Appulus Adriacas exit Garganus *in undas.*

Ancona et Garganus in eodem Ausoniae litore sita sunt, exadversum Dalmatiae.

403. *Fontibus hic vastis] Montibus* vel *Pontibus* Codd. et nonnullae Editiones. Variant item scripti in *hic* et *hinc.* Alterutram elegeris, parum differt. Cave tantum, ne, si HIC legas, relativum putes, et cum OUDENDORPIO et BURMANNO de Appennino capias. Est enim adverbium loci. De Italia agit poeta. Caeterum illi *immensi amnes vastis fontibus* mihi valde ἀπροσδιόνυσοι videntur; non enim hic adeo de magnitudine quam multitudine fluviorum Italiam irrigantium, quos hic recenset, agit poeta. Nec mihi placet illud ineptum *concipit*, quod credo suppositum ab iis, qui de Appennino loqui poetam credebant. Putem dedisse nobis Lucanum,

Fontibus HIC VARIIS *immensos* ACCIPIT *amnes,*
Flumina QUI *in gemini* SPARGUNT *divortia ponti.*

Hoc loco, inquit poeta, *Italia magnos fluvios accipit variis fontibus, qui aquas suas in* SUPERUM *et* INFERUM *mare exonerant. Variis fontibus*, non *vastis*: nam, ut inquit NASO *de Remed. Am. v.* 97.

Flumina pauca vides MAGNIS DE FONTIBUS *orta:*
Plurima collectis multiplicantur aquis.

ubi *vid. Burmann.* dein *qui spargunt*, scilicet *amnes*, qui per diversa loca suos cursus agunt, et

In mare deducunt fessas erroribus undas. [Ovid. Met. I, 582.]

amnes SUA FLUMINA SPARGUNT *in divortia ponti gemini,* sive *suas aquas exonerant* HAC, ILLAC, *in*

In laevum cecidere latus, veloxque Metaurus,
Crustumiumque rapax, et junctus Isapis Isauro,
Semnaque, et Adriacas qui verberat Aufidus undas:
Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem,

405. Metaurus; *e* ex *a* rec. manus correxit. b. 406. Crust*in*umque, c. *S*apis, b. Apis d. 407. *Scena*que, b. d. Adria*d*as, d. Am*ph*idus, c.

geminum mare. Eleganter OVIDIUS de Nilo *Lib.* I. *Metam. v.* 423.

Sic, ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus, et antiquo SUA FLUMINA *reddidit alveo.*

Lucan. Lib. III. *v.* 263.

At TIGRIS, *subito* UT *tellus* ABSORPSIT *hiatu,*
OCCULTO PERGIT CURSU, *rursusque renatum*
Fonte novo FLUMEN *pelagi* NON ABNEGAT *undis.*

ita enim illum locum legendum esse, ibidem ostendemus. Judicent Eruditi. JEV.

408. *Quoque magis nullum tellus se solvit]* Corruptus locus. *Tellus solvit se in amnem* est locutio sine exemplo, non minus insolens, quam *ventus se turbine in auras solvere* dicitur *Lib.* IX. *v.* 451. de qua ibidem loci viderimus. Nunc praesentem tempestatem sedabimus. *Volvit* Codices nonnulli; MSS. quoque variant sequenti versu *dissolvat, evolvit, devolvit; raptas* item et *fractas* exhibentes. Legendum conjicio,

Quoque magis NULLO *tellus* HAEC SOLVITUR AMNE,
Eridanus, RAPTAS *qui volvit in aequora silvas,*
Hesperiamque exhaurit aquis.

hoc sensu: *Labitur ibi et Eridanus, quo nullus amnis vehementior est, et quo magis rumpitur et dissolvitur Italia.* Sic *Lib.* IX. *v.* 421.

Sed et haec non fontibus ullis
SOLVITUR.

Sic *aequor solvit terras,* cum irrumpit. Infra *v.* 436.

donec confinia montis
SOLVERET *incumbens, terrasque revelleret aequor.*

uti eleganter hunc locum restituit BENTLEIUS. SENECA *Herc. Fur. v.* 238.

Utrimque MONTES SOLVIT, *et rupto objice*
LATAM IRRUENTI *fecit Oceano viam.*

ita ibi legendum. *Exhaurit Italiam aquis* Eridanus, aquarum eluvionibus damnum inferens, et stabula cum armentis rapiens; *raptas silvas volvit*, id est, *secum rapit et in mare volvit.* Firmat VIRGIL. *Lib.* I. *Georg. v.* 481.

Proluit INSANO CONTORQUENS VERTICE SILVAS
Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit.

Ceterum Burmannus erroris frustra insimulat Lucanum, quasi illi statuat, *Eridanum ex Appennino oriri.* Non enim dicit hoc Lucanus; sed recenset tantum fluvios Italiae, inter quos Eridanum jure recenset. Error viri summi hinc natus, quod *v.* 403. cum OUDENDORPIO *τὸ hic* pro relativo sumserit, et cum Appennino conjungendum putaverit, ut ante ad illum locum monui. JEV.

Eridanus, fractasque evolvit in aequora silvas,
Hesperiamque exhaurit aquis. hunc fabula primum
Populea fluvium ripas umbrasse corona:
Cumque diem pronum transverso limite ducens,
Succendit Phaethon flagrantibus aethera loris,
Gurgitibus raptis penitus tellure perusta,
Hunc habuisse pares Phoebeis ignibus undas.
Non minor hic Nilo, si non per plana jacentis

409. fractas *de*volvit b. d. *dis*solvit, c.

409. — *Fractosque evolvit in aequora silvas,*] Lege:

Quoque magis nullum tellus
se solvit in amnem,
Eridanus fractas DEVOLVIT *in*
aequora silvas.

Sic libri, quod sciam omnes; in vulgata lectione QUE redundat.

410. — *Hunc fabula primum Populea fluvium ripas umbrasse corona:*] *Fabula est, hunc primum fluvium*, etc. Sed nonne otiose et supervacue *fluvium*, cum jam antea *amnem* eum vocasset? Nescio an auctor sic scripserit:

— *hunc fabula primum*
Populea NARRAT *ripas um-*
brasse corona.

Fabula, id est historia mystica: et in eo sensu passim reperies, *fabula dicit*, *tradit*, *narrat*.

416. *Non minor hic Nilo,*] Julius Scaliger in Hypercritico [vi, c. 6. p. 779.] *Quid est hoc*, inquit, *non minor Nilo, nisi Nilus major esset? Insanit vero in alia collatione, Non minor hic Istro. Quis enim non videt, longe pauciores amnes in Istrum ferri, quam in Padum?* Quid agimus? utinam hos quinque versiculos amoliri hinc aliquo modo possemus, ut hanc Scaligeri censuram liceret evadere. verum omnes quinque laudat Servius ad Georg. I, 482, ut impudentis fuerit, tamquam nothos criminari. videamus ergo, an defendi vel saltem excusari queant. Ac primum, de *Nilo*, aperte calumniatur Scaliger: sententia enim est, *non minor Nilo*, si alveum utriusque spectes: quod autem latius stagnet Nilus, id per accidens fit, quia Aegyptus planior est, quam regio Circumpadana. De Istro autem, vide ne Scaliger ipse prae accusandi libidine *insanire* videatur. *Pauciores*, inquit, *in Istrum amnes.* Audiamus jam Plinium, III, 20. *Padus, omni numero* TRIGINTA *flumina in mare Adriaticum defert*, et IV, 24. *Danubius per innumeras lapsus gentes, et unde primum Illyricum alluit, Ister appellatus*, SEXAGINTA *amnibus receptis, medio ferme eorum numero navigabili, in Pontum evolvitur.* Ecce tibi amnes in Istrum duplo plures, quam in Padum. sed in primis notanda illa verba sunt, *casuros in quaelibet aequora fontes Accipit:* hoc est, alios fontes ab Istri fontibus remotissimos, qui quovis potius fluxuri videantur, quam in Istrum, adeo ut paene ad angulos rectos in eum indicant. Hic ergo loci sensus est: *non minor Istro*, si nativas Istri aquas spectaveris: nec alias illi adnumeres, quas

Aegypti Libycas Nilus stagnaret arenas.
Non minor hic Istro, nisi quod, dum permeat orbem
Ister, casuros in quaelibet aequora fontes
Accipit; et Scythicas exit non solus in undas.
Dexteriora petens montis declivia Tybrim
Unda facit, Rutubamque cavum. delabitur inde
Vulturnusque celer, nocturnaeque editor aurae
Sarnus, et umbrosae Liris per regna Maricae

417. Aegipti, ita semper. d. 418. Nec; b. *h*istro, ut fere semper. c.

aliunde in eum deferuntur e regionibus diversissimis; non ut in Padum, qui quicquid aquarum accipit, suis montibus Apennino et Alpibus debet.

422. *Tybrim Unda facit]* Nemini interpretum hic locus mendae suspectus visus. Corruptus nihilo minus apparet. Quid enim est illud, *unda facit Tybrim?* Praeterea videre nequeo, *qualis illa sit unda*, quae *dexteriora montis declivia petens* fluvium facere possit, nedum Tybrim. De Italia agit poeta, non de Appennino. Corrigendum puto,

Dexteriora petens montis declivia Tybrim
INDE CAPIT, *Rutubamque cavum: delabitur* INDE
Vulturnusque celer etc.

ab hac parte Tybrim accipit et Rutubam; *ab illa* Vulturnus et Liris fluunt. Solet enim Lucanus voces easdem hoc modo, diversa significatione, in simplici oppositione geminare, ut eleganter ostendit OUDENDORPIUS ad *Lib.* VII. *v.* 503.

frigidus INDE
Stat gladius, calet INDE *nocens a sanguine ferrum.*

Inde et *unda* initio versuum facile permutari possunt. Ita, nisi fallor, locus planus fuerit atque integer. JEV.

424. — *Et umbrosae Liris per regna Maricae Vestinis impulsus aquis.]* Lege VESCINIS, ut Cluverius aliique viderunt. *Vescia* urbs apud Livium VIII, 11. et IX, 25. Stephano *Βεσκία*. Vescini populi x, 20. Campaniae, ubi Liris, proximi. Ibidem 21, *Placuit, ut duae coloniae circa Vescinum et Falernum agrum deducerentur, una ad ostium* LIRIS *fluvii, quae Minturnae appellata, altera in saltu Vescino, Falernum contingente agrum, Sinuessa appellata.* At *Vestini* longe hinc siti erant, ultra Apenninum versus Hadriam. Porro cum *regna Maricae* dicit, Nympham intelligi, necesse est: de qua Virgilius [Aen. VII, 47. ubi cf. Heyn.] et Horatius [Carm. III, 17, 7.]. Unde ergo *umbrosae?* etsi praeter libros nostros scholiastes Horatii sic laudet. Certe si *regna* legas, Maricam Nympham intelligas; si *umbrosae*, non nympham, sed *lucum, nemus*. Martialis XIII, 83.

Liris, quem silva Maricae
Protegit.

Claudian. [Cons. Prob. et Olyb. 259.]

Flavaeque tenens querceta Maricae.

Vestinis impulsus aquis, radensque Salerni
Culta Siler, nullasque vado qui Macra moratus
Alnos, vicinae procurrit in aequora Lunae.
Longior educto qua surgit in aera dorso,
Gallica rura videt, devexasque excipit Alpes.
Tunc Umbris Marsisque ferax, domitusque Sabello
Vomere, piniferis amplexus rupibus omnes
Indigenas Latii populos, non deserit ante
Hesperiam, quam cum Scyllaeis clauditur undis,
Extenditque suas in templa Lacinia rupes,
Longior Italia, donec confinia pontus

426. Culta, in margine *tecta*. c., quod legitur in d. qui praeterea moratur habet. 428. Longior, supra scripto *vel us*, b. aer*a*; *a* ex *e* manus eadem correxit. c. 429. *aspic*it, b. c. sed in b. supra scritum legitur *vel excipit* a man. rec. 431. omn*is*, b. 432. lat*e*, b. d. 434. Extenditque, supra scripto *vel attollit*, man. rec. b.

Livius XXVII, [c. 37.] *Lucum Maricae de coelo tactum. Regna* igitur, et *umbrosae* consistere simul nequeunt. Dedit, opinor, auctor,

— *et umbrosae Liris per* STAGNA *Maricae*
VESCINIS *impulsus aquis.*

428. *Longior educto qua surgit in aera dorso,]* Non placet LONGIOR, quia septimo abhinc versu iterum venit, *longior Italia*. Deinde nullo sensu hic *longior:* cum non de toto monte loquatur, sed de extremitate ejus, qua Alpes fere contingit. auctorem scripsisse credo,

CELSIOR *educto qua surgit in aera dorso.*

433. — *Quam cum Scyllaeis clauditur antris,]* Omnes nostri cum Romana et Veneta UNDIS; *antris*, perperam, quomodo enim claudunt Apenninum, quae pars Apennini sunt? et nisi ab intrantibus conspici non possunt? reducatur igitur vetus lectio. sic et VI, 421.

Qui mox Scyllaeis *exul grassatus in* undis.

435. *Longior Italia, donec confinia pontus Solveret incumbens, terrasque repelleret aequor.]* Apage tam ineptam repetitionem; donec *pontus* solveret, et *aequor* repelleret: quasi non idem sint *aequor* et *pontus*. Lege,

— *donec confinia* MONTIS
Solveret incumbens, terrasque
REVELLERET *aequor.*

Ordo est, *donec aequor incumbens solveret confinia montis, et revelleret terras. Revelleret, abscinderet, abrumperet, dissociaret.* Plin. Hist. v, 40. *Impetum deinde sumit Hellespontus, et mare* INCUMBIT, *vorticibus limitem fodiens, donec Asiam* ABRUMPAT *Europae.* Ceterum, quia

Solveret incumbens, terrasque repelleret aequor.
At postquam gemino tellus elisa profundo est,
Extremi colles Siculo cessere Peloro.
Caesar in arma furens, nullas, nisi sanguine fuso,
Gaudet habere vias, quod non terat hoste vacantes
Hesperiae fines, vacuosque irrumpat in agros,
Atque ipsum non perdat iter, consertaque bellis
Bella gerat. non tam portas intrare patentes
Quam fregisse juvat: nec tam patiente colono
Arva premi, quam si ferro populetur, et igni.
Concessa pudet ire via, civemque videri.
Tunc urbes Latii dubiae, varioque favore
Ancipites, quanquam primo terrore ruentis
Cessurae belli, denso tamen aggere firmant
Moenia, et abrupto circumdant undique vallo:
Saxorumque orbes, et quae super eminus hostem
Tela petant, altis murorum turribus aptant.

436. *im*pelleret, c. 437. e*x*cisa, c. 442. cons*o*rtaque, in margine ab alia manu *conserta*, c. 445. populentur, c. 449. Cessurae, supra scripto *vel Ca*. b.

bella occasio est, et de *confiniis* agitur; quid si Virgilii locum tentemus, jam diu conclamatum. Georg. IV, 290.

Quaque pharetratae vicinia Persidis urget,
Et viridem Aegyptum nigra fecundat arena,
Et diversa ruens septem discurrit in ora
Usque coloratis amnis devexus ab Indis.

ubi ordo sit necesse est, *amnis urget vicinia Persidis*: atqui *vicinium* nusquam invenitur. Reponerem libenter,

Quaque pharetratae CONFINIA *Persidis urget.*

Plin. Hist. II, 110. *Flagrat in Medis et Sittacene*, confinio *Persidis*. et V, 12. *Arabia sterilis, praeterquam ubi Syriae* confinia *attingit*. Tacitus Hist. IV, 72. *Stare in* confinio *Germaniae integram sedem.*

441. — *Vacuosque irrumpat in agros,*] *Vacuosque* Lucano est, *nec vacuos*, ut *consertaque*, *sed conserta*.

442. — *Non perdat iter,*] Hinc Silius de Hannibale IV, 755. sed non tam argute,

— *non frontis parcit honori,*
Dum ne perdat iter.

Silio *perdat* est *omittat*; Nostro, *pacatum habeat*, nullo hoste occurrente.

Pronior in Magnum populus, pugnatque minaci
Cum terrore fides: ut cum mare possidet Auster
Flatibus horrisonis, hunc aequora tota sequuntur:

454. Inter vv. fides cum, membrana erasa est, in margine legitur *ut.* c.

455. *Hunc aequora tota sequuntur]* Torsit hic se admodum *Cel.* BURMANNUS, qui hanc comparationem longe quaesitam, nimis argutam et declamatoriam arguit. Poetae vero culpa haec non est, sed librariorum, quod sublatis mendis facile patebit. Locus misere depravatus est. Primum *aequora tota* hic in censum venire nequeunt. *Austro* enim *horrisonis flatibus mare possidente*, quis, quaeso, dubitet, an *totum aequor* pareat vento? dein *Eurus*, Austro contrarius, *nubifer* vocari non potest, et cur polus *ipsi cessisse* dicatur, plane ignoro. Tandem, quomodocumque tentaveris, *terror* ille, *mentes vertere facilis,* ex proposita comparatione aptam explicationem recipere nequit. Vides, erudite Lector, caussas, quae me moveant, ut corruptum locum pronuntiem. Nunc accipe emendationem. Credo, nobis reliquisse poetam, hoc modo,

Pronior in Magnum populus: pugnatque minaci
Cum terrore fides. Ut, quum mare possidet Auster
Flatibus horrisonis, hunc aequora MOTA *sequuntur.*
SED *rursum tellus, pulsu laxata tridentis*
Aeolii, tumidis SI *immittat fluctibus Eurum,*
Quamvis icta novo, ventum tenuere priorem
Aequora, NUBIFUGOQUE *polus cum* SAEVIAT *Euro,*
Vindicat unda Notum. VALIDUS SIC *vertere mentes*
Terror erat, dubiamque fidem Fortuna ferebat.

Totum locum adscripsi, ut sic emendationis et explicationis ratio sibi melius constaret. *Mota aequora* lego ob rationes allatas. Sic *Lib.* v. *v.* 606.

MOTAQUE *poscunt*
Aequora subductis etiam concurrere ventis.

Sed rursum, pro *Si rursus*, ne cum vicino *tellus* ingratum fundat sonum. *St* et *Si* facile confunduntur; adversativa conjunctio hic necessario requiri videtur. *Tumidis* SI *immittat* rescripsi, particula SI loco suo, unde exciderat, restituta. Scriptum fuit *tmdiSImmtt*. Majusculae literae geminationem elementorum indicant. Neglectum hoc scribendi compendium *τὸ sed* loco movit. Mox, *nubifugoque polus cum saeviat Euro*, audacter refinxi, cui emendationi ansam dedit lectio Rottendorffiani Codicis *conceverit*. Eleganter *polus saevire* et *furere ventis* dicitur. Sic *polus imbribus furere* dicitur BOETHIO *Lib.* I. *Metr.* III.

Ut, cum praecipiti glomerantur nubila Coro,
Nimbosisque polus FURIT *imbribus,*
Sol latet.

[*Cel.* SCHRADERUS *Lib.* I. *Observ. Cap.* III. *pag.* 33. optime in versu priore Boethii *nubila* emendavit pro *sidera*, quod monere neglexeram. Mox vero pro vulgato,

Nimbosisque polus stetit imbribus

rescripsi *furit*, facili librariorum lapsu *frt* in *stt* mutantium. Quo-

Si rursus tellus pulsu laxata tridentis
Aeolii, tumidis immittat fluctibus Eurum,
Quamvis icta novo, ventum tenuere priorem
Aequora, nubiferoque polus cum cesserit Euro,
Vindicat unda Notum. Facilis sed vertere mentes
Terror erat, dubiamque fidem fortuna ferebat.
Gens Hetrusca fuga trepidi nutata Libonis,

458. no*tho*; in margine legitur *novo i. Euro*. c. 459. *con*cesserit; sed in margine ab alia manu scriptum est *cum*, c. *cum* cess. legitur in b; sed est a man. rec. in membr. erasa. 460. No*th*um, ita semper, d. 461. *g*erebat, c. 462. nuda*ta, ta* posterius additae sunt. c.

modo enim *polus stare imbribus* dici possit, non video. Probat hanc emendationem VIRGILIUS *Lib.* v. *Aen. v.* 693.

Vix haec ediderat, cum EFFUSIS IMBRIBUS *atra*
TEMPESTAS *sine more* FURIT.

Ex Addend.] Ita *saevire unguibus* dicitur *peulla*, CLAUDIAN. *Fescenn. v.* 104. NUBIFUGUS *Eurus* hic recte dicitur *Austro imbrifero* oppositus. COLUMELLA *Lib.* x. *v.* 288.

Nec tam NUBIFUGO *Borea Latonia Phoebe*
Purpureo radiat vultu.

VALIDUS SIC *vertere mentes* tandem reposui, pro *facilis sed*, summo, nisi fallor, jure bonoque judicio. Supra enim dixerat, *fidem pugnasse cum minaci terrore.* MINAX ille TERROR adventantis Caesaris erat VALIDUS *vertere mentes.* SIC erat in Rottend. tertio, ut jam sibi optime constet poetae comparatio. QUEMADMODUM, inquit, *cum horridis flatibus Auster commotum possidet aequor, fluctus Austro parent: si tum Eurus Austro contrarius insurgat, aequora, licet novo vento quatiantur, nihilominus impetum venti prioris sequuntur, et, cum coelum* SAEVIAT AQUILONIBUS, *mare tamen Austrum sibi vindicat; ita quoque terror, ipsis adventu Caesaris incussus, licet* PUBLICUS FAVOR *eos* INSPIRARET, *ut Pompeji partes sequi velle viderentur, tam validus erat, ut fides eorum vacillaret, et conversa mente Caesari se dederent. ferre fidem* recte cepit *Cel.* BURMANNUS. Si quis tamen *cesserit Euro* tueri velit, (quamvis praesens tempus menti auctoris magis convenire, atque adeo emendationi nostrae favere videatur) ei non multum repugnaverim: ita enim *urbes Latii dubiae* supra *v.* 448. *primo* TERRORE BELLI CESSURAE dicuntur. Stulta enim ambitio fuerit, vel in certissima emendatione, dissentientibus a se velle irasci! Cordati Critici non suam gloriam, sed publicam utilitatem quaerere solent! JEV.

456. *Si rursus tellus pulsu laxata tridentis]* *Rursus tellus*, quam absonum hoc! sed recte codex Pulmanni,

Si rursus pulsu tellus —

459. — *Cum cesserit]* Quattuor nostri veterrimi et Veneta *Cum cesserit.*

Jusque sui pulso jam perdidit Umbria Thermo.
Nec gerit auspiciis civilia bella paternis
Caesaris audito conversus nomine Sylla.
Varus, ut admotae pulsarunt Auximon alae,
Per diversa ruens neglecto moenia tergo,
Qua silvae, qua saxa, fugit. depellitur arce
Lentulus Esculea. victor cedentibus instat,
Divertitque acies: solusque ex agmine tanto

463. su*um* c. 466. A*x*imon, b. c., sed in b. supra scriptum legitur *vel n.* 468. silv*e*, *e* in membr. erasa. c. 470. D*e*vertitque, b. c. d.

467. *Neglecto tergo]* Illud *neglecto tergo* mihi hic valde suspectum. Si ab auctoris manu hoc sit, notare debuerit, VARUM *suae fugae non bene nec satis provide consuluisse*, et vel sic auctoritatem hujus locutionis desideraverim. Scribit CAESAR *Lib.* I. *de B. civ. Cap.* XIII. *Decuriones Auximi, cognito adventu Caesaris*, VARO *denuntiasse, se non posse pati, Caesarem bene de Republica meritum oppido moenibusque prohiberi etc. eaque denuntiatione permotum ducem oppido praesidium eduxisse, atque profugisse.* Consentiat plane cum Caesare Lucanus, si hoc modo refingamus,

Varus, ut admotae pulsarunt Auximon alae,
Per diversa ruens neglecto moenia BELLO,
Qua silvae, qua saxa, fugit.

neglecto bello, id est, *omissa oppidi defensione contra Caesarem.* Statim enim, ut equites Caesaris adventare audivit, profugit. Pari fere modo JUSTINUS *Lib.* I. *Cap.* VIII. *Cum ventum ad Cyri castra esset, ignarus rei militaris adolescens, veluti ad epulas, non ad proelium venisset*, OMISSIS HOSTIBUS, *barbaros vino se onerare patitur.* JEV.

468. — *Depellitur arce Lentulus Esculea.]* Harleianus *Aesculea*, lege cum editione Romana, ASCULEA. Nomen urbi est *Asculum.* Caesar Bel. civ. I, 15. *Cum his* Asculum *Picenum proficiscitur: id oppidum* Lentulus *Spinther decem cohortibus tenebat, qui Caesaris adventu cognito profugit ex oppido, cohortesque secum abducere conatus, a magna parte militum deseritur.* Vides, eandem rem, eodem modo narratam.

470. *Divertitque acies:]* A duce ad se avocat. GROTIUS. Atqui hoc non est *divertere*, sed *avertere*, atque ita Colbertinus secundus AVERTITQUE *acies.* recte. Tacitus Hist. IV, 13. *Avertere accita Vitellio auxilia, et retentare legiones jubebatur.* BENTL.

Locus hic obscurior merito visus BURMANNO, qui se diu torquet et tandem conjicit,

nullas DUCENS AD *signa cohortes.*

recte, si quid video. Patet hoc ex Scholiaste, qui dicit, *Lentulum solum* FUGISSE *cum signis militaribus, eaque signa Domitio retulisse ad Corfinium civitatem.* Sed, ut dicam quae sen-

Dux fugit, et nullas ducentia signa cohortes.
Tu quoque nudatam commissae deseris arcem
Scipio Luceriae: quanquam fortissima pubes
His sedeat castris, jampridem Caesaris armis
Parthorum subducta metu: quae Gallica damna
Supplevit Magnus, dumque ipse ad bella vocaret,
Donavit socero Romani sanguinis usum.

473. *N*uceriae. b. qua*m*quam, ita semper. d. fi*rm*issima. b. c. d. 475. s*e*ducta, b. c. d. qu*a*, b. d. q^{a}, c; post *q* membrana erasa est, sed in margine legitur *qua* supra scripto *pube*. 476. v*a*caret, b. d. supra scripto *vel vo.* man. sec. in b. voca*v*it, c.

do, alia menda latet. Codices hic variant *devertit* et *avertit* exhibentes. Nam *devertit* hic non potest significare illud, quod viri docti volunt, scilicet, quod *a fuga deflexerit, et ad se revocaverit*. Legendum, ut vere scripsisse Lucanum arbitror,

victor cedentibus instat,
PRAEVERTITQUE *acies; solusque ex agmine tanto*
Dux fugit HEU! *nullas* DUCENS AD *signa cohortes.*

PRAEVERTIT, id est, *fugientes hostes occupat. Cedentes enim tandem persecutus Caesar praevertit et occupavit, ut elabi non possent, quo factum, ut, deserto duce, ad Caesarem transirent. Vid.* CAESAR. *de B. civ. Lib.* I. *Cap.* XV. Idem mendum poetae haesit *Lib.* IV. *v.* 163.

Ite sine ullo
Ordine, ait, raptumque fuga PRAEVERTITE *bellum,*

id est, *occupate hostes fuga elapsos.* Vulgo ibi *convertite* perperam circumfertur. *Bellum* ita pro *hostibus* capiendum infra *v.* 712.

tractoque in litora MILO,
Hic primum rubuit civili sanguine Nereus.

heu! nullas pro *et nullas*, lego: particula enim (haec σχετλιαστική) aptissima est menti poetae, qui hic infelicem Ducem miseratur, *cum signis* fugientem, quae milites sequi nolebant. JEV.

472. *Tu quoque nudatam commissae]* Recentior unus ex nostris, et Pulmanni aliquot, cum editione Romana, meliorem ordinem dant:

Tu quoque commissae nudatam *deseris arcem,*
Scipio, Luceriae.

473. — *Quanquam fortissima pubes]* Veteres quatuor, et ceteri plerique cum Veneta, *firmissima*. recte. Caesar Bell. civ. III, 88. *Has* (cohortes) *firmissimas se habere Pompejus existimabat.*

474. — *Jampridem Caesaris armis Parthorum subducta metu:]* Nostri omnes SEDUCTA. utrumvis satis commode. in re pari pluribus codicibus auscultandum est.

476. — *Dumque ipse ad bella vocaret,]* Sic I, 387. *Quaecumque ad bella vocaret.* sed longe

At te Corfini validis circumdata muris
Tecta tenent, pugnax Domiti: tua classica servat
Oppositus quondam polluto tiro Miloni.
Ut procul immensam campo consurgere nubem,
Ardentesque acies percussis sole corusco
Conspexit telis, Socii decurrite, dixit,
Fluminis ad ripas, undaeque immergite pontem:
Et tu montanis totus nunc fontibus exi
Atque omnes trahe gurges aquas, ut spumeus alnos
Discussa compage feras. hoc limite bellum
Haereat, hac hostis lentus terat otia ripa.
Praecipitem cohibete ducem: victoria nobis
Hic primum stans Caesar erit. nec plura locutus
Devolvit rapidum nequicquam moenibus agmen.
Nam prior e campis, ut conspicit amne soluto
Rumpi Caesar iter, calida prolatus ab ira,

479. domi*c*i pugn. c. 480. Opposit*u*^{s}; *s* in membr. erasa a man. sec. ex - correcta est. c. 481. camp*is*, c. in margine legitur a man. alia: *Namque prior.* c. 486. omn*is*, b. 490. er*it*; *i* in membr. erasa, antea *a*. c.

elegantius, quod in Colbertinis duobus comparet, et pro varia lectione in Trin. et Arund.

— *dumque ipse ad bella* VACARET.

Dum Pompejus, a civilibus muneribus liber, bello Parthico vacaret. Illud *vocaret* hoc habet incommodi, quod falso significet, eas legiones, dum apud Caesarem erant, non in *bellis*, sed in pace et otio versatas.

481. — *Campo consurgere nubem,*] Colbert. prior, Arund. et duo Bersmanni *Campis*. Recte. sic et infra 492. 495. numero plurali.

493. — *Calida prolatus ab ira.*] Quid est prolatus ab ira? vel quis sic umquam locutus est? illud quoque observabis, deesse in oratione sequente *ait*, vel *inquit*. aut valde fallor, aut dedit auctor:

Rumpi Caesar iter, calida PROCLAMAT *ab ira.*

Silius IX, 110.

EXCLAMAT *juvenis subita flammatus* AB IRA.

et XI, 98.

Fluminea torvum EXCLAMAT *Marcellus* AB IRA.

et VI, 699.

Arridens Poenus lenta PROCLAMAT AB IRA.

Non satis est muris latebras quaesisse pavori?
Obstruitis campos, fluviis arcere paratis,
Ignavi? non si tumido me gurgite Ganges
Summoveat, stabit jam flumine Caesar in ullo,
Post Rubiconis aquas. equitum properate catervae:
Ite simul pedites: ruiturum adscendite pontem.
Haec ubi dicta, levis totas accepit habenas

495. fluviis*que*, b. d. a*r*cere, c. 500. *excepit*; *ex* a man. sec. b.

497. — *Non — stabit jam flumine Caesar in ullo, Post Rubiconis aquas.*] Hinc Silius de Hannibale IV, 746.

Ire jubet, prior extingui labique videtur
Gloria, post Alpes si stetur montibus ullis.

Sed apud Nostrum STABO repone pro *stabit:* praecedit enim, *si* ME *Ganges* summoveat. BENTL.

Aestuant hic viri docti in sensu horum verborum explicando; nec mirum! Menda subest. Quis enim haec, quaeso, concoquat? *Si* ME *Ganges submoveat*, *Caesar non* STABIT *in* ILLO *flumine.* Vides, erudite lector, *ἀνακόλουθον? stabit jam flumine Caesar in* ILLO, pro *in ullo,* est in nonnullis codicibus, quod placet Cel. BURMANNO. OUDENDORPIUS ex suo et Bersmanni codice profert,

non, si tumido me gurgite Ganges
Submoveat, stabit jam GURGITE *Caesar in* ILLO.

quod ipsi multo efficacius et elegantius videtur. Me quod attinet, crediderim, unius vocis mutatione poetam restitui posse, si legamus,

non, si tumido VEL *gurgite Ganges*
Submoveat, stabit jam flumine Caesar in ULLO
Post Rubiconis aquas.

hoc sensu, *jam, postquam Rubiconem semel transgressus est Caesar, in nullo flumine stabit, licet* VEL *tumidus Ganges ei oppositus fuerit.* Neque hic magniloquentia Lucani culpanda venit; nam solitam CAESARI fiduciam tribuit, *qui, ubi semel omnis pudoris repagula ruperat, et armatus Italiam ingressus erat, nullo modo ab incepto dimoveri se patiebatur.* Respicit auctor verba Caesaris ad Rubiconem. SUETON. *Caes. Cap.* XXXI. *Ad Rubiconem paulum constitit, ac reputans, quantum moliretur, conversus ad proximos,* ETIAM NUNC, *inquit,* REGREDI POSSUMUS. QUOD SI PONTICULUM TRANSIERIMUS, OMNIA ARMIS AGENDA ERUNT. Elegans usus hujus particulae *vel* pro *etiam. Vid.* SERV. *ad* VIRGIL. *Eclog.* VIII. *v.* 69.

Carmina VEL *coelo possunt deducere lunam.*

Si vero, ita immediate post *non* positum, significat *quamvis.* HORAT. *Lib.* I. *Sat.* IX. *v.* 58.

Non, hodie SI
Exclusus fuero, desistam.

VIRGIL. *Lib.* II. *Aen. v.* 79.

Nec, SI *miserum Fortuna Sinonem*
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

atque ita passim. JEV.

500. — *Levis totas accepit habenas In campum sonipes:*] Ec-

In campum sonipes: crebroque simillima nimbo
Trans ripam validi torserunt tela lacerti.
Ingreditur pulsa fluvium statione vacantem
Caesar, et ad tutas hostis compellitur arces.
Et jam moturas ingentia pondera turres
Erigit, et mediis subrepsit vinea muris.
Ecce, nefas belli, reseratis agmina portis
Captivum traxere ducem, civisque superbi
Constitit ante pedes. vultu tamen alta minaci
Nobilitas recta ferrum cervice poposcit.
Scit Caesar poenamque peti, veniamque timeri.
Vive, licet nolis, et nostro munere, dixit,
Cerne diem. victis jam spes bona partibus esto,
Exemplumque mei: vel, si libet, arma retenta;
Et nihil hac venia, si viceris ipse, paciscor.
Fatur: et adstrictis laxari vincula palmis
Imperat. heu quanto melius vel caede peracta
Parcere Romano potuit fortuna pudori!
Poenarum extremum civi, quod castra secutus

502. Tors. val. trans rip. c. 505. *menia* tur. c. 506. subrepit, d. 508. *du*xere; c. 513. partibus esto; *ibus esto* in membr. erasa. d. 514. rete*mpta*, ut semper, d. 517. quant*um*, d. 519. extremum *est; est* a man. alia, sed signo notatum, c. *civi*, in membr. erasa, manu alia; in margine *civi*, manu alia. c.

ce tibi denuo CAMPUM, cum jam ter intra pauculos versus *campis, campis, campis, campos* habuerimus. corrigendum,

— *totas accepit habenas*
In COLLUM *sonipes.*

Silius XV, 724.

— *cedentes urget*, totas
largitus habenas
Livius acer equo, *et turmis
abeuntibus infert
Cornipedem.*

506. — *Et mediis subrepsit vinea muris.]* Elegantius Colbertinus prior:

Erigit, et mediis SUBREPIT *vinea muris.*

Erigit, subrepit, ejusdem temporis utrumque.

515. *Et nihil hac venia, si viceris ipse, paciscor.]* Distinguo alio modo,

*Et nihil hac venia, si viceris
ipse paciscor.*

519. — *Civi.]* Nostri omnes

Sit patriae, Magnumque ducem, totumque Senatum,
Ignosci. premit ille graves interritus iras:
Et secum: Romamne petes, pacisque recessus
Degener? in medios belli non ire furores
Jamdudum moriture paras? rue certus, et omnes
Lucis rumpe moras, et Caesaris effuge munus.
  Nescius interea capti ducis arma parabat
Magnus, ut admisto firmaret robore partes.
Jamque secuturo jussurus classica Phoebo,
Tentandasque ratus moturi militis iras,
Alloquitur tacitas veneranda voce cohortes:
O scelerum ultores, melioraque signa secuti:
O vere Romana manus: quibus arma Senatus

522. pet*am;* in margine *et petes*, signo eodem, quod ad v. *petam* positum est, notatum. c. 524. omn*is*, b. d. Hic versus cum sequente et tertio hoc: *Hec ait et tumidos pepulit de corde furores*, in margine scripti leguntur. c. Idem Codex ante vers. 527. alium addit hunc: *Thessalicisque suum finivit robur in armis.* 527. *in*mixto, b. c. d. 528. *uis*urus, d. 530. *caterv*as, c.

cum Romana et Veneta *Civi.* et ordo est, *Poenarum extremum, ignosci civi, quod*, etc.

527. — *Ut admixto firmaret robore partes.]* Colbertinus prior, Puteaneus aliique plurimi cum Rom. et Ven. *Inmixto.*

528. *Jamque secuturo jussurus classica Phoebo, Tentandasque ratus moturi militis iras,]* Unde vero tot futuri in unum conclusi, vim ac taedium auribus inferentes, *secuturo, jussurus, moturi?* Quiescent paulo aures, si unum ex his amoliamur; illum scilicet, qui nihil sententiae confert. Si enim die insequente jubere classica constituerat, eo ipso notum facit, *moturum* fore militem. Quid quod ineptum est, miles *movet* vel *moturus est*, sic absolute positum. auctorem aliud dedisse credo, sensu longe meliore:

> *Tentandasque ratus* MATURE *militis iras.*

Mature, nempe crastino signa moturus, pridie tentare statuit iras animosque militum. Infra *v.* 597.

> *Nec* matura *petunt promissae classica pugnae.*

Valerius tamen MOTURI hic legit, p. 1436. *Futuri temporis participium a verbo dissentit: nam longam recipit, ut Lucanus,*

> *Tentandasque ratus* Moturi *militis iras,*

Non privata dedit, votis deposcite pugnam.
Ardent Hesperii saevis populatibus agri:
Gallica per gelidas rabies effunditur Alpes:
Jam tetigit sanguis pollutos Caesaris enses.
Dii melius, belli tulimus quod damna priores:
Coeperit inde nefas, jamjam me praeside Roma
Supplicium, poenamque petat. neque enim ista vocari
Proelia justa decet, patriae sed vindicis iram.
Nec magis hoc bellum est, quam cum Catilina paravit
Arsuras in tecta faces, sociusque furoris
Lentulus, exertique manus vesana Cethegi.
O rabies miseranda ducis! cum fata Camillis

534. popula*tibus*, *tibus* in membr. erasa man. sec. b. 535. *per*funditur, d. 539. nec. c. 541. *quod* Cat. d.

Hoc enim vult, a *moveo*, quod primam corripit, *moturus* eandem producere.

537. *Dii melius, belli tulimus quod damna priores: Coeperit inde nefas. jamjam me praeside Roma]* Ob malam distinctionem, cum hiulca et scabra oratio est, tum et dictio vitiosa. *Coepit* enim dicendum fuit, non *Coeperit*. Tu sic lego et distingue:

Dii melius, belli tulimus quod damna priores:
Coeperit inde nefas; DUM *jam, me praeside, Roma*
Supplicium, poenamque petat.

Dum jam, hoc est, dummodo jam. *Coeperit inde nefas, dum jam* a me puniatur. ut notum illud [Seneca I. de Ira cap. ult. a med.], *Oderint*, *dum metuant.* et mox 561. Dux *sit* in his castris senior, *dum* miles in illis.

544. *O rabies miseranda ducis!]* Vix intelligo, quo colore dictum sit *rabies miseranda.* Si rabies est, teterrimum malae mentis vitium, non utique *miseratione*, sed odio et vindicta excipienda erit. et quidem quod statim sequitur, *sternere profecto* non misericordiae est, sed ultionis. crediderim ab auctore profectum:

O rabies INFANDA *ducis!*

codex Bersmanni, MIRANDA. *Miseranda*, compendiose scribitur, *Mis'anda. infanda.* BENTL.

Quoties attenta mente repeto, quam frequenti manu, a multis retro seculis, Lucanus passim ab omnibus cujusvis ordinis lectoribus tritus fuerit; quot quantique magni nominis critici in eo emendando et explicando operam posuerint: toties admiratione defixus obstupesco, cum videam, tot mendas, tot naevos deformare etiamnum poesin Lucani, ut incredibile sit dictu. Nec mirum

Te, Caesar, magnisque velint miscere Metellis,
Ad Cinnas, Mariosque venis. sternere profecto,
Ut Catulo jacuit Lepidus, nostrasque secures
Passus, Sicanio tegitur qui Carbo sepulcro,
Quique feros movit Sertorius exul Iberos.
Quanquam, si qua fides, his te quoque jungere Caesar
Invideo, nostrasque manus quod Roma furenti
Opposuit. Parthorum utinam post proelia sospes,
Et Scythicis Crassus victor remeasset ab oris,
Ut simili causa caderes, qua Spartacus hostis.

547. *secures*, *e* man. al. in membr. crasa. d. 552. *ut* post. c. 553. *horis*, b. c. d., in b. totum vocab. a man. sec. est.

hoc videbitur iis, qui specimen hoc, libero praejudiciis animo, legere voluerint. Hic iterum locus liquido evincet infelicitatem poetae, letali vulnere tam diu languentis sine ulla medicina. Quaeso enim vero, de *cujus Ducis* rabie hic agit poeta? de rabie Caesaris? At eum ipsum alloquitur: *ἄτοπον* igitur hoc et absurdum. Dein, si FATA eum VELINT *miscere Camillis et Metellis*, quomodo igitur *ad Cinnas* et *Marios* venire possit, cum Fata secundum Stoici poetae dogmata immutabilia sint? Vides absurdum, erudite Lector? Gratulare tamen poetae; medicinam inveni optimam. Agnoscat poeta manum suam. Lego, levi mutatione,

O rabies miseranda! PIIS *cum* FACTA *Camillis*
Te, Caesar, magnisque QUEANT *miscere Metellis,*
Ad Cinnas Mariosque venis.

PIIS lego, pro *ducis*, quod ineptum. PII *Camilli*, qui patriae laboranti, ut ut de ipsis male meritae, succurrere et opem ferre non dubitarunt. Camilli enim non minus quam Metelli appositum epitheton desiderant. *Facta* erat in Thuan. sec. et Mediol. Edit. *queant* scripsi pro *velint*, quod a librario, compendium scripturae ignorante, suppositum fuit. Scriptum fuerat *m̃gnisQue ant.* *O quam miseranda rabies est*, inquit, *Caesar*, *qua in patriam efferatus arma convertis! Cum magnitudine rerum gestarum possis aequare Camillos et Metellos, turpiter descendis ad Cinnas et Marios*, *patriae pestes.* Judicent Eruditi. JEV.

553. *Et Scythicis Crassus victor remeasset ab oris.]* Colb. prior, Harleianus, Regius, cum Bersmanni duobus, et Pulmanni uno, suaviore compositione,

Et Scythicis victor Crassus —

Insuper etiam, ARVIS Colb. prior. BENTL.

Laudat hunc locum simul cum aliis Bentl. ad Horat. Epist. I, 10, 37., ut morem poetarum ostendat, qui ad vocem *victor* epitheton aliquod, v. c. *remeans*, ponere amant; verba tamen Lucani ibi mutato ordine profert: *victor remeasset Crassus.* WEB.

Te quoque si Superi titulis accedere nostris
Jusserunt, valet in torquendo dextera pilo:
Fervidus haec iterum circa praecordia sanguis
Incaluit: disces non esse ad bella fugaces,
Qui pacem potuere pati. licet ille solutum,
Defectumque vocet, ne vos mea terreat aetas.
Dux sit in his castris senior, dum miles in illis.
Quo potuit civem populus perducere, liber,
Adscendi, supraque nihil nisi regna reliqui.
Non privata cupit, Romana quisquis in urbe
Pompejum transire parat. hinc Consul uterque,
Hinc acies statura ducum. Caesarne Senatus
Victor erit? non tam caeco trahis omnia cursu,

556. *en* torq. d. 558. disce*nt* b. d. 560. ne*c*., c et punctum a man. sec. b. 566. ducum *est*. b. c. d.

555. *Te quoque si Superi titulis accedere nostris Jusserunt,*] Ex Ovidio, Heroid. IX, [*v.* 1.]

Gratulor Oechaliam titulis accedere vestris.

557. *Fervidus haec iterum circa praecordia sanguis Incaluit:*] Si jam *fervidus*, quomodo *incaluit*, quod minus est quam fervere? Quomodo autem *iterum* incaluit, nisi medio tempore vel refrixerit vel intepuerit? et forsan scripsit Lucanus,

FRIGIDUS *haec iterum circa praecordia sanguis*
Incaluit.

Pompejus jam senior; et proprium senectutis *sanguis frigidus*. Entellus de se, Aeneid. v, 396.

Sanguis hebet, frigentque effoetae in corpore vires.

558. — *Disces non esse ad bella fugaces, Qui pacem potuere pati.*] Colbertinus prior, Puteaneus, Regius, Pulmanni duo, cum editione Venet. *discet*. Placet: quia sequitur, *licet ille*.

561. *Dux sit in his castris senior, dum miles in illis.*] Quintilianus Declam. CCCXVII. *Itaque hercle* militem *legimus robustum, legimus* juvenem: imperatorem *facimus* senem.

564. *Non privata cupit, Romana quisquis in urbe Pompejum transire parat.*] Colbertinus alter, et Harleianus cum duobus Pulmanni elegantius,

Non privata CUPIS, *Romana quisquis in urbe*
Pompeium transire PARAS.

Quid vero *Romana urbs*, an simpliciter? vide an scripserit auctor,

Non privata CUPIS, ROMANO *quisquis in* ORBE
Pompeium transire PARAS.

Noster VIII, 211.

Quando, ait, Emathiis amissus cladibus ORBIS
Qua ROMANUS *erat.*

567. — *Non tam caeco trahis omnia cursu, Teque nihil, Fortuna, pudet.*] Etiam refra-

Teque nihil, Fortuna, pudet. multisne rebellis
Gallia jam lustris, aetasque impensa labori
Dant animos? Rheni gelidis quod fugit ab undis,
Oceanumque vocans incerti stagna profundi;
Territa quaesitis ostendit terga Britannis?
An vanae tumuere minae, quod fama furoris

570. gelidis [quod] fugit; *quod* man. al. in membr. erasa; ad marginem *quod,* man. alia c. quos fudit, d. 571. vocas, *s* in membr. erasa. c. *magna,* in margine a man. al. legitur: *vel incertaque stagna profundi,* c. 573. tremuere, *u* et puncta a man. alia. b.

gante codicum turba, reponendum puto,

— *non tam caeco trahis omnia* CASU.

Cursus ad Fatum pertinet, ad Fortunam *Casus.* Juvenalis, [13, 86.]

Sunt in Fortunae *qui* casibus *omnia ponant.*

Noster VII, 446.

Cum caeco *rapiantur saecula* casu.

Caeco casu, praecipiti casu, passim. BENTL.

Quid sit *cocco cursu trahere,* nemo divinus dixerit. De *Fortuna* loquitur poeta, adeoque scripsit, nisi fallor,

non tam caeco RAPIS *omnia* CASU.

Firmat LUCANUS *Lib.* VII. *v.* 446.

sunt nobis nulla profecto Numina, cum COECO RAPIANTUR *seeula* CASU.

mox vero, pro *dant animos,* credo legendum per ἀποσιώπησιν,

multisne rebellis
Gallia jam lustris, aetasque impensa labori
Hos *animos?*

dein pro *quod fugit* lego malim sine interrogatione,

Rheni gelidis QUUM *fugit ab undis.* JEV.

568. — *Multisne rebellis Gallia jam lustris,]* *Multisne* vero *lustris?* cum nondum bina lustra completa fuerint? nondum decimus annus exactus? Apage tam spissum mendacium, quod omnes cohortes statim agnoscerent. Dederat auctor:

— GEMINIS*ne rebellis*
Gallia jam lustris.

ut I, 283.

Bellantem geminis *tenuit te Gallia* lustris.

Simile erratum in Senecae Agamemnone, 42.

Post decima Phoebi lustra devicto Ilio.

Quid audio? an per quinquaginta annos obsessum est Ilion? an potius *lustrum* non quinquennii, ut creditum est, sed unius anni erit? *Decima* est Florentini codicis lectio, ceterorum *dena.* Corrige, vel ex illo *gemina,* vel ex his *bina.*

570. — *Rheni gelidis quod fugit ab undis,]* Iterum habes paulo inferius, *gelidas ad Phasidos undas.* Mendum igitur subesse

Expulit armatam patriis e sedibus urbem?
Heu demens, non te fugiunt, me cuncta sequuntur:
Qui cum signa tuli toto fulgentia ponto,
Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem,
Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
Angustaque domum terrarum in sede poposcit.
Idem per Scythici profugum divortia Ponti
Indomitum regem, Romanaque fata morantem,
Ad mortem, Sylla felicior, ire coegi.
Pars mundi mihi nulla vacat: sed tota tenetur
Terra meis, quocunque jacet sub sole, trophaeis.
Hinc me victorem gelidas ad Phasidos undas
Arctos habet: calida medius mihi cognitus axis
Aegypto, atque umbras nusquam flectente Syene.

579. Angusta*m*que b. d. 582. S*i*lla, ut semper. c. 583. mihi mundi. b. 584. tr*ium*phis. c. 585. phasid*is*, c. nu*m*quam, b. c. d.

hic, juste suspicere possis. neque difficilis correctio: *fugit* enim per se hic positum plane friget. legendum arbitror,

Rheni TREPIDUS *quod fugit ab* ARVIS.

Quippe Caesar, narrante Plutarcho, [cap. 22. T. IV. p. 125. ed. Londin.] non amplius dies XVIII, ultra Rhenum in Germania moratus, rediit in Galliam.

579. *Angustaque domum terrarum in sede poposcit.*] Puteaneus cum edit. Rom. ANGUSTAQUE: omnes nostri cum Veneta ANGUSTAMQUE. Hoc dicit auctor, piratas, *metuentes* jam *pelagi*, petiisse, ut vel procul a mari in intimas terras deducerentur. Atqui hoc significare nequit, *in sede terrarum;* quoniam et loca maritima comprehendit. Scripsit, aut fallor, poeta,

Omne fretum, metuens pelagi, pirata reliquit
ANGUSTAMQUE *domum* TERRESTRI *in sede poposcit.*

Paterculus de hac re II, 32. *Reliquias eorum contractas in urbibus, remotoque a mari loco in certa sede constituit.* Servius ad Georg. IV, 127. *Pompejus victis piratis Cilicibus, partim ibidem, partim in Graecia, partim in Calabria agros donavit.* Vide et Plutarchum aliosque. potes etiam TERRENA.

587. — *Atque umbras nusquam flectente Syene.*] Colbertinus uterque et Trin. cum duobus Pulmanni Bersmannique totidem, NUMQUAM. Citat hoc Priscianus, p. 887. ubi Codex insignis Cantab. NUMQUAM. Sic quoque se olim legisse clare ostendit Macrobius, in Somn. Scip. VII. [cap.

Occasus mea jura timet, Tethynque fugacem
Qui ferit, Hesperius post omnia flumina Baetis.
Me domitus cognovit Arabs, me marte feroces
Heniochi, notique erepto vellere Colchi.

591. *Eniochi*; in margine manu alia *enochi*, c.

7.] *Civitas*, inquit, *Syene sub ipso aestivo tropico constituta est; et eo die quo sol certam partem ingreditur Cancri, hora diei sexta (quoniam sol tunc super ipsum invenitur verticem civitatis) nulla illic potest in terram de quolibet corpore umbra jactari; et hoc est quod Lucanus dicere voluit, nec tamen plene, ut habetur, absolvit. Dicendo enim,*

Atque umbras NUMQUAM *flectente Syene.*

rem quidem attigit, sed turbavit verum: non enim numquam flectit, sed uno anni tempore. Recte sane censuisset Macrobius, si auctor dedisset *numquam;* sed codices vetusti Puteaneus et Harleianus cum magna aliorum turba, NUSQUAM habent; et vere. Nisi enim NUSQUAM posuisset Lucanus, non dixisset *flectente umbras*, sed *faciente*, vel *faciente flectere umbras;* absolute, nisi *quorsum* addatur, ineptissimum est. *Nusquam* igitur flectit umbras Syene, scilicet ipso meridie solstitiali, sive solstitii die medio. Quid autem profuit, veram lectionem comparuisse? cum adhuc tam maligne quidam agant, quam si credidisset Lucanus, nullam per totum annum umbram Syene fieri. Iniqua vero judicia: cur ergo loca quaedam Ascia (sine umbra) dicuntur? an ulli Ascii sunt, nisi semel vel bis in anno? et tamen licuit magnis scriptoribus absolute Ascios dicere. Plinius Hist. II, 75. *Onesicritus dux Alexandri Magni scripsit, Quibus in locis Indiae umbrae non sint, Septentrionem non conspici, et ea loca appellari Ascia.* et iterum, VII, 2. *Onesicritus scribit, quibus locis Indiae umbrae non sint, corpora hominum cubitorum plus quinum existere.* Eadem utrumque facie generaliter dicitur, et *umbras non esse*, et *umbras nusquam flecti:* licet semel hoc tantum, vel plurimum bis quotannis contingat.

588. *Occasus mea jura timet,*] Quarto abhinc versu iterum habes et in eadem versus caesura,

Cappadoces mea signa timent.

Jura TENET Cod. Arundel. et pro varia lectione Cantab. Repono,

Occasus mea jura TREMIT.

Martialis VIII, 55.

Sed cujus tremerent *ipsi quoque jura leones.*

590. *Me domitus cognovit Arabs,*] Quanto melius quod in solo Arundeliano reperi,

Me domitus COGNOSCIT *Arabs.*

praesenti tempore, ut alia illa vicina, *vacat*, *tenetur*, *habet*, *tremit*, *timent*. Quid quod plus est, jam *cognoscere*, terrore scilicet nominis adhuc haerente, quam quondam cognovisse.

591. — *Me marte feroces Heniochi, notique erepto vellere Colchi.*] *Noti vellere*, ut Seneca Thyeste, 379.

Seres vellere nobiles.

sed versu priore posuit COGNOSCIT *Arabs:* iterumne ergo et tam proxime NOTI *Colchi?* Numquam hoc credam. Quin et hoc

Cappadoces mea signa timent, et dedita sacris
Incerti Judaea Dei, mollisque Sophene.
Armenios, Cilicasque feros, Taurosque subegi.
Quod socero bellum, praeter civile, reliqui?
  Verba ducis nullo partes clamore sequuntur,
Nec matura petunt promissae classica pugnae.
Sensit et ipse metum Magnus; placuitque referri
Signa, nec in tantae discrimina mittere pugnae

593. moll*e*sque. c. 594. Armeni*as*, b. d. sed in b. supra *a*, puncto notatam, scripta est *o*. 595. Qu*i*d, c. 597. metura, supra scripto *vel matura*, c. 599. mittere, supra scripto *vel ponere*, c.

perpende: si *notos* voluisset, non utique *erepto*, sed *aurato vellere* subjecisset. *Noti* quippe erant ob vellus *aureum:* at priusquam eriperetur. Cum itaque *erepto* dixerit, ne dubita, quin more suo *moratum* aliquod epitheton addiderit. Scripsit auctor,

NUDIQUE *erepto vellere Colchi.*

Ideo *nudi* et pauperes, quia vellere erepto. *nudi vellere*, ut Horatius [S. II, 3, 184.]

Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis.

Sil. Ital. IX, 358.

Hesperidum pauper spoliatis frondibus hortus.

Idem I, 392.

Et rapto nudum clypeo *latus haurit Hiberi.*

599. — *Nec in tantae discrimina mittere pugnae]* Altero abhinc versu dixerat, *promissae classica pugnae.* alterutrum mendosum sit, necesse est, prius vero non sollicitandum, *promissa* enim *pugna* est, quam orationis exordio *v.* 533. pollicitus est, *votis deposcite pugnam.* Restat itaque, ut posterius in mendo cubet, manu medica curandum. Quod non difficulter fiet, si, ut plane existimo, scripsit auctor,

Nec in tantae discrimina mittere CAUSAE.

Causa tanta, I, 128.

Victrix causa *deis placuit, sed victa Catoni.*

et IX, 230.

— *Ille jacet, paci quem praetulit orbis:*
Causaque *nostra perit.*

Tacitus Hist. V, 15. *Ejus proelii eventus utrumque ducem ad maturandum* summae rei discrimen *erexit.* Pompejus ipse de his ipsis copiis, Cic. ad Atticum VIII, 12. *Neque enim eorum militum, quos mecum habeo, voluntati satis confido, ut* de omnibus fortunis Reip. *dimicem.*
BENTL.

Corruptum hunc locum si dixero, non defuerint forte, qui audacem me criticum clament, atque temeritatis reum agant. Bonum factum tamen, si haec mea audacia in publicam cesserit utilitatem! Tunc enim insanos male feriatorum zoilorum clamores facile contemnere possim. Audacter pronuntio locum corruptum videri. Quo enim, quaeso, TAN-

Jam victum fama non visi Caesaris agmen.
Pulsus ut armentis primo certamine taurus
Silvarum secreta petit, vacuosque per agros
Exul in adversis explorat cornua truncis;
Nec redit in pastus, nisi cum cervice recepta

603. *implorat*, c. 604. Non *red.* c.

TAE PUGNAE? An in omni proelio sive pugna non fuerit discrimen? *tantae pugnae*, quae pugnata non fuit? *Placuit* enim Pompejo REFERRE *signa*. Altero vero abhinc versu jam *pugnae* habuimus, unde sine dubio, aberratione scribentis librarii, haec vox huc in locum non suum intrusa fuit. Aut fallor vehementer, aut scripsit poeta:

Sensit et ipse metum Magnus, placuitque REFERRE
Signa, nec in CERTAE *discrimina mittere* CLADIS
Jam victum fama non visi Caesaris agmen.

in CERTAE CLADIS *discrimina*, id est, *in manifestum caedis periculum.* Ominabatur hoc Pompejus ex metu militum, qui ante proelium, hoste nondum viso, fama Caesaris victi animum despondebant. Meticulosus enim miles quomodo fortiter pugnare possit? Quin et ipse Magnus *metum sensisse* dicitur, quippe qui ab ignavis militibus victoriam sperare non auderet. METUS enim *certissimae cladis omen.* LUCAN. *Lib.* VII, *v.* 340. de Pompejo ante proelium Pharsalicum:

Stat corde gelato
Attonitus, tantoque duci SIC ARMA TIMERE
OMEN ERAT. JEV.

604. *Cervice recepta] Repleta Cel.* BURMANNUS pro vulgato *recepta*, quod a glossatore profectum putat. Verum neque *repleta* neque *recepta* a Lucano profectum fuit, qui, si quid video, *refecta* nobis reliquit. CERVICE REFECTA, id est, *animo et viribus receptis*, ceu patet ex loco VIRGILII *Lib.* III. *Georg. v.* 235. ab OUDENDORPIO adducto,

Post, ubi COLLECTUM ROBUR VIRESQUE REFECTAE,
Signa movet.

Victi tauri cervicem dejiciunt, quod *pudoris* est. *Demissis cervicibus ire* eleganter dicit dulcissimus PROPERTIUS *Lib.* II. *Eleg.* XI. *v.* 11.

At, dum DEMISSIS *supplex* CERVICIBUS *ibam*,
Dicebar sicco vilior esse lacu.

Celsa contra *cervix* datur *forti et magnanimo tauro.* SENEC. *in Troad. v.* 537.

Sic ille magni parvus armenti comes,
Primisque nondum cornibus findens cutem,
CERVICE TUMIDA CELSUS *et* FRONTE ARDUUS
Gregem paternum ducit et pecori imperat.

ita enim legendum. Vulgo inepte exhibetur *cervice subito celsus.* REFECTA igitur et *ad spem victoriae* ERECTA CERVICE redit ad hostem. Verum hic aliud insuper ulcus latet. Quid enim illud insulsum *comitantibus agmina tauris* huc faciat, videre nequeo. Tacent interpretes, perinde ac si hic omnia plana, et nihil difficultatis subesset. TAURI hi DUO depugnarunt pro amata juvenca: quid igitur dicendum? An aliis tauris hic locus sit, qui

605 Excussi placuere tori: mox reddita victor
Quos libet in saltus comitantibus agmina tauris

comitentur AGMINA? Sensisse hoc incongruum videtur Bentlejus, qui ideo pro *tauris* substituit PARVIS, id est *vitulis*. Ridebis hic mecum, erudite Lector, sat scio, et miraberis ineptias et impudentiam stupidissimorum librariorum, qui hic rursus oscitantes (ut *supra pag.* 64. ab iis peccatum ostendi) ridicula metamorphosi *vaccas* in *tauros* commutarunt. Quid multa? Totum locum hoc modo constituendum esse, puto,

Pulsus ut ARMENTIS *primo certamine taurus*
Silvarum secreta petit, vacuosque per agros
Exsul in adversis explorat cornua truncis,
Nec redit in pastus, nisi quum cervice REFECTA
Excussi placuere tori: mox reddita victor
Quoslibet in saltus, comitantibus AGMINE VACCIS,
Invito pastore, trahit.

ut sensus sit, *victorem taurum reddita sibi* ARMENTA (haec enim vox *ex v.* 601. repetenda) id est, BOVES *in quoslibet saltus secum rapere*, VACCIS *magno* AGMINE (*agminatim* dicit SOLINUS *Polyhist. Cap.* XXV.) *comitantibus*, INVITO *nequidquam et* RINGENTE *pastore*. Non enim libenter hoc vident pastores, vaccas cum tauris pasci, qui ideo *tauros in sola pascua relegant*, ne frequenti coitu vires exhauriant et debilitentur. *Vide* VIRGILIUM l. c. AGMINE *comitari*, id est, *magna turba*. Ita OVID. *Halieut. v.* 98.

Et pavidi MAGNO *fugientes* AGMINE *thunni.*

VIRGIL. 1. *Georg. v.* 381.

et e pastu decedens AGMINE MAGNO
Corvorum increpuit densis exercitus alis.

atque ita passim. *Reddita agmina* nihilominus non damnaverim. *Agmina* enim *boum*, ut *agmen cycnorum*, recte dicere potuit. Prius tamen placet. JEV.

605. — *Mox reddita victor Quos libet in saltus comitantibus agmina tauris Invito pastore trahit.*] Julius Scaliger in critico c. XIV. [p. 642. in tit. Tenuit.], ubi hanc Lucani comparationem adduxerat, *Considerabis*, inquit, *an tauri comitentur novum victorem.* Recte sane vir summus: tantum enim abest, ut *tauri* comitentur, ut secundum ipsum Lucanum taurus *victus* mox *silvarum secreta exul petat.* Quomodo igitur victorem comitatur? Ergo aut librariorum negligentiae, aut ipsius poetae incuriae, crimen hoc impingendum erit; minime verbo huic; sic enim ab eo profectum,

Quos libet in saltus, comitantibus agmina PARVIS
Invito pastore trahit.

Parvi hic sunt vituli, ut generatim in quoque genere minores. Seneca Troad. 535, de bubus,

Sic ille magni, PARVUS *armenti* COMES,
Primisque nondum cornibus findens cutem.

et Hippol. 17.

Vos, qua Marathon tramite laevo
Saltus aperit; qua comitatae
Gregibus parvis *nocturna petunt*
Pabula foetae.

Statius Silv. 1, 6. [43.]

Una vescitur omnis ordo mensa
Parvi, femina, plebs, eques, senatus.

Invito pastore trahit: sic viribus impar
Tradidit Hesperiam, profugusque per Appula rura
Brundisii tutas concedit Magnus in arces.
Urbs est Dictaeis olim possessa colonis,
Quos Creta profugos vexere per aequora puppes
Cecropiae, victum mentitis Thesea velis.
Hanc latus angustum jam se cogentis in arctum
Hesperiae, tenuem producit in aequora linguam,
Adriacas flexis claudit quae cornibus undas.
Nec tamen hoc arctis immissum faucibus aequor
Portus erat, si non violentos insula Coros
Exciperet saxis, lassasque refunderet undas.

609. consce*n*dit, b. c, cujus in margine legitur ab alia manu *contendit;* in d est conce*n*dit. 611. profug. Creta. c. 613. ar*t*um, b. d. ut fere semper. 615. quae claud. c. *claudit* in membrana erasa. d. 616. ar*t*is, erasa tamen *c*, ut videtur, inter *r* et *t*, c. *nmr*isssum, ante *n* aliquid erasum est, *r* in membrana erasa, ad marginem scriptum est ab alia manu: *immissum.* c. 618. la*x*asque. b. c.

609. *Brundisii tutas concedit Magnus in arces.]* Colb. autem alter et Puteaneus et alii quoque cum Veneta CONCESSIT. atque hoc amplectimur; nam praeteritum hic requiritur, ut alterum illud *tradidit.* Statius Silv. III, 3, 163.

Et Diomedeas concedere jussus in arces.

616. *Nec tamen hoc arctis immissum faucibus aequor Portus erat,]* Non admittendum est *arctis;* cum tertio ante versu habuerimus *arctum.* Praeterea si fauces *arctae* erant; portus profecto erat sine insulae ope, quae objectu laterum portum efficeret. Scripsit, opinor, auctor:

Nec tamen hoc PATULIS *immissum faucibus aequor.*

Mox Noster *v.* 619. *Aperto mari*, ut hic *patulis faucibus*, de re eadem.

617. — *Si non violentos insula Coros Exciperet saxis, lassasque refunderet undas.]* Cum *Coros* dixisset, cur a ventis ad *undas* transgreditur? Accedat huc. quod tertio ante versu, in fine etiam ut hic, *undas* habuimus: quo nullum certius errati indicium. Dedit, ut videtur, auctor,

— *si non violentos insula Coros*
Exciperet saxis, lassasque refunderet AURAS.

auras, oras, undas, umbras, haec quatuor saepe a librariis confunduntur.

Hinc illinc montes scopulosae rupis aperto
Opposuit natura mari, flatusque removit,
Ut tremulo starent contentae fune carinae.
Hinc late patet omne fretum, seu vela ferantur
In portus Corcyra tuos, seu laeva petatur
Illyris Ionias vergens Epidamnus in undas.
Huc fuga nautarum, cum totas Adria vires
Movit, et in nubes abiere Ceraunia, cumque
Spumoso Calaber perfunditur aequore Sason.

620. flatus; in margine, sed sine nota, *fluctus* ab alia manu. c. 622. Hin*c*, *c* serius addita est, d. *vela ferantur* in membrana erasa. d. 624. Epida*urus*, c. d. Epida*uros*, b. supra *o* scripta a manu secunda *u*. 627. Sas*a*n, ad marginem ·*Sason*.

619. *Hinc illinc montes scopulosae rupis aperto Opposuit natura mari,]* Cui hominum umquam auditum est, *montes rupis?* An una rupes plures habet montes? Pudet tam apertum mendum tam diu latuisse. Scripsit auctor,

Hinc illinc MOLES *scopulosae rupis.*

Mōtes, Moles.

621. — *contentae fune carinae.]* Laudat hunc locum Bentl. ad Horat. Carm. 1, 14, 7. ubi ex Nostro et Virgilio docet, *funibus* anchoras significari. WEB.

626. *In nubes abiere Ceraunia]* CERAUNIA, inquit Scholiastes, *montes Epiri.* IN NUBES ABIERE *dixit, i. e. nubibus contecti non videntur.* Hunc hominem audias, si sapere volueris! OUDENDORPIUS non male legi posse putabat, ut amicus ejus conjecerat, *in nubes, abiitque Ceraunia.* Mihi nihil quidquam sani coloris hic videtur, et praeterea illud *quumque* in fine versus non adeo venustum, ut placere possit. Si dixisset *in fluctus abiere Ceraunia*, pro *Ceraunia tecta fuere fluctibus*, aliquid dixisse videri posset, sed vel sic obstaret illud *perfunditur aequore Sason*, quod subjungit. Cogitabam olim,

cum totas Hadria vires
Movit, et UT TUMIDI SUBIERE
Ceraunia FLUCTUS,

vel

UT TUMIDO LATUERE *Ceraunia* FLUCTU.

Forte an dederit poeta,

cum totas Hadria vires
Movit: JAM TUMIDO SONUERE
Ceraunia FLUCTU,
Spumoso ET *Calaber perfunditur aequore Sason.*

ut velit, *fluctus montibus Cerauniis allisos adspergine spumosarum undarum Sasona proluisse.* Sic *spumosas undas volvere* et *adspergine summas silvas impluere* dicitur Peneos OVIDIO *Lib.* 1. *Met. v.* 572. Tale quid certe latere videtur. Ampliandum igitur, dum a melioribus libris medicina veniat.

JAV.

Ergo ubi nulla fides rebus post terga relictis,
Nec licet ad duros Martem convertere Iberos,
Cum mediae jaceant immensis tractibus Alpes:
Tunc sobole e tanta natum, cui firmior aetas,
Affatur: Mundi jubeo tentare recessus.
Euphratem, Nilumque move, quo nominis usque
Nostri fama venit, quas est vulgata per urbes
Post me Roma ducem: sparsos per rura colonos
Redde mari Cilicas: Pharios hinc concute reges,
Tigranemque meum. nec Pharnacis arma relinquas,

631. *ex*; d. 635. c. mutat verborum ordinem, *Pharios — reges* hic, et *sparsos — colonos* vers. 636. positis; sed ad vv. *Pharios* et *sparsos* signa ⁘ ⁘ scripta sunt ab alia manu.

631. *Tunc sobole e tanta natum, cui firmior aetas,*] Quorsum autem TANTA *soboles?* cum notissimum sit duos tantummodo liberos Pompeio tum fuisse, Cnaeum et Sextum. Repone,

Tum sobole e GEMINA.

636. — *Pharios hinc concute reges,*] Colbertinus alter, et Puteaneus cum duobus Pulmanni, PARTHOS *hinc concute reges.* quod quidem quam *Pharios* mallem, hi enim propiores Tigrani et Pharnaci. Et cum *Nilum move* dixerit, eo ipso *Pharios reges* tum significavit. sed neque *Parthos* satis placet. Hanc enim *οἰκονομίαν* servant poetae nobiles, ut, si vaticinentur, si vota faciant, si jubeant quid agendum, semper id quod praedicitur, vovetur, imperatur, eventum suum habeat. Atqui *Parthi* non *concutiebantur,* neutras partes secuti, III, 265.

Fallaces dubium Parthi *tenuere favorem,*
Contenti fecisse duos.

Quamobrem, ut saepe accidit, utraque lectio mendosa est, tam *Pharii*, quam *Parthi*; dum veterem et veram hi uno modo, alii alio contorquent. Scripsit poeta:

BACTROS *hinc concute reges.*

Bactri enim in *Pompeji* partibus militabant; III, 267.

— tinxere sagittas
Errantes Scythiae populi, quos gurgite Bactros
Includit gelido, vastisque Hyrcania silvis.

Paulum infra *Tigranen* et *Euphraten* libri vetustiores. et Cod. Trin. *Maeotia. Pharnacis* autem a recto *Pharnax*, non a *Pharnaces.* Priscianus p. 724. *Barbara nomina in x corripiunt penultimam; ut Volux Volucis, Pharnax Pharnacis: Lucanus in* II, *Tigranemque meum. nec Pharnacis arma relinquas.*
BENTL.

Laudat v. 637. Bentl. ad Horat. Epist. I, 18, 56. ob vocem *Tigranem* dicens, primam syllabam in hoc nomine barbaro, ut et in v. *Mithridatis* et *Tigris*, fluvii et bestiae, ob liquidam sequentem corripi et produci posse.
WEB.

Admoneo, nec tu populos utraque vagantes
Armenia, Pontique feras per littora gentes,
Riphaeasque manus, et quas tenet aequore denso
Pigra palus Scythici patiens Maeotica plaustri.
Et quid plura moror? totos mea, nate, per ortus
Bella seres, totoque urbes agitabis in orbe
Perdomitas: omnes redeant in castra triumphi.
At vos, qui Latios signatis nomine fastos,
Primus in Epirum Boreas agat: inde per arva
Graiorum, Macedumque novas acquirite vires:
Dum paci dat tempus hyems. Sic fatur: et omnes

638. *in* utraque. c. 642. *Sed.* b. 643. *f*eres, b. c. d. supra scripto *i. narres* in d. 644. castra, supra scripto *vel bella*, b. 645. *E*t b. c. d. *t* manus alia in c. scripsit. Latio b. d. 648. pacis, b. in d. *s* ab alia manu legitur.

642. — *Totos mea, nate, per ortus Bella seres,]* Omnes nostri cum Veneta et Romana FERES. Illud *seres* ex unico codice olim asseruit Modius Epist. LXXX. [in Gruteri Lamp. Crit. T. V. p. 214.] Livius XXI, 10. *Si ex bellis* bella serendo *succinctus armis legionibusque vivat.* Sed aliud est *bella serere;* aliud esset *mea bella serere: mea* enim, quae ipse olim *sevi:* quae non jam iterum *serenda*, sed *colligenda* sunt. Atque hoc postulat, quod mox sequitur, *omnes triumphi in castra* REDEANT. Quare vix dubitandum, quin sic scripserit auctor,

— *totos mea, nate, per ortus*
Bella LEGES, *totoque urbes agitabis in orbe*
PRAEDOMITAS; *omnes redeant in castra triumphi.*

ubicumque ego olim bella gessi, et victor populis peperci, eos tu in mea castra colligendos curato. *Praedomitas*, nimirum a me olim. Seneca patruus Epist. CXIII. *Doce me, nullum animal felix esse sine fortitudine; nisi omnes casus, antequam exciperet, meditando* PRAEDOMUIT.

645. *At vos, qui Latios signatis nomine fastos,]* ET *vos*, codices fere omnes cum Romana et Veneta, recte. sed iidem omnes mendose LATIO. Deinde Colbertini duo, Cantab. Trin. cum magna recentiorum turba SIGNASTIS; tum scilicet, cum novo anno Consules facti estis. Reponendum igitur,

ET *vos, qui Latios* SIGNASTIS *nomine fastos.*

Mox, *Macetumque* meliores omnes a recto *Macetes;* non *Macedumque.*

648. — *Sic fatur: et omnes Jussa gerunt,]* Primo, AT substituendum pro ET, deinde, quid sodes est *Jussa gerere?* vel quis

Jussa gerunt, solvuntque cavas a littore puppes.
At nunquam patiens pacis, longaeque quietis

649. litore, ut semper, c. 650. patiens, supra scripto *vel segnis*, b.

omnium sic locutus est? an *gerere* erit *portare*, *ferre?* ut Aeneid. IX, 804.

— nam Juppiter Irim
Demisit, germanae haud mollia jussa ferentem.

Atqui hi Consules cum filio, non ut *nuntii* dimittuntur; sed ad res agendas, non narrandas. An potius *gerere jussa*, perinde erit ac *facere*, et exsequi? Quomodo autem jam nunc *jussa ista faciunt*, per totum terrarum orbem peragenda, qui adhuc Brundisii in portu haerent? Repono:

— sic fatur: AT *omnes*
Jussa PARANT, *solvuntque* CITAS *a litore puppes.*

Jussa parant, accingunt se ad eâ exsequenda. Aeneid. IV, 503.

nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet quam morte Sichaei:
Ergo JUSSA PARAT.

Citas autem reposuimus pro ignavo isto epitheto *cavas puppes.* Quid enim ad rem facit, si cavae sint? At CITAS morato epitheto, ut summum festinandi studium notet. *Puppis, ratis, navis, classis cita,* poetis frequentissima sunt.

650. *At nunquam patiens pacis, longaeque quietis]* Pro PACIS Colbert. prior, Puteau. Harleianus, Trin. Caianus cum tribus Pulmanni SEGNIS. addit Puteaneus antiqua manu, *segnis* esse *pro segnitiei.* commentum sane lepidum: sed ut certum est, numquam sic dicere voluisse Nostrum, *segnis longaeque*, ita et aeque certum, non dixisse *pacis;* quia altero ante versu dixerat, *dum* PACI *dat tempus hiems.* Nescio an recte divinaverim,

At nunquam patiens OTI, *longaeque quietis.*

Oti, hoc est, *otii;* ut *Corfini* supra, *Corfinii*, et alia apud hunc plura. Virg. Georg. IV, ipso fine,

Studiis florentem ignobilis OTI.

Curtius VI, 2. de Alexandro: *Militarium rerum, quam* QUIETIS OTIIQUE PATIENTIOR. Sallustius Jugurth. 70. *Vulgus, cupidum novarum rerum,* QUIETI et OTIO *adversum.* BENTL.

Omnes fere Codd. *segnis* exhibent, quod probat OUDENDORPIUS. Segnem versum haec vox facere videtur BURMANNO, qui ex glossa irrepsisse putat, et ingeniosam HEINSII conjecturam, SENII legentis, probat. BENTLEJUS ad ignes et ferrum descendit, OTI pro *otii* rescribens, et mutata distinctione refingit,

At numquam patiens OTI, *longaeque quietis,*
ACTORUM *ne quid fatis mutare liceret.*

Inter tot tantosque majorum gentium criticos ecquis novo homini et ignoto ad conjecturam relictus esse videatur locus? Si tamen non frustra aggressus videar hoc opus; si me spes pulcherrima foveat, fore aliquando, ut nostris curis tersior paullo et ornatior prodeat LUCANUS, ita ut majori cum voluptate legi et a quovis intelligi possit, dignam salebroso hoc loco fiduciam mihi hic arrogabo. Illud *segnis* nobis servavit veram poetae manum.

Vitiose in Codice scriptum fuit, *At nq̄ s̄gnis p̄tns*, unde primum *signis patiens*, quod in Turriano Cod. erat, dein *segnis patiens* et transpositis vocibus *patiens segnis* factum fuit. SEGNITIAE PATIENS dederat nobis auctor. Verum et alia menda subesse videtur. Quid enim sibi illa, *ne quid fatis mutare liceret*, velint, plane non intelligo. *Fata* enim ea, quae facta sunt, infecta reddere nequeunt, quippe *nec ipsi Jovi*, teste HORATIO *Lib.* III. *Od.* XXIX. *v.* 47. *hoc licet.* Unde patet, infeliciter BENTLEJUM haec tentasse. Quid multa? Locum ita constitue, et habebis Lucani manum:

At non SEGNITIAE *patiens, longaeque quietis*
Armorum, ne quid fatis NUTARE *liceret,*
INSEQUITUR, *generique premit vestigia Caesar.*

Segnitiae non patiens erat Caesar, qui *moras belli ferre* non poterat. LUCANUS *Lib.* V. *v.* 410.

Turpe duci visum rapiendi tempora belli
In segnes exisse moras, portuque teneri.

Pertaesus ignaviam inde dicitur apud SUETON. in *Caes. Cap.* VII. *vid. et supra pag.* 38. SEGNITIES enim *ignavia et inertia*, prouti CICERO *Lib.* I. *de Orat. Cap.* XLI. SEGNITIEM et INERTIAM conjungit, uti et *inertissimam segnitiem* emphatice idem dixit *Lib.* I. *de Fin. Cap.* II. VIRGIL. *Lib.* IX. *Aen. v.* 374.

Festinate, viri: nam quae tam sera moratur
SEGNITIES?

VALER. FLACC. *Lib.* III. *v.* 395.

In lacrimas humilesque metus aegramque fatiscunt
SEGNITIEM.

NUTARE scripsi pro MUTARE, sensu hoc postulante, qui hic, credo, fuerit: *Caesar*, inquit poeta, *omnis morae impatiens et bello civili cito defungi cupiens* INSEQUITUR (ita lego, pro *assequitur*, quod inde patet, quia ejus *vestigia premere* dicitur) *Pompejum, ne quid fatis* NUTARE *liceret*, id est, *ne fatis liceret dubium et ancipitem favorem tenere inter se et Pompejum*, sive *ne dubitarent fata ipsum favore solito prosequi.* Ita *Lib.* III. *v.* 265.

Pugnaces DUBIUM *Parthi* TENUERE FAVOREM.

id est, *nutaverunt, ancipites huc illuc fluctuaverunt, Caesari an Pompejo faverent.* Sic VALER. FLACC. *Lib.* III. *v.* 686.

Vario NUTAT *sententia motu.*

et *Lib.* VII. *v.* 153.

His ubi nequidquam NUTANTEM *Colchida curis*
Juno videt, necdum extremo parere furori.

CLAUDIANUS *de Bello Gildon. v.* 281.

Quaslibet ad partes animus NUTAVERIT *anceps.*

ita *nutare* dicitur navis, cum in alterutram partem prona propendet. LUCAN. *Lib.* III. *v.* 665.

NUTARETQUE *ratis, populo peritura recepto.*

CLAUDIAN. *de B. Gildon. v.* 220.

Assiduoque gemens, undarum verbere NUTAT
Descensura ratis.

atque ita RUINA *mundi* et *fati* NUTARE dicitur, id est, *dubia esse, in quam partem cadat,* apud LUCANUM *Lib.* IV. *v.* 393. et *Lib.* VII. *v.* 244. *mutare* et *nutare* semper fere confusa. *Vid.* HEINS. *ad Claud. l. c.* et DRAKENBORCH. ad SIL. ITAL. *Lib.* VI. *v.* 234.

JEV.

Armorum, ne quid fatis mutare liceret,
Assequitur, generique premit vestigia Caesar.
Sufficerent aliis primo tot moenia cursu
Rapta, tot oppressae dejectis hostibus arces:
Ipsa caput mundi, bellorum maxima merces,
Roma capi facilis. Sed Caesar in omnia praeceps,

654. de*pulsis*, b. c. d.

651. — *Longaeque quietis Armorum, ne quid Fatis mutare liceret,]* *Impatiens quietis armorum;* inepte et invenuste. Immo, *impatiens quietis*, ut ex Curtio et Sallustio jam didicisti. Tum et illud nimis laxe, *ne quid* omnino, nusquam gentium, *mutare liceret;* scripsit enimvero auctor,

> Actorum *ne quid fatis mutare liceret.*

Ne quid actorum, ne quid ex iis quae jam acta erant, cum Magnum in Brundisium compulisset, a fatis mutari posset.

652. *Assequitur, generique premit vestigia Caesar,]* Quid hoc est? primum *assequitur*, et postea *premit vestigia?* Certe *assequi* perinde est ac *consequi*, *pervenire* ad eum quem sectaris. dedit auctor *Persequitur* vel *Insequitur.* Aeneid. xii, 748.

> *Nec minus Aeneas —*
> Insequitur, *trepidique pedem pede fervidus urget.*

Hoc ipsum est, *insequitur et premit vestigia.*

653. *Sufficerent aliis primo tot moenia cursu Rapta,]* Veteres quatuor, cum magna comitum turba, *tot primo:* quod ideo placet, quia tot proximum quoque colon inchoat.

654. — *Tot oppressae dejectis hostibus arces:]* Nostri omnes cum Romana et Veneta depulsis. Illud alterum ex uno Modii codice adscitum est perperam, cum paulum infra *v.* 662. redeat, *dejectis rupibus.* Porro pro oppressae, quod plerique libri exhibent, Colbertinus prior infestae, secundus obsessae. Locus ad hunc modum corrigendus,

> *Sufficerent aliis* tot primo *moenia cursu*
> *Rapta, tot* insessae depulsis *hostibus arces.*

Lippiens aliquis librarius pro *insessae*, legebat *infestae.* subierunt postea correctores, qui cum *infestae* minime huc quadrare intelligerent, *obsessae* et *oppressae* interpolabant. Atqui in promtu erat veram lectionem ex falsa illa exsculpere. Tot arces insessae, possessae, occupatae Caesaris praesidiis, hostium depulsis. Tacitus Hist. ii, 98. *Pannonicae Alpes praesidiis* insessae. Annalium xiii, 39. *Per montes ducebantur nostris praesidiis* insessos. et iv, 5. *Quamquam* insideret *urbem proprius miles.* sic Historici passim.

656. — *Sed Caesar in omnia praeceps,]* Quarto ante versu dixerat, *Premit vestigia Caesar.* Filum ergo orationis persequere: *Caesar* premit generi vestigia: sufficerent aliis tot oppida capta: sed *Caesar* praeceps in omnia. Placetne hoc tam putide repetitum? Immo ab auctore sic profectum est,

Nil actum credens, dum quid superesset agendum,
Instat atrox: et adhuc, quamvis possederit omnem
Italiam, extremo sedeat quod littore Magnus,
Communem tamen esse dolet: nec rursus aperto
Vult hostes errare freto, sed molibus undas
Obstruit, et latum dejectis rupibus aequor.

657. *cum*, b. c. d. 658. possederit, ad marginem *derat*, sine nota. c.

Sed DUCTOR *in omnia praeceps.*

supra *v.* 489. de Caesare,

PRAECIPITEM *cohibete* DUCEM.

Praeceps quidem ductor erat, omnia conficiens celeritate armorum: at non *praeceps Caesar*, non praeceps totus: quippe qui lentissimis artibus et consiliis regnum sibi fecerit.

657. *Nil actum credens, dum quid superesset agendum,]* Justinianus in Cod. VI, 35, 10. *Nihil etenim actum esse credimus, dum aliquid addendum superest.* Ubi forte ex Nostro AGENDUM reponi debet pro *addendum.*

660. *Communem tamen esse dolet:]* Si seriem orationis evolvas, videbis illud TAMEN sententiam onerare caudamque male trahere. scripsit, opinor, poeta,

Communem TERRAM *esse dolet.*

Tum aptissime succedit id, quod sequitur: *nec rursus aperto Vult hostes errare freto. Rursus* idem est quod *contra: terra* igitur et *fretum* hic opponuntur. Dolenter et aegre tulit Caesar, vel *terra* Pompejum vel *mari* consistere. *Terram, Tamen*, apud veteres librarios faciunt *T'ram, Tam̄.*

661. — *Sed molibus undas Obstruit, et latum dejectis rupibus aequor.]* Mira hic seu librarii sive correctores facinora ediderunt. Illud vide: *obstruit undas molibus, et latum aequor dejectis rupibus:* ubi posterius colon sine verbo incedit, pondere gravi et inutili: nihil enim sensui addit, nihil habet ex more geniove Lucani. Quid, quod *latum aequor*, ineptissime hic dictum? quis enim tam demens, ut tale iret obstructum? Quid denique est *dejectis rupibus?* injectis potius, aggerem enim injectum esse significat. Favebit lector non malignus, si tot in una sententia vitiis poetam liberavero; sic ut non meam manum sed veterem auctoris restituam. Lege igitur:

— *sed molibus undas*
Obstruit, ELIDITQUE INGESTIS *rupibus aequor.*

Elidit aequor ingestis rupibus, ut Noster VI, 56.

Tot potuere manus aut jungere Seston Abydo,
INGESTOQUE *solo Phryxeum* ELIDERE PONTUM.

Petronius *v.* 120.

Expelluntur aquae saxis, mare nascitur arvis.

Curtius de re simili, IV, 2. *Jamque a fundo maris in altitudinem montis opus excreverat* (lege ex codice vetusto, in altitudinem MODICAM) *nondum tamen aquae fastigium aequabat: et quo longius* MOLES *agebatur a*

Cedit in immensum cassus labor: omnia pontus
Haurit saxa vorax, montesque immiscet arenis:
Ut maris Aegaei medias si celsus in undas
Depellatur Eryx, nullae tamen aequore rupes

litore, hoc magis quicquid INGEREBATUR *praealtum absorbebat mare.* Caesar ipse Bell. civ. 1, 25. *Qua fauces erant angustissimae portus, molem atque aggerem ab utraque parte litoris jaciebat, quod his locis erat mare vadosum. longius progressus, cum agger altiore aqua contineri non posset, rates duplices quoquo versus pedum* xxx, *e regione maris collocabat.* Vides, quod in vulgata lectione *latum aequor* est, id apud Caesarem esse *fauces angustissimas.* unde locum esse depravatum certo intelligas; nec minus dubites de certa emendatione. nam et literarum ductus non multum abludunt, *elatū deiectis, eliditī gestis.*

663. *Cedit in immensum cassus labor:]* *Cedere, cadere, in cassum, in vanum, in irritum,* intelligo quid velint. Seneca Thyeste, 1067. *Cecidit in cassum dolor.* Hippolyto, 181. *Cedit in vanum labor.* Sed *cedere in immensum,* aut nihil est, aut sententiae plane contrarium. aut fallor, aut scripsit poeta,

CRESCIT *in immensum cassus labor.*

Plinius Hist xiv, 1. *Unde nobis crevit labor.* Ovid. Met. iv, 660.

— tum partes auctus in omnes,
Crevit in immensum.

Fast. v, 537.

Creverat immensum.

Duo igitur dicit auctor, et laborem crevisse in immensum, et incassum quoque cecidisse.

665. *Ut maris Aegaei medias si celsus in undas Depellatur Eryx,]* Eryx Siciliae mons ad promontorium Lilybaeum. Quid ergo illi est cum mari *Aegaeo,* quasi una ex Cycladibus esset? Certe in mare tam longinquum non *depellatur,* sed *projiciatur* dictum oportuit. unde factum, ut pro *Eryx* jam olim Sabellicus *Athos* substituerit. Atqui de Atho mox agetur *v.* 677. *In medium deferret Athon.* alius igitur lapis movendus est. Recte habet Eryx; sed pro *Aegaei,* vel reponendum erit *Ausonii,* vel *Ionii,* vel *Aeolii.* Strabo lib. II. [p. 84, 39. ed. Casaub.] *Τὸ Αὐσόνιον μὲν πάλαι, νῦν δὲ καλούμενον Σικελικὸν (πέλαγος): Quod olim Ausonium, nunc Siculum vocatum mare.* et lib. v. [p. 161, 14. ed. Casaub.] *Τῶν δ᾽ Αὐσόνων οὐδ᾽ ἅπαξ οἰκησάντων ἐπὶ τῇ Σικελικῇ θαλάττῃ, τὸ πέλαγος ὅμως Αὐσόνιον καλεῖται. Quamvis Ausones numquam habitaverint ad mare Siculum, id tamen pelagus Ausonium vocatur.* Pindarus ad Syracusas ponit *Ἰόνιον θάλασσαν,* Pyth. III, [*v.* 121.] ubi Scholiastae, *Ἰόνιον πέλαγος τὸ περὶ Σικελίαν, Ionium pelagus, quod ad Siciliam est.* Lucretius 1, 712, de Empedocle,

Insula quem triquetris terrarum gessit in oris;
Quam fluitans CIRCUM *magnis anfractibus aequor*
IONIUM *glaucis adspergit virus ab undis.*

Vides hunc totum *circa* Siciliam pelagus *Ionium* vocare. Alii pro tribus promontoriis tria maria assignant, Ionium, Libycum, Tuscum. Claud. 1, Proserp. 146.

Nunc illam, socia raptam tellure, trisulcam

Emineant, vel si convulso vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus stagnantis Averni.
Ergo ubi nulla vado tenuit sua pondera moles,
Tunc placuit caesis innectere vincula silvis,
Roboraque immensis late religare catenis.
Tales fama canit tumidum super aequora Xerxem

667. *Gaurus*, *G* manu alia ex *T*, correcta est. b. 669. miles, *o* et punctum manu secunda, sic et *moles* in margine. c. 672. Tal*is*, d. Xerxe*n*, b. *Sersen.*, in margine ab alia manu scripto *Serxen.* c.

Opposuit Natura mari: caput inde Pachyni
Respuit Ionias *praetentis rupibus iras:*
Hinc latrat Gaetula *Thetis, Lilybaeaque pulsat*
Brachia consurgens; hinc dedignata teneri
Concutit objectum rabies Tyrrhena Pelorum.

Silius XIV, 72.

Hic versi penitus Pelopea ad regna Pachyni
Pulsata Ionio respondent saxa profundo.

Denique et *maris Aeolii* recte possis substituere. Silius XIV, 232.

Litora Thermarum, prisca dotata camena,
Armavere suos: qua mergitur Himera ponto
AEOLIO.

Eryx, Himera sive Thermae, Aeoliae insulae, in eodem Siciliae latere sitae sunt: inde mare Aeolium. Atque hoc vel ideo praetulerim, quia ab *Aeolii* ad *Aegei* pronus et facilis lapsus est.

670. *Tunc placuit caesis innectere vincula silvis,]* Quod Caesar per *rates duplices* se effecisse dicit; id Noster per σχεδίαν et rabes connexas factum esse narrat. Potuit fide historica sic dixisse,

Tunc placuit junctis *innectere vincla* carinis.

672. *Tales fama canit tumidum super aequora Xerxem Construxisse vias,]* Numquam commiserat Noster, ut versus tam scabre aspereque exiret, *Aequora Xerxem.* Recte igitur Colbertinus veterrimus PERSEN: *tumidus Perses* satis superque Xerxem signat, ut *Medus* Juvenali X, 177.

— *credimus altos*
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente.

Ceterum pro *construxisse* Bersmanni codex CONSTITUISSE; unus e recentioribus nostris, CONTRASSISSE. Tu auctoris manum repone,

Tales fama canit tumidum super aequora PERSEN
CONSTRAVISSE *vias.*

Plinius Hist. IV, 24. *Primas angustias Hellespontum vocant: hac Xerxes Persarum rex,* CONSTRATO *in navibus* PONTE, *duxit exercitum.* Justinus II, 10. *Xerxes ante experimentum belli, fiducia virium, veluti natu-*

Construxisse vias, multum cum pontibus ausus,
Europamque Asiae, Sestonque admovit Abydo,

rae ipsius dominus quaedam maria PONTIBUS STERNEBAT. Livius x, 47. VIA *a Martis silice ad Bovillas* PERSTRATA *est.* Virgilius [Aen. I, 422. ubi cf. Cerdam.] et Lucretius, [I, 316.] STRATA VIARUM.

673. — *Multum cum pontibus ausus, Europamque Asiae, Sestonque admovit Abydo,]* Nihil tam putidum, tam ridiculum in quoquam, opinor, scriptore occurrit, quam *multum ausus pontibus.* piget eventilare; neque ullus editorum probare hoc potuit; utcumque dissimulaverit. Ex Pomponii Melae loco fluxisse hoc arbitror, II, 2. *Est et regio, in qua Persarum exercitus divisas spatio pelagoque terras ausus pontibus jungere (mirum atque ingens facinus) ex Asia in Graeciam pedes, et non navigata maria transmisit.* Cum hic dixisset, *ausus pontibus jungere,* corrector aliquis hoc arripuit, et Lucano illevit. Atqui VIAS jam dixerat Noster, ut *pontibus* addere ineptum fuerit. neque exitum habet oratio; deest enim *jungere* vel simile quid. Spero me sententiam saltem auctoris e tenebris reduxisse: legere ergo poteris,

> *Constravisse vias;* TUM CUM DEMENTIBUS AUSIS
> EUROPEN *Asiae, Sestonque admovit Abydo.*

Et *ausis* quidem, quod vel sine codice in promtu erat, Colbertinus veterrimus habet. *Europen* autem Graeca terminatione, ut *Seston.* Ovid. Met. v, 648.

> *Jam super* Europen *sublimis et Asida terram.*

Sententia per se clara est. *Tum cum* et *multum cum,* passim habes, tam separatim quam junctim. Ovid. Heroid. I, [v. 5.]

> *O utinam,* tum cum *Lacedaemona classe petebat,*
> *Obrutus insanis esset adulter aquis.*

ubi mendum obiter corrigendum. Cur enim *insanis aquis?* crediderim, *sanas* potius dicendas fuisse, si justis fluctibus adulterum obruissent. Repono,

> *Obrutus* INCANIS *esset adulter aquis.*

Incanus, πολιὸς, legitimum maris epitheton. Idem erratum in Virgilio haesit Eclog. IX. [39. 43.]

> *Huc ades, o Galatea, quis est nam ludus in undis?*
> *Huc ades: insani feriant sine litora fluctus.*

Legendum puto INCANI: quippe ex Theocrito verbum verbo expressum, Idyll. XI. [v. 42.]

> *'Αλλ' ἀφίκευ τὺ ποτ' ἄμμε, καὶ ἑξεῖς ὐδὲν ἔλασσον,*
> *Τὰν ΓΛΑΥΚΑΝ δὲ θάλασσαν ἔα ποτὶ χέρσον ὀρεχθεῖν.*

Poteris etiam, et fortasse verius:

> *Constravisse vias,* OLIM *cum* INGENTIBUS *ausis.*

ut Mela, *Mirum atque* INGENS *facinus.* BENTL.

Obelo hunc locum notaverat HEINSIUS veluti suspectum. BURMANNUS, idoneum inde sensum non posse elici videns, conjiciebat *stulto cum pontibus ausu.* Bentlejus quoque tentabat *tunc cum dementibus ausis,* vel *olim cum ingentibus ausis,* et mox hoc modo refingebat versum 675:

> *Incessitque* PEDES RAPIDUM *super* HELLESPONTUM.

Mihi in senatu critico sententiam dicere si licuerit, *locum non solum corruptum sed et interpolatum videri, pronunciabo.* Ratio haec est. Illud *pontibus* corruptum est, quia hoc satis indi-

Incessitque fretum rapidi super Hellesponti,
Non Eurum, Zephyrumque timens: cum vela, ratesque

b a
675. ponti rap. sup. elles[a], in margine "*ponti*, manu alia. c. 676. zeph*i*ri, c. ut semper.

cant illa verba, *Tales vias construxisse Persen.* Dein vero illa, quae sequuntur,

Non Eurum Zephyrumque timens, cum vela ratesque
In medium deferret Athon. Sic ora profundi
Artantur casu nemorum,

proletaria sunt, et interpolatoriam manum olent. Neque enim *Athos velificatus* quidquam ad Lucanum facit, cujus menti plane adversatur. Quanta porro elegantia, *deferre vela et rates in medium Athon?* Quam delicati Scholiastes palati fuerit, ex his, quae notat, patere potest. *Athonem montem intercidit et mare admisit. Hoc ergo dicit poeta. Plaustris per Abydon ibat ad Seston, et ferebat naves in medium Athon.* Papae! Hoc est sapere! Nullum montem ad navigationis compendium perfodi jussit Caesar. Athos igitur ἀπροσδιόνυσος: quare hinc facessat. *Casus ille nemorum* etiam nihil venustatis habet, et caussa esse videtur, cur *ora illa profundi* otiose *v.* 681. repetantur; quin et Sic redundat, cum ἀπόδοσις comparationis jam praecesserit, ut quilibet videre potest. In malam rem igitur simul cum Atho abeat hoc putidum emblema. Bentlejo certe haec merito spuria visa fuere. In Turriano Cod. erat *cum montibus ausis.* Legendum puto,

Tales fama canit tumidum super aequora Persen
Constravisse vias, magnis *cum* conscius *ausis*.
Europamque Asiae, Sestonque admovit Abydo,
Inclusitque *fretum* ratibus! *Tunc aggere multo*
Surgit opus, longaeque tremunt super aequora turres.

constravisse lego pro *construxisse* vel *constituisse.* Nam *constituere* vel *construere viam* hoc sensu dici non memini. *Sternere viam, sternere pontes*, et *sternere* et *consternere maria pontibus* recte dicitur. Justinus *Lib.* ii. *Cap.* x: *maria quaedam pontibus sternebat.* Inde constrata *pontium* apud Livium *Lib.* xxx. *Cap.* x. Conscius magnis ausis, id est, *fidens viribus suis*, *quibus se haec facile effecturum sciebat.* Conscius enim saepe notat *eum, qui novit*, *quid facere possit.* Sic *conscius irae atque iracundiae*, qui novit, quam facile irasci soleret. Sueton. *Claud. Cap.* xxxviii. Tandem *inclusitque fretum ratibus* reposui, id est, *clausit* et *texit Hellespontum ratibus*, adeoque recte se habet similitudo cum operibus Caesaris, quibus Pompejum in portu circumvallare et exitu prohibere instituit, aggere per mare ducto. Quemadmodum de Xerxe dixit *clausit fretum ratibus*, sic de Caesare *v.* 661. dicit *molibus undas obstruit. Inclusit* et *Incessit* facile confundi potuere. *Incessit super fretum* non adeo poeticum, et sic in tribus continuis versibus *super* inepte repetitur, ut recte observavit Oudendorpius. *Ratibus* in *rapidi* facile mutari potuit. Reliqua spuria. *Rapidus Hellespontus* Catullo sublectus. *Artantur casu nemorum* ex Lucano *v.* 661. et 670 efficta. Judicent Eruditi. Jev.

675. *Incessitque fretum rapidi super Hellesponti, Non Eurum, Zephyrumque timens:]* Nihil sa-

In medium deferret Athon. sic ora profundi
Arctantur casu nemorum: tunc aggere multo
Surgit opus, longaeque tremunt super aequora turres.
Pompeius tellure nova compressa profundi
Ora videns, curis animum mordacibus angit,
Ut reseret pelagus, spargatque per aequora bellum.
Saepe Noto plenae, tensisque rudentibus actae
Ipsa maris per claustra rates fastigia molis
Discussere salo, spatiumque dedere carinis:
Tortaque per tenebras validis ballista lacertis,

683. Not*h*o, ita semper. c.

686. To*r*taque, *r* a manu sec. addita est. b.

ni coloris praefert iste versus: scripsit, ut reor, poeta,

Incessitque PEDES *rapi*DUM *super Hellespon*TUM.

Pedes peditis, quod pro accusativo plurali acceptum correctori alicui caliginem offudit. *Pedes*, πεζὸς, *incessit:* ut supra Mela, *Ex Asia in Graeciam* PEDES *maria transgressus est. Zephyrumve* autem pro *que*, sensu ipso flagitante.

677. — *Sic ora profundi Arctantur casu nemorum:]* Non hoc solo loco interpolator aliquis vel in medios versus laciniam suam inseruit. credebat scilicet, deesse hic aliquid, quo superior comparatio sequentibus aptaretur: ignarus, illud TALES *fama refert* ad priora, non posteriora vi ipsius verbi respicere. Unde vero tam bellum hoc sarcinavit? ex proximis nimirum versibus. versu 670. erat *caesis silvis;* istinc *casu nemorum* confecit, quasi *cadere* idem esset ac *caedere.* in eo vero et se et stuporem suum prodidit, quod *ora profundi* ex altero post versu est mutuatus, *compressa profundi Ora videns:* ne vulpeculae quidem solertia imbutus, quae numquam ex proximo furatur. Tolle igitur hoc alienum emblema, et auctorem sibi vindica,

In medium deferret Athon. [sic ora profundi
Artantur casu nemorum] *Tunc aggere multo*
Surgit opus.

685. *Spatiumque dedere carinis:]* Quid hoc monstri, *Rates dedere spatium carinis?* Nihil insulsius dici potuit. Legendum puto,

Saepe Noto plenae, tensisque rudentibus actae,
Ipsa maris per claustra rates fastigia molis
Discussere salo, spatiumque dedere RUINAE.

ruinae disjectae molis spatium ad exitum fecere. LUCAN. *Lib.* VI. *v.* 121.

Et raptum furto, soceri cessantibus armis,
Dedignatur iter, LATIS *exire* RUINIS
Quaerit, et impulso turres perfringere vallo.

Multifidas jaculata faces. Ut tempora tandem
Furtivae placuere fugae: ne littora clamor
Nauticus exagitet, neu buccina dividat horas,
Neu tuba praemonitos perducat ad aequora nautas
Praecepit sociis. jam coeperat ultima Virgo
Phoebum laturas ortu praecedere Chelas,
Cum taciti solvere rates. non anchora voces
Movit, dum spissis avellitur uncus arenis:
Dum juga curvantur mali, dumque ardua pinus
Erigitur, pavidi classis siluere magistri:
Strictaque pandentes deducunt carbasa nautae,
Nec quatiunt validos, ne sibilet aura, rudentes.
Dux etiam votis hoc te, Fortuna, precatur,

688. furtivae. c. 690. p*er*monitos, b. d. *de*ducat. d. 693. tacit*as*, b. 694. cum, b. 696. classis pavidi. c. 697. pendentes, b. c. d. 699. et *jam*, d.

ruinae et *carinae* saepe in MSS. confusa. *Vid. Cel.* Burmann. *ad Lib.* viii. *v.* 269. et *Lib.* ix. *v.* 33. Jev.

690. *Neu tuba praemonitos perducat ad aequora nautas]* Satis speciose confictus est hic versus. Tuba enim nautae admonebantur ad vela et remos, cum e portu exeundum erat. Seneca Troad. 1042.

Et tuba *jussi dare vela nautae.*

Idem Agamem. 427.

Signum recursus regia ut fulsit rate,
Et clara lentum remigem monuit tuba.

sed in eo deficit, quod quos in navibus paratos tuba Senecae velis remisque incumbere jubet, hujus tuba ex tabernis et popinis *ad aequora perducat.* Atqui versu priore jam *nautae* oppidum reliquerant, *ne litora clamor Nauticus exagitet.* Quid quod repetitio ipsa, primo *nauticus*, mox versu sequente *nautas*, et septimo post rursus *nautae*, manifeste interpolatorem redarguat? Quamobrem, qui me audiet, inter spurios numerabit.

693. *Cum taciti solvere rates.]* Colbertinus prior, Trin. Arund. Bersmanni unus, et Pulmanni duo,

Cum tacitas *solvere rates.*

Placet, ut figuratum magis et poeticum.

697. *Strictaque pandentes deducunt carbasa nautae.]* Nescio unde venerit illud *pandentes*: nostri omnes veteres novique cum Rom. et Ven. pendentes. Silius iii, 129.

Et promota ratis, pendentibus arbore nautis,
Aptabat sensim pulsanti carbasa *vento.*

ubi frustra dubitat Heinsius, an *pandentibus* scribendum sit. Ovid. Metam. vi, 232.

Quam retinere vetas, liceat sibi perdere saltem
Italiam. Vix fata sinunt. nam murmure vasto

701. Ytaliam, ita fere semper. c.

— *veluti cum praescius imbris*
Nube fugit visa, pendentiaque *undique rector*
Carbasa deducit, *ne qua levis effluat aura.*

700. *Liceat sibi perdere saltem]* Quid hoc significet, nescire me fateor. *Prodere* rescribebat HEINSIUS. BURMANNUS cum ceteris interpretibus vulgatam servat, atque explicat illud *perdere* per *amittere*, *Caesari relinquere.* Ast sic ineptis Fortunam precibus fatigaverit Pompejus: siquidem, Italia excedendo, Caesari eam sponte tradebat, ut ne votis quidem opus fuerit. Lege, ut dedit poeta,

liceat sibi CERNERE *saltem Italiam.*

Desiderio patriae ingenti ardebat Pompejus; invitus eam relinquebat; oculos, quamdiu posset, satiare cupiebat visu patriae. Optat igitur, *ut illam sibi saltem cernere liceat.* Probat ipse LUCANUS *Lib.* III. *initio:*

Omnis in Ionios spectabat navita fluctus:
Solus ab Hesperia non flexit lumina terra
Magnus, dum patrios portus, dum litora numquam
Ad visus reditura suos, tectumque cacumen
Nubibus, et dubios cernit vanescere montes.

verum, quid illa sequentia, *fluctuat unda* etc. sibi velint, divinare nequeo. BURMANNUS etiam imperfectum sensum agnovit, adeoque legere malebat,

Totque carinarum PERMISCENT *aequora sulci,*

(quod et Gujetus conjecerat) vel *sulcos.* Bentlejus refingebat,

fluctuat unda
TORTA *carinarum permixtis* VERBERE *sulcis.*

Corrupta haec certe sunt et mendosa. *Mare, unda, aequora* in duobus continuis versibus Lucani manum non arguit. Legendum puto,

Dux etiam votis hoc te, Fortuna, precatur,
Quam retinere vetas, liceat sibi CERNERE *saltem*
Italiam. Vix fata sinunt. JAM *murmure vasto*
Impulsum rostris sonuit mare: fluctuat unda
TOTA *carinarum permixtis* ORDINE *sulcis.*

hoc sensu: *Pompejus precatur Fortunam, ut, cum relinquere cogatur Italiam, sibi saltem eam aliquamdiu cernere liceat. Fata non sinunt. Nam* JAM STATIM *altum tenent rates, et aequor totum fluctuat sulcis carinarum* ORDINE *navigantium. Jam* elegans particula, quae celeritatem notat. JAM, id est, *statim.* STATIUS *Lib.* I. *Silv.* II. *v.* 144.

Jungit Amor, laetamque vehens per nubila matrem
Gemmato temone sedet. JAM *Thybris et arces*
Iliacae! Pandit nitidos domus alta Penates.

et *Lib.* III. *Silv.* IV. *v.* 47.

Nec mora. JAM *Latii montes veteresque Penates*
Euandri etc.

id est, *jam apparent, statim in conspectu sunt. Nam* et *jam* frequenter confusa in MSS. Vid. DRAKENBORCH. *et quos laudat*

Impulsum rostris sonuit mare, fluctuat unda,
Totque carinarum permistis aequora sulcis.
Ergo hostes portis, quas omnes solverat urbis
Cum fato conversa fides, murisque recepti,
Praecipiti cursu flexi per cornua portus
Ora petunt, pelagusque dolent contingere classes.
Heu pudor, exigua est fugiens victoria Magnus.
Angustus puppes mittebat in aequora limes

708. *figiens*, *u* a manu sec. supra *i* scripta. c.

ad SIL. ITAL. *Lib.* IX. *v.* 242. OUDENDORP. *ad* LUCAN. *Lib.* II. *v.* 214. *et alios.* Dein TOTA *unda, fluctuat carinis* ORDINE *motis. Permixtae carinae* LUCANO sunt *ordine justo navigantes.* Sic *Lib.* v, *v.* 706.

solvere carinas,
Quas ventus doctaeque PARI MODERAMINE *dextrae*
PERMIXTAS HABUERE *diu, latumque per aequor*
Ut terrestre coit, consertis puppibus, agmen.

Sic, nisi fallor, omnia plana et perspicua erunt. JEV.

703. — *Sonuit mare, fluctuat unda, Totque carinarum permistis aequora sulcis.]* Quot nomina significationis ejusdem, *mare, unda, aequora*, in acervum congesta sunt? *Fluctuat unda aequoraque:* an quicquam pote putidius? *Que* etiam alieno loco venit: dicendum utique fuit *aequoraque*, nisi casu recto accipias TOT; *tot aequora*, non tot *carinarum.* Haec non scripsisse Nostrum certo scio; ista vero, quae daturus sum, scripsisse eum existimo,

— fluctuat unda
TORTA *carinarum permixtis* VERBERE *sulcis.*

Torta unda, ut Ovid. Fast. v, 644.

Ille meas remis advena torsit aquas.

Virg. Georg. IV, 528.

Haec Proteus: et se jactu dedit aequor in altum,
Quaque dedit, spumantem undam sub vertice torsit.

Verbere scilicet remorum: *fluctuat unda*, et sulcis carinarum et remorum verbere torta. Noster III, 535.

— Bruti praetoria puppis
Verberibus *senis agitur.*

Silius XI, 490.

Centeno fractus spumabat verbere *pontus.*

et XIV, 360.

Verberibus torsere *fretum: salis icta frequenti*
Albescit pulsu facies: perque aequora late
Spumat canenti sulcatus *gurgite limes.*

707. — *Pelagusque dolent contingere classes.]* Quot, quaeso, classes in uno portu? praesertim cum ex historia notum sit, et una et modica classe e Brundisio evasisse Pompejum. Sic mox *v.* 714. *Cetera classis abit;* non *ceterae classes.* et III, 1. *Propulit ut classem.* Colbertinus veterrimus CLASSIS. Si CLASSEM reponere velis; acumen in eo erit, quod hi doleant classem

Arctior Euboica, qua Chalcida verberat, unda.
Hic haesere rates geminae, classique paratas
Excepere manus: tractoque in littora bello,
Hic primum rubuit civili sanguine Nereus.
Cetera classis abit summis spoliata carinis:
Ut Pagasaea ratis peteret cum Phasidos undas,
Cyaneas tellus emisit in aequora cautes,

710. A*rt*ior, ita semper. c. qu*ae*, b. d. Colc*h*ida. c. 712. *ad* lit. b. littor*e*, c.

contingere *pelagus;* cum naviganites optent contingere *portum.* Sin CLASSI magis arrideat, *contingere* erit evenire, apertum esse: et nullum erit, ut in duobus accusativis, ambiguum. [Virg. Aen. XI, 371.]

Scilicet ut Turno contingat *regia conjunx.*

711. — *Classique paratas Excepere manus:]* *Manus ferreas* seu uncos accipiunt hic interpretes: Caesar ipse nihil tale habet. Bel. Civ. I, 28. *Duas*, inquit, *naves cum militibus*, *quae ad moles Caesaris adhaeserant*, *scaphis lintribusque deprehendunt (milites)*, *deprehensas* EXCIPIUNT. ubi nota illud *excipiunt*, et vel inde discas, veram hic esse Bersmanniani codicis lectionem PARATAE: totumque adeo sic corrigendum:

— CAEDIQUE PARATAE
Excepere manus.

Quippe *excipere* et hic et apud Caesarem perinde est ac *occidere. Paratae caedi* active, expeditae ad caedem. ut Aeneid. II, 334.

— stat ferri acies, mucrone corusco
Stricta, parata neci.

Caedi sine dubio, non classi: ne v. 707. *classi,* hic iterum *classi*, et mox 714, *classis* summo taedio inculcentur.

714. *Cetera classis abit summis spoliata carinis:]* *summis* interpretantur *extremis*, *ultimis*, ut IV, 155. *Jamque agmina summa Carpit eques.* Sed animum adverte, quod ex historia hoc redarguitur; non enim ideo captae, quod *ultimae* essent, sed quod *haererent ad moles.* remis scilicet confractis, proris ad cautes illisis, carinis fundo insidentibus. Quis vero, nisi ligneus plane poeta, *summas carinas* vel de totis navibus dixerit? id adeo, quia proprie pars *ima* navis carina est. Scripsit auctor, aut augur ego vanus sum:

Cetera classis abit SOCIIS *spoliata carinis.*

Sociae carinae, ut *socia arma*, *socia agmina*, *sociae acies.* Ovid. Met. XIII, 352.

Nec tu cum socia *clypeum pro* classe *tenebas.*

Aeneid. V, 35.

At procul e celso miratus vertice montis
Adventum sociasque rates, *occurrit Acestes.*

716. *Cyaneas tellus emisit in aequora cautes]* Non tum solum, cum Argo Phasin peteret, Cyaneae petrae concurrere solebant; sed antea semper. praeterea hiulca et ἀσύνδετος oratio est, nec sapit auctorem, quem scripsisse credo,

Rapta puppe minor subducta est montibus Argo,
Vanaque percussit pontum Symplegas inanem,

717. Rapta, c. subducta, supra posito *vel descendit*, b.

Cyaneas tellus QUA *misit in aequora cautes.*

Emisit, *q̄misit*. Cum peteret Phasin, *qua* misit, etc. hoc est, cum peteret per cautes Cyaneas.

717. *Rapta puppe minor subducta est montibus Argo.*] Si rapta et abscissa erat *puppis*, vix fieri potuit, quin Argo mergeretur statim, et in mare desideret, et Tiphys gubernator, in puppe sedens, eliderelur. nec famam igitur auctor hic secutus est, si ita scripsit, nec sensum communem. satis utique est, si non tota *puppis*, sed pars ejus rapta sit; ut Aeneid. [v,] 858.

Et super incumbens, cum puppis parte *revolsa*
Cumque gubernaclo, liquidas projecit in undas.

Ergo hic vel reponendum,

Rapta PARTE *minor subducta est montibus Argo.*

parte Argus scilicet. Valerius Flac. IV, 691, de re eadem,

Saxa sed extremis tamen increpuere corymbis
PARSQUE *(nefas) deprensa jugis: nam cetera caelo*
Debita.

et VIII, 194.

Sat mihi non totis Argo redit ecce corymbis.

Apollonius quoque II, 603.

Ἔμπης δ' ἀφλάστοιο παρέθρισαν ἄκρα κόρυμβα.

Vides, non *puppem* ipsam, sed *κόρυμβα τοῦ ἀφλάστου*, extremam puppis partem abscissam fuisse: vel denique ex tribus Bersmanni libris et Veneta reponendum, RUPTA *puppe:* ut vel eo ipso pars tantum puppis *rapta* intelligatur. Priscianus tamen, ut nostrae omnes membranae, p. 761, ubi de ablativis *puppi* et *puppe* agit, *Rapta puppe* habet: et sic ibi codex insignis Cantab. Mox quod sequitur,

Vanaque percussit pontum Symplegas inanem,

imitatus est Valer. Flaccus IV, 221.

Et ponto volitet Symplegas inani. BENTL.

Locus hic pluribus mendis scatet. Videamus ineptias librariorum, ut facilior medicina evadat. *Argo* et *Pagasaea ratis* inepta *ταυτολογίᾳ* conjunguntur; idem dixero de *cautibus, montibus* et *Symplegade.* Praeterea, quid in medio mari hic *tellus* faciat, videre nequeo, nec, quomodo illa *Cyaneas in aequora emittere* potuerit? Talibus plagis confossus, tantis vulneribus deformatus, tot sordibus conspurcatus, non miror, si quibusdam viris doctis displicuerit adeo Lucanus; miror magis, cum tot doctissimos interpretes habuerit, cum summorum criticorum, GROTII, HEINSII, OUDENDORPII, BURMANNI, BENTLEJI (qualium heroum, Dii boni!) curam limamque expertus sit, qui fieri potuerit, ut fato infelici tot vomicae in eo remanserint! Quo magis, spero, favebunt conatibus nostris eruditi, si felici successu neque irrito plane conatu salutarem Lucano manum admovisse me videant, et, sicubi forte in impedito hoc opere erravero, humanae imbecillitatis memores benignius judicabunt! Sed haec *ὡς ἐν παρόδῳ.* Nunc ad Lucanum, cui certam salutem jam affero. Lego hoc modo desperatum hunc locum:

Ut, Pagasaea MANUS *peteret cum Phasidos undas,*

Et statura redit. Jam Phoebum urgere monebat
Non idem Eoi color aetheris, albaque nondum

719. monebat, adscripto *vel paravit.* c.

*Cyaneas*QUE AESTUS COMMISIT IN AEQUORE *cautes,*
Rapta puppe minor subducta est ICTIBUS *Argo,*
Vanaque percussit pontum Symplegas inanem.

Pagasaea manus sunt Argonautae, qui Colchos vecti sunt ad petendum vellus aureum. Posset et legi *Pagasaea cohors*, ut *infra Lib.* IV. *v.* 550.

Sic semine Cadmi
Emicuit DIRCAEA COHORS.

dein, *aestus commisit cautes* rescripsi, verissima, nisi fallor, emendatione. *Aestus ingens erat maris, concurrentibus Symplegadibus, et rursum discedentibus*, teste VALER. FLACCO *Lib.* IV. *v.* 656.

UNDA *laborantes* PRAECEPS *rotat, ac* FUGA PONTI
OBVIA: *miscentur rupes, jamque aequore toto*
Cyaneae juga praecipites illisa remittunt.

Probat STATIUS *Lib.* I. *Silv.* II. *v.* 40.

Si CYANEOS *raperere per* AESTUS.

Commisit cautes, id est, *collisit, concurrere fecit.* Unde *concurrentes cautes* SYMPLEGADAS vocat NASO *Lib.* II. *Amor. El.* XI. *v.* 3. *committere* propria in hac re phrasis, quasi cum *par gladiatorum committitur ad depugnandum.* ICTIBUS pro *montibus* recte BENTLEJUS, qui et *rapta parte* volebat pro *puppe;* male et contra codices. *Rapta puppe* bene se habet; nam in puppe extrema damnum sensit Argo, cum transiret Symplegadas. VALER. FLACC. *Lib.* IV. *v.* 691.

Saxa sed EXTREMIS *tamen increpuere* CORYMBIS,
Parsque (nefas) deprensa jugis.

partem corymborum, sive ornamentorum navis, quae in extrema puppe erant, concursu Symplegadum interceptam ait: atque ita comparatio classis Pompejanae, postremis duabus navibus spoliatae, egregie sibi constat. JEV.

720. *Albaque nondum Lux rubet,]* Haec rursus pessime corrupta! Dicit auctor, NON EUMDEM, id est, *mutatum in Oriente aetheris colorem indicium orituri solis exhibuisse.* Ast, cur jam inepte subjungit, ALBAM *lucem nondum rubere*, et (quod admiratione summa dignum!) *flammas sive splendorem vicinis astris eripere?* Nullus doctissimorum interpretum locum suspectum habuit. *Cel.* BURMANNUS tamen in explicatione horum verborum, *non idem color*, haesisse videtur, dicens, colorem illum esse *medium quasi inter album et nigrum.* Corrupta lectio summum criticum in errorem duxit. Attenta coeli contemplatio; ab Aurora ad solis ortum, has tenebras facile dispulerit, et poetae, rerum naturae convenienter scribentis, mentem veramque manum nobis vindicaverit. Legendum censeo,

Jam Phoebum urguere monebat
Non idem Eoi color aetheris, ALTAQUE MUNDO
Lux rubet, et flammas propioribus eripit astris.

Alta lux rubet mundo, id est, clarus dies jam coelum roseo rubore perfundit. MUNDUS est *coelum.* Ita passim poetae! *Alta lux.* Sic *Lib.* IV. *v.* 527.

Lux rubet, et flammas propioribus eripit astris,
Et jam Pleias hebet, fessi jam plaustra Bootae
In faciem puri redeunt languentia coeli,
Majoresque latent stellae, calidumque refugit
Lucifer ipse diem. pelagus jam, Magne, tenebas,
Non ea fata ferens, quae, cum super aequora toto
Praedonem sequerere mari. lassata triumphis

722. Pl*i*ias, *i* ex *e* correcta. d. *flexi*, b. c. d. 726. aequor*e*, b. 727. mari*s*, b.

Vicino cum LUX ALTISSIMA *Cancro est.*

Eleganter vero *lux coelo rubere* dicitur. ita *Lib.* IV. *v.* 125.

Et NOCTES *ventura* LUCE RUBEBANT.

ad quem locum plura nobis dicenda erunt. SENECA *Herc. Fur. v.* 135.

ADSPERSA DIE *dumeta* RUBENT.

flexi Bootae plaustra optime vindicatum *Cl.* OUDENDORPIO. JEV.

722. — *Fessi jam plaustra Bootae]* *Piger* quidem et *tardus* recte dicitur Bootes; qui non longe a polo situs in minore circulo tardius ire videatur necesse est. At cur *fessus* dicatur, qui aequali semper tenore circumagitur, nec ratio nec exemplum est. FLEXI habent omnes codices cum Rom. et Ven. *Flexi plaustra Bootae* vel poetice pro *flexa plaustra;* vel, quod verum est, quia, quibus neutrum sidus umquam occidit, *flecti* et *verti* tam Bootes quam plaustrum videtur. Noster IV, 523.

— flexoque *Ursae* temone *paverent.*

Ovid. Met. x, 447.

Flexerat *obliquo* plaustrum temone *Bootes.*

Seneca Herc. Fur. 129.

Signum celsi glaciale poli
Septem stellis Arcades ursae
Lucem verso temone *vocant.*

ubi corrigendum obiter, ut puto:

Signum celso *glaciale polo*
Septem stellis Arcados *ursae*
Lucem verso temone vocat.

Non enim utraque ursa Arcades; minor Cressa est, nec temonem habet.

726. — *Quae, cum super aequora toto Praedonem sequerere mari.]* Lepida vero oratio, *toto mari super aequora,* sed et vulnus et auxilium hic ferunt librarii. MARIS habent Puteaneus et Harleianus. Pro *toto* Meadianus, Arundelianus, *tota;* Bersmanni codex, et pro varia lectione Colbertinus sec., VICTOR: quod interpolator aliquis, vulgata lectione merito offensus, videtur substituisse. scripsit enim auctor,

— *Quae cum super aequora* TOTA
Praedonem sequerere MARIS.

Praedo maris est pirata. Nepos in Themistocle [*c.* 2.]: *Deinde* maritimos praedones *consectando, mare tutum reddidit.* Val. Maximus VI, 9. [§. 15.] *C. Caesar a* maritimis praedonibus *circa insulam Pharmacusam exceptus.* TOTA *aequora*, ut de re eadem Florus III, 6. [§. 11.] *Sic per omnes aequoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quicquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum et oppressum est.*

727. — *Lassata triumphis De-*

Descivit fortuna tuis. cum conjuge pulsus,
Et natis, totosque trahens in bella penates,
Vadis adhuc ingens populis comitantibus exul.
Quaeritur indignae sedes longinqua ruinae.
Non quia te Superi patrio privare sepulcro
Maluerint: Phariae busto damnantur arenae:
Parcitur Hesperiae, procul hoc ut in orbe remoto

728. De *esivit; esivit* a manu sec. in membrana erasa, supra scripto *vel defecit*, b. Des*titu*it, supra posito *descivit*, c. Des*titu*it d, sed *estituit* in membr. erasa. 734. h*inc*, c. *et*, b. c. d.

Explicit secundus liber Lucani, incipit tertius, c. *Explicit liber secundus. Incipit liber tertius.* d.

scivit Fortuna tuis.] Codices plerique cum Ed. Rom. DESTITUIT. Pulmanni duo DESERUIT, unus CESSAVIT; Veneta RECESSIT. Colbertini duo et Cantab. et Pulmanni unus DESCIVIT. atque ita Lactantius ad Statii Theb. II, 311.

Respiciens DESCISSE *deos, trepidoque tumultu*
Dilapsos comites.

ubi Scholiastes, *Descisse, quasi ab amicitiis, ut civitas, quae ad hostes decurrit, descire dicitur: ut Lucanus: Lassata triumphis Descivit Fortuna tuis.* Hanc autem lectionem merito Grotius in textum adscivit. Primus insurgit vero Gronovius ad Senecam de ira II, 10. ubi Grotii verba citans (descivit, *ita scribi convenit, non* deseruit, *nullus enim sequitur accusativus) Neque necesse erat*, inquit, *sequi, et phrasis non erat reprehendenda.* Deinde satagit, ut verbum *deserere* absolute poni ostendat. cum larvis hic luctatur vir egregius: certum enim mihi est, etsi in notula est *deseruit*, in animo tamen habuisse Grotium *destituit.* Quippe ita habent editiones Grotianae priores; nulla omnino *deseruit.* et cum dixit, *nullus enim sequitur accusativus*, de *destituit* id dictum volebat; et ea phrasis recte reprehensa est, quippe, si *destituit* tibi magis arrideat, tum sic refinges:

— lassata triumphos
Destituit Fortuna tuos.

Lassata destituit. Destituit, quae defatigata sustinere amplius nequit; at *desciscit* infida, non lassa. Seneca Epist. LXXI. Scipionem in Africa nominis sui *fortuna destituit.* Seneca Controv. I. *Dederunt victis terga victores, et quos provexerat Fortuna,* DESTITUIT. Idem Controv. IX. *Omnis fortunae blandientis speciosus cum periculo nitor: et sine causa saepe fluit, et sine ratione* DESTITUIT. ubi pro *fluit*, reponendum *fovit.* Silius XI, 39.

Sic tum fortuna fovebat.

Lassata absolute, sine ablativo sequente. ut Ovid. Met. VI, 353.

— non ego nostros
Abluere hic artus lassataque *membra parabam.*

734. *Parcitur Hesperiae, procul hoc ut in orbe remoto Abscondat Fortuna nefas.]* Vitiosa haec ratio est; non enim *parci-*

Abscondat Fortuna nefas, Romanaque tellus
Immaculata sui servetur sanguine Magni.

tur Hesperiae, ut Fortuna procul abscondat nefas: sed Fortuna nefas procul abscondit, ut *parcatur Hesperiae*. Haec igitur sententia Lucano redonanda est. Colbert. duo, Harleianus, Trin. Cantab. Regius, Bersmanni quattuor cum Rom. ET habent, non UT. unus autem ex Bersmanni penu ABSCONDIT et SERVATUR. Lege igitur,

Parcitur Hesperiae: procul hoc ET *in orbe remoto*
ABSCONDIT *Fortuna nefas: Romanaque tellus*
Immaculata sui SERVA*tur sanguine Magni.*

M. ANNAEI LUCANI
PHARSALIAE
LIBER TERTIUS.

Propulit ut classem velis cedentibus Auster
Incumbens, mediumque rates tenuere profundum,

2. *movere*, c. d.

1. *Propulit ut classem velis cedentibus Auster Incumbens,]* Ventos *velis marique incumbentes* legisse memini, ut Aeneid. I, 84.

> Incubuere mari, *totumque a sedibus imis*
> *Una Eurusque Notusque ruunt.*

Valer. Flaccus II, 59.

> *Adde quod in noctem venti veloque* marique
> Incumbunt *magis.*

Sed et absolute *incumbunt*, ut [Aeneid.] XII, 367.

> *Qua venti* incubuere, *fugam dant nubila caelo.*

Illud hic observandum; totum illud *velis cedentibus auster* in Colbertino veterrimo a manu secunda esse, priore lectione, quaecumque esset, erasa. Eam vero e sepulcro me reduxisse arbitror; tu arbiter sedebis:

> *Propulit ut classem*, REMIS CESSANTIBUS, *Auster*
> *Incumbens.*

Nimirum vento secundo incumbente et valide aspirante, remiges otiantur. Aeneid. v, 832. [836.]

> *Ferunt sua flamina classem —*
> *— placida laxarant membra quiete*
> *Sub remis fusi per dura sedilia nautae.*

Atque hanc emendationem unicè probat versus tertius,

> *Omnis in Ionios spectabat navita fluctus.*

Si enim ad remos sedissent nautae, necesse erat ut ipsi quoque non Ionium mare, sed Italiam spectarent. *Incumbens*, absolute ut Virg. supra et Noster v, 419.

> *Hic utinam summi curvet carchesia mali,*
> Incumbat*que ferens*, *et Graia ad moenia perflet.*

Restat jam, ut, quid plumbeus ille AUSTER afferat, tandem videamus. Certe in veterrimo codice, ut dictum est, non a prima manu fuit, sed ab interpolatrice. Cicero ad Attic. IX, 6. *Conscendisse dici-*

citur (Pompejus a Brundisio) A. D. IV. *nonas Mart. ex ea die fuere Septentriones venti.* Consules autem duo, qui eundem, quem nunc Pompejus, cursum tenebant, non *Austro* e Brundisio exibant, sed *Borea:* II, 646.

Et vos, qui Latios signastis nomine fastos,
Primus in Epirum Boreas *agat.*

Et Caesar etiam, e Brundisio soluturus eodemque tendens, Aquilonem seu Boream optat V, 416.

Nec maris anfractus lustrandaque litora nobis,
Sed recti fluctus soloque Aquilone *secandi:*
Hic utinam summi curvet carchesia mali,
Incumbatque ferens, et Graia ad moenia perflet.

Et Antonius quoque cum sociis V, 703, ex Brundisio eandem regionem petens:

Nec non Hesperii lassatum fluctibus aequor
Ut videre duces, puroque insurgere caelo
Straturum pelagus Borean, *solvere carinas.*

Tantum abest, ut a Brundisio in Graeciam Auster ferat, ut ex eo portu Italiae litora legentibus Austro opus sit. Strabo VI. [p. 195, 46. ed. Casaub.] *A Brundisio Barium tendentibus, sive terra sive mari, Egnatia diversorium est: ὁ δὲ πλοῦς νότῳ, navigatur autem Austro.* Quod si a Brundisio ad Barium, in eodem litore situm, Auster ducit; quomodo ad opposita Graeciae litora? Si omnes alii Borea seu Aquilone feruntur, quomodo Pompejus Austro? Rescribe integrum locum,

Propulit ut classem, REMIS CESSANTIBUS, AURA
Incumbens.

Aura incumbens, ut Noster V, 717.

Cum primum redeunte die violentior AER
Fluctibus INCUBUIT, *Phoebeo concitus ortu.* BENTL.

Age, laeto omine faustisque auspiciis laboranti denuo Lucano aliisque poetis opem et salutem feramus! *Vela vento cedere* insolentius dictum videtur *Cel.* BURMANNO, *quia vela non penitus cedunt, nisi quatenus funis, quo laxantur vel contrahuntur, permittit.* Ast ego poetam ex vulgaribus artis nauticae praeceptis tam subtiliter philosophari voluisse vix crediderim. Ill. HEINSIUS, quia in Vossiano invenerat *surgentibus*, prona inde et facili emendatione refingebat TURGENTIBUS, ut *turgida* et *tumida* passim *vela* dicuntur poetis. BENTLEJUS, acutissimus Criticus, uti nimia ingenii fiducia, sicubi forte offenderet, novandi studio calebat, ita hic quoque ad ferrum et ignes descendit, rescribi jubens,

Propulit ut classem, REMIS CESSANTIBUS, AURA
Incumbens.

frustra tamen, et contra mentem auctoris, qui de *remis* ne somniavit quidem, ut patet ex *Lib.* II. *v.* 697. AURA vero an AUSTER legas, perinde fuerit, quandoquidem AUSTER poetis *quemlibet ventum* notat, id quod nec triviales pueros latet. *Vela* itaque *cedentia*, a Lucani manu si fluxerint, simpliciter signabunt *naves Pompeji fugientes,* quod vel sexcentis exemplis confirmare liceret. Verum,

Ὄφρ' εἴπω, τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἀνώγει,

quo magis mentem intendo in illam Vossiani Codicis lectionem, eo magis anceps haeret nutatque sententia, mendosa illa lectio glossam nobis objiciat, an ipsam Lucani manum? FUGIENTIBUS, puto, dedit auctor. Certe hoc adeo mihi blanditur heic loci, ut alterum glossema esse videatur. VELA FUGIENTIA hic fuerint *Italiam relinquentia.* FUGERE dicuntur *naves, cum terram relinquunt, et in altum provehun-*

Omnis in Ionios spectabat navita fluctus:
Solus ab Hesperia non flexit lumina terra

3. *Yonios, ut semper, c.*

tur. Testem dabo, omni exceptione majorem. SENECA is est, poetae et patruus et praeceptor, cujus virtutes et vitia ad vivum exprimit, *in Oedip. v.* 466. ubi de nautis Tyrrhenis, a Baccho in delphinas mutatis et classem abeuntem sequentibus, ait,

Et sequitur curvus FUGIENTIA CARBASA *delphin.*

NAVES nempe *Liberi patris*, IN ALTUM PROVECTAS. Gemina adeo haec sunt, ut dubitare vix liceat. Ita Noster infra *Lib.* VIII. *v.* 662.

sic fata, interque suorum
Lapsa manus rapitur, trepida FUGIENTE *carina.*

id est, *abeunte et litus Aegypti relinquente.* VALER. FLACC. *Lib.* III. *Argon. v.* 724.

Omnis adhuc vocat Alciden, FUGIENTE CARINA,
Omnis Hylan, medio pereuntia nomina ponto.

In codice forte glossa τῷ *fugientibus* adscripta, i. e. *vento cedentibus*, textui tandem irrepsit. Judicent Critici.

Nunc suavissimo PROPERTIO medicinam faciamus, leviter corrupto *Lib.* I. *Eleg.* I. *v.* 23.

Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes
Posse Cytaeaeis ducere carminibus.

Ita edidit optimus poetarum judex BROUKHUSIUS, qui hic in verbo *ducere* διλογίαν agnoscit, quia *alio modo* DEDUCUNTUR *coelo sidera*, *alio modo* REDUCUNTUR *amnes ad fontes suos.* Fefellit hic virum doctissimum judicii acies. *Amnes* hic plane ἀπροσδιόνυσοι, de quibus neque cogitavit poeta neque cogitare potuit. Tu vide, lector erudite, an *amnibus* illis male feriatis non libenter carere velis, si legatur,

Tunc ego crediderim vobis, vos sidera et UMBRAS
NOSSE *Cytaeaeis ducere carminibus.*

De *umbris eliciendis* et *luna coelo devocanda* agit poeta, de qua, vulgo jactata, sagarum POTENTIA et SCIENTIA dubitare visus erat Romanus ille Callimachus *v.* 19.

At vos, DEDUCTAE *quibus est* FALLACIA LUNAE,
Et LABOR IN MAGICIS SACRA PIARE FOCIS.
En agedum dominae mentem convertite nostrae,
Et facite illa meo palleat ore magis.

Vos pro *et* rescripsi, quae vox exciderat negligentia librariorum, *v̄b v̄s* in *vobis* mutantium. *Amnes* ex glossa natum videtur, qua vir doctus τὸ *umbras* explicuerat *i. e. m̄nes.* Ex illo *m̄nes*, addita ultima vocis *sidera* literula, *amnes* profluxit. Plura non addo: *deducta luna* et *sacra magicis focis piata* emendationem satis probant. JEV.

4. *Non flexit lumina terra]* Nullus interpretum hic mendae suspicionem fovit. Nihilominus vehementer dubito de sanitate loci. Neque enim videtur mihi hic Lucanus ineptam antithesin captare voluisse inter FLUCTUS et TERRAM; quippe *Hesperia terra* hic non alia est, quam *Hesperia* sive *Italia*, a qua non deflexisse lumina dicitur Magnus, ut adeo illa vox *terra* plane otiosa sit. Suspicio haec mea non parum firmatur, quod poeta, cum mul-

tis aliis passim locis HESPERIAM simpliciter pro *Italia* ponat, unico hoc loco tam putidum epitheton eidem addidisse videri nequeat. Ut jam taceam de ingrata sibilantis literae repetitione in illis *Magnus, dum patrios portus* etc. Sane in Thuan. quarto hic versus ita legitur,

Solus ab Hesperia non flexit lumina MAGNUS
TERRA, *dum* etc.

sive librarius paulo doctior ingratum sibilum transpositis vocibus mitigare voluerit, sive, quod verius puto, in veteri Lucani codice sic invenerit, ut proposita emendatione mox patebit. Sed et praeterea, quale sit illud *cacumen nubibus tectum*, nulla hactenus conjectura, nulla divinatione assequi potui, nec similiter forte alius. Nam *tectum* pro *tectorum* scripsisse poetam, in animum inducere nequeo, ut credam. Quid multa? Arrepta Thuan. codicis lectione, distinctione mutata, locum ex mente auctoris ita constituendum censeo:

Solus ab Hesperia non flexit lumina MAGNUS,
CARAE *dum* PATRIAE *portus, dum litora numquam*
Ad visus reditura suos, TERRAEQUE *cacumen*
Nubibus et dubios cernit vanescere montes.

Sic enim naturae rerum convenienter loquitur poeta, et Pompejus primum CARAE *patriae* PORTUS, mox LITORA, tum TERRAE CACUMEN sive *superficiem*, et tandem MONTES *in* NUBIBUS *disparere et evanescere videt.* CARAE *patriae portus* rescripsi, quod longe παθητικώτερον. *Tra* et *Cre* in MSS. facile confundi solent initio versuum, atque illa vox *Terra* caussa fuisse videtur, cur *terrae cacumen* in *tectum cacumen* degeneraverit. *Patriae* in *patrios* sollemnis aberratio est; ita *Lib.* II. *v.* 282. pro vulgato,

Quod si pro legibus arma
Ferre juvat PATRIIS *libertatemque tueri.*

in aliis codd. est *patriae.* TERRAE CACUMEN est *superficies Italiae, ex mari prominentis.* Sic *montes* et *terrae cacumina* iterum conjungit *Lib.* V. *v.* 616.

Ah! quoties frustra pulsatos aequore MONTES
Obruit ille dies! quam CELSA CACUMINA *pessum*
TELLUS *victa dedit!*

et hujus loci intuitu hic olim conjeceram rescribendum *celsumque cacumen*, sed merito sententiam mutavi, cum mox *v.* 10. *in celso sepulcro* occurrit, quomodo pro *accenso sepulcro* rescribendum docebimus. Ut vero hic *cacumen* de *superficie terrae*, ita et de *spumantium undarum summo apice* dixit SENECA *in Hippol. v.* 1024.

Summum CACUMEN *rorat expulso salo*
Spumans, vomitque vicibus alternis aquas.

Opportune hic mihi CLAUDIANUS aurem vellit, oratque, ut inveterati sibi ulceris medicinam quaeram, pessime affecto *Lib.* II. *in Rufin. v.* 355. ubi vulgo legitur,

Hinc alii saevum cristato vertice nutant,
Et tremulos humeris gaudent vibrare colores,
Quos operit formatque chalybs.

Non immerito suspectum hunc locum habuit *Cel.* BURMANNUS, et quia in Vicentina invenerat *senium mutant*, illud, veluti a librario haud profectum, pro vera auctoris manu agnoscens ita explicat, ut notet, *eos sordes incultumque et horridum habitum, quem in itinere habuerant, mutasse cristatis galeis, fulgentibus armis et veste versicolore etc.* Decepit optimum virum opinio, nihilque eorum vidit, quae vidisse sibi videbatur. Doctissimus GESNE-

Magnus, dum patrios portus, dum littora nunquam
Ad visus reditura suos, tectumque cacumen
Nubibus, et dubios cernit vanescere montes.
Inde soporifero cesserunt languida somno

7. *medios*, c. sed in margine *dubios*. 8. *sompno*, ita semper. c.

RUS turbat quoque in explicatione illorum verborum, *Quos operit formatque chalybs*, neque exitum satis videt. Alii vero interpretes omnes tacent. Corruptus tamen locus, neque enim, quinam illi *alii* sint, cum neque *alii* praecedant vel sequantur, ullus mortalium divinaverit. Constat igitur, mendosam hanc vocem esse. Loquitur poeta de *equitibus cataphractis*, ultroque acclamat mihi, se scripsisse,

> HIS GALEAE *saevum cristato vertice nutant,*
> *Et tremulos humeris gaudent vibrare colores,*
> *Quos operit* FIRMATQUE *chalybs.*

HIS scilicet *equitibus* (qui proxime praecesserunt, nam de *equitibus cataphractis* agi ostendit *v.* 361.

> *Par vestitus equis: ferrata fronte minantur etc.)*

GALEAE *cristato vertice saevum nutant, et humeros* CHALYBE TECTOS ET FIRMATOS *inumbrant tremulo motu. Hic* erat in plusquam viginti codicibus sollemni aberratione pro *His*, ut infra videbimus. *Hic caleae* scriptum fuit pro *His galeae*, et hinc tandem *hic alii* factum. *Firmatque* erat in Oxon. codice. Probat emendationem ipse CLAUDIAN. VI. *Cons. Hon. v.* 569.

> *Ut chalybem indutos equites et in aere latentes*
> *Vidit cornipedes: quanam de gente, rogabat,*
> *Ferrati venere viri? quae terra metallo*
> *Nascentes informat equos?*

et mox *v.* 575.

> *Quod picturatas* GALEAE *Junonia* CRISTAS
> ORNET AVIS, *vel quod* RIGIDOS VIBRATA PER ARMOS
> *Rubra* SUBAERATO *crispentur serica* DORSO. IEV.

8. *Inde soporifero cesserunt languida somno Membra ducis:]* Scribe *Somno*, ut deus notetur, alioqui *somnus soporifer* perinde esset ac *somnus somnifer*. BENTL.

Inde soporifero] BENTLEJUS τὸ *Somno* majuscula litera scribi malit, ut Deus SOMNUS intelligatur. Sed non opus. SOPORIFER *somnus* hic est *altus*, *ignavus*, *stertens*, *stuporem omnibus membris inducens*, qualis nempe mortales, nimiis curis vel gravi labore defatigatos, vel invitos opprimere solet. Sic *Lib.* v. *v.* 690.

> *quum te rapuit mare, corpora* SEGNIS
> *Nostra* SOPOR *tenuit.*

et inde *soporiferum papaver* MARONI, quia altum et morti similem soporem facit *Lib.* IV. *Aen. v.* 486. Hinc et STATIUS *Lib.* I. *Silv.* II. *v.* 162. SOPOREM vocat *languorem* torpentis quasi puellae, quae nullo amoris igne tangi videbatur, et cujus adeo somnos nulla suspiria pungebant.

> *Quonam hic usque* SOPOR, *castique modestia lecti?*

Verum, quamvis *membra somno cedere* recte dicantur, dissimulare tamen nolim, *languidis membris* τὸ SADERE longe convenientius

Membra ducis: diri tum plena horroris imago
Visa caput moestum per hiantes Julia terras
Tollere, et accenso furialis stare sepulcro.

9. Menbra, ut fere semper. d.

mihi videri, quam *cedere:* quare valde dubito, an hic rescribendum sit,

> *Inde soporifero* CECIDERE UT *languida somno*
> *Membra Ducis, diri* TUNC *plena etc.*

quomodo et sensus erigetur, verba melius cohaerebunt et menti poetae congrua exibit sententia. Vult enim, nisi fallor, dicere, Pompejum nimio patriam videndi ardore et desiderio fessum, mox altiore somno oppressum fuisse, et in eo terribilem illam Juliae imaginem vidisse. SUB AURORAM *etenim*

> *(Somnia quo cerni tempore vera solent,*

ut ait NASO *Epist. Heroid.* XIX. *v.* 196.*) haec somniasse Pompejum* claret ex *Lib.* II. *v.* 720. quippe qui primo diluculo tacite Italia solvit, ortoque sole jam pelagus tenebat, ut *v.* 725. ait poeta. Facilis vero admodum librarii, dum anagnosten verba praeeuntem male intelligit, lapsus fuerit *cecidere ut* in *cesserunt* mutantis. VAL. FLACC. *Lib.* I. *v.* 300.

> *Mox ubi victa gravi* CECIDERUNT LUMINA SOMNO.

OVIDIUS:

> *Et* CADIT *a mento* LANGUIDA *facta* MANUS.

tum vero et *tunc* frequenter confusa, ut probatione nulla indigeat. JEV.

9. — *Diri tum plena horroris imago]* Omnes quidem codices TUM; sed reponendum est CUM, quod verum esse scient, qui bonos auctores bene legerunt. Aeneid. I, 34. 36.

> *Vix e conspectu Siculae telluris in altum*, etc.
> CUM *Juno aeternum servans sub pectore vulnus.*

et II, 680.

> *Talia vociferans gemitu tectum omne replebat;*
> CUM *subitum dictuque oritur mirabile monstrum.*

Ita passim, et ubique.

11. — *Et accenso furialis stare sepulcro.]* Julius Scaliger in Hypercritico suo, [VI, 6, p. 779.] *Quis*, inquit, *eum ferat excientem Juliae umbram, quam ab Elysiis exactam scribit, ob culpam crimenque viventium?* Quis vero patienter ferat tantum virum prae livore quod lubet calumniantem? non *exciet* umbram sacris magicis; sed Pompejo somnium modo affingit, quod ille vanum esse pronuntiet. nec magis aut aeque injustum, pias umbras ex Elysio per tempus aliquantum propter crimina patris et mariti, quam Tonantis matronam ob unius Paridis judicium omnes Troas et ipsum pium Aenean internecino odio prosequi: quod idolum Scaligeri Virgilius per totum opus inducit. Quid autem filia Tonantis e capite ipso nata? nempe innocentes perdere sustinuit [Aeneid. I, 41.]:

> — *exurere classem*
> *Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto*
> *Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei.*

Si caelestium animarum talis apud Maronem justitia est, quam in-

justa Scaligeri querela est de Diis inferis Lucani? Adeo caecutiunt et favor et simultas. Quanto justius accusasset Scaliger, quod *furialem* fecerit Juliam; quod *accenso* sepulcro processisse finxerit, et tamen per *hiantes terras?* sed ne haec quidem Lucani crimina sunt, sed injuriae librariorum. Pro *furialis* dedit ille *feralis*, lugubris, moesta, ut VI, 623. *Feralis strideat umbra.* Probat hoc *v.* 35.

Umbra per amplexus *trepidi dilapsa mariti.*

An ille vel in somnio *furialem* amplexu peteret? neque *accenso* a manu poetae est. Equidem fateor, non semel hic occurrere *sepulcrum* pro *rogo*, ut VI, 526.

— *et* accenso *rapuit quae tura* sepulcro,

et 765.

— *tali tua membra* sepulcro,
Talibus exuram —

et IX, 54.

Ostenditque rogum non justi flamma sepulcri.

Sed cum *hiantes terras* jam dixerit, vel inde constat, *sepulcrum* non de *rogo* aut *pyra*, sed proprie de tumulo seu monumento accipi. Legerim ergo,

Visa caput moestum per hiantes Julia terras
Tollere, et EFFRACTO FERALIS *stare sepulcro.*

Hiantes terrae et *effractum sepulcrum* unius et ejusdem rei variatio est. sic et patruus in Troad. 176, de Achillis umbra ex inferis prodeunte,

Et hiatus *Erebi pervium ad superos iter*
Tellure fracta *praebet*, *et* tumulum *levat.*

Ovid. de eadem [Metam.] XIII, 442.

Exit humo late rupta.

Noster I, 583.

Agricolae fracto *Marium fugere* sepulcro.

et VI, 574.

Effractos *circum* tumulos *et busta vagati.* BENTL.

Corruptus insigniter hic locus. Cur ita judicem, caussam accipe, Lector erudite. *Moestum caput* Juliae cur tribuat poeta, quae *saeva* et *Furiarum more minax* Pompejo cladem et mortem vaticinatur, nullam equidem satis justam caussam video. Praeterea *accensum* illud *sepulcrum*, utut defendere conetur *Cel.* BURMANNUS, hic ἀπροσδιόνυσον apparet. *Escenso* corrigebat HEINSIUS, quod et OUDENDORPIO in mentem venerat. Verum hoc verbum (de quo vid. BROUKHUS. ad PROPERT. *Lib.* III. *El.* III. *v.* 67.) menti poetae non congruit ejusque manum non redolet. BENTLEJUS, violenta usus medicina, *effracto* rescribit, quod et nimis a vestigiis vulgatae scripturae recedit et naturae rei repugnat. Inter tot majorum gentium Criticos novo homini sententiam dicere si libere liceat, hic quoque hariolari incipiam. Sensus poetae, arbitror, hic fuerit, somniasse Pompejum, *se videre Juliam, hiatu terrae inferis emergentem et ex alto sepulcro Furiarum more minaciter se increpantem.* Levissima igitur (ita faveat mihi critica!) duarum vocum immutatione crediderim exhiberi nobis ipsissimam poetae manum, hoc modo,

Visa caput MEDIUM *per hiantes Julia terras*
Tollere, et IN CELSO *furialis stare sepulcro.*

MEDIUM *caput* PER HIANTES TERRAS *extulisse visa Julia, sive* MEDIO EX TERRE HIATU *emersisse.* ita *medius* et *moestus* permutata vidimus ad *Lib.* I. *v.* 260.

Rura silent, moestusque jacet sine murmure pontus.

Sedibus Elysiis, campoque expulsa piorum
Ad Stygias (inquit) tenebras, manesque nocentes,

ubi vulgo mendose legebatur *mediusque*. Firmat emendationem SENECA *in Troad. v.* 178. ubi de umbra Achillis terris erumpente ait:

Tum scissa tellus aperit immensos specus,
Et HIATUS EREBI *pervium ad Superos iter*
Tellure fracta praebet et TUMULUM LEVAT.
EMICUIT INGENS UMBRA *Thessali ducis.*

In celso sepulcro rescripsi summo, ni fallor, jure. Nugatur Scholiastes, qui suis ineptiis hic iterum viros doctos in errorem induxit. Ita enim ait: *Unum pendet ex altero. Ideo* ACCENSO *sepulcro, quia* FURIALIS; *Furiae enim cum facibus describuntur.* Papae! quantum est sapere? Quis vero non rideat et explodat statim tam putidas naenias? Quod si enim facibus armare Juliam voluisset Lucanus, tam frigide, quaeso, eam induxisset loquentem?

Vidi ipsa tenentes
Eumenidas, quaterent quas vestris lampadas armis.

unde dubito, an praestiterit legere *feralis,* ut HEINSIUS conjecit. Caeterum res hoc modo se habet. Librarius anagnostae verba male excipiens pro *in celso* scripserat *incenso*, unde postea illud pravae lectionis monstrum *accenso* natum. EURIPID. *in Hecub. v.* 37.

Ὁ Πηλέως γὰρ παῖς ΥΠΕΡ ΤΥΜΒΟΥ φανεὶς
Κατέσχ' Ἀχιλλεὺς πᾶν στράτευμ' Ἑλληνικόν.

et mox *v.* 94. iterum,

καὶ τόδε δεῖμά μοι
Ἦλθ' ΥΠΕΡ ΑΚΡΑΣ ΤΥΜΒΟΥ ΚΟΡΥΦΑΣ
Φάντασμ' Ἀχιλέως.

Ita, nisi fallor, ineptis illis de *accenso sepulcro*, et *facibus*, quibus Furiarum more armatam finxit Juliam Scholiastes, somniis libenter carebimus. JEV.

12. — *campoque expulsa piorum]* *Sedes, lucos, arva piorum* in Elysio saepissime dici, nostro et aliis locis probat BENTL. ad Horat. Carm. III, 4, 6. WEB.

13. *Ad Stygias]* Ulcus hic tectum latet, atque adeo immedicabile fere, ut verendum sit, ne *claudi hujus nostri*

Tarda Philoctetae non sanet crura Machaon.

Interpretes tamen, quasi omnia hic plana essent, nullaque difficultas superesset, sicco pede transeunt. Ast, cedo, quid caussae esse dicamus, cur Julia queratur, *sedibus se Elysiis expulsam? a quo*, quaeso, *expulsa?* et *quare?* Hoc siquidem dictum oportuit, ut nobis de mente poetae constaret. Verum enim vero, *cur jam* (nam hoc et magis mirandum!) *ad Stygias tenebras et manes nocentes trahitur misella? Ecquid ideo, ut in loco illo damnatorum maneat tristis et aeterno luctu tabescat?* et *quae hujus poenae caussa?* Nihil vero minus! *Erumpit inferis, ut sequatur Pompejum, cum Reges silentum eum sequi ipsi permiserint.* Quomodo vero jam omnia haec *post bellum civile?* Civile bellum nunc demum inceperat, et praeterea minatur Pompejo, *se, eo bella gerente, in medias acies venturam, somnos ejus disturbaturam, facturamque, ut nullum ipsi vacuum sit tempus ad amplectendam Corneliam.* Quin et *Lib.* VIII. *v.* 103. *Pompeji cum Cornelia nuptias* BELLO CIVILI VLTA *dicitur* JULIA.

Post bellum civile trahor. vidi ipsa tenentes
Eumenidas, quaterent quas vestris lampadas armis.
Praeparat innumeras puppes Acherontis adusti

15. Eumenid*es*, b. c. *no*stris, c. lampad*es*, b.

Vides, erudite lector, omnia haec Cimmeriis tenebris obscuriora? Tentemus agedum, si tenebras hasce admota propius face discutere queamus. Nam inepta haec orationis series nec Juliam decet nec menti auctoris congrua! Codices nihil juvant, nisi quod in Vossianis duobus erat *furentes Eumenidas*. Hoc unice mihi probatur. Si mentem poetae rite cepi, crediderim, eum hoc modo nobis reliquisse,

Sedibus Elysiis campoque EXCUSSA *piorum*
PER *Stygias, inquit, tenebras manesque* PROFUNDOS
AD *bellum civile trahor. Vidi ipsa* FURENTES
Eumenidas, quaterent quae DIRIS *lampadas armis.*

Primae duorum contiguorum versuum voces transpositae fuisse videntur incuria librariorum, ut non raro fieri consuevit, atque ita ansa corrumpendo loco data fuit, et *per* in *post* migravit; cumque librarii in fine versus hiatum offendissent,

Ad Stygias, inquit, tenebras manesque . . . . .

bellam illam antithesin inter *campos piorum* et *manes nocentum* poetae liberali manu de suo donaverunt, ut ex Scholiaste videre licet. Certe *manibus* illis *nocentibus* hic nullus locus. *Ego,* inquit JULIA, *audito belli civilis tumultu, Elysiis campis* FURIATA MENTE RELICTIS (hoc enim *excussa* hic notat, ut videbimus ad *Lib.* V. *v.* 209.) *per Tartara et Erebum (manes profundos* vocat, quod *hiatum Erebi* dixit SENECA *in Troad. v.* 178.*) via facta, sponte rapior in bella civilia, ut te sequar. Jam tandem meus eris. In Tartaro ipsa vidi furentes Eumenidas infaustas faces quatientes devotis armis tuis.* Quin et puto, auctorem dedisse,

DUCAM *ipsa* FURENTES
Eumenidas, quatient quae diris lampadas armis.

Suadere certe hoc videntur minacis Juliae verba, quae sequuntur,

numquam tibi, Magne, per umbras,
Perque MEOS MANES *genero non esse licebit.*

eodem nempe modo, quo *occisae matris umbra Oresti* FURIAS IMMISISSE dicitur. *Trahi ad bella* elegans locutio pro *ferri* et *rapi in bella, seu spontaneo impetu,* seu *vi occulta.* TIBULLUS *Lib.* I. *Eleg.* X. *v.* 13.

Nunc AD BELLA TRAHOR, *et jam quis forsitan hostis*
Haesura in nostro tela gerit latere.

VAL. FLACC. *Lib.* VII. *Argon. v.* 10. utramque hujus verbi significationem conjungit,

Nunc ego quo FATO, *vel quo sic pervigil usque*
Ipsa VOLENS *errore trahor.*

Ita malim, quam vulgatum *quo casu. Furentes* ex Vossianis praetuli τῷ *tenentes*, quod ineptum et languidum, nisi enim *tenerent, quatere* quomodo possent? hinc *quas* in *quae* mutatum ingratum sibilum tollit. *Vris* et *dris* confundi facile potuere. Haec super desperato hoc loco animadvertenda habui, quae criticorum judicio permitto lubens. Meliora offerenti ultro applaudam. JEV.

16. *Praeparat innumeras pup-*

Portitor: in multas laxantur Tartara poenas.
Vix operi cunctae dextra properante sorores
Sufficiunt: lassant rumpentes stamina Parcas.
Conjuge me laetos duxisti, Magne, triumphos:
Fortuna est mutata toris: semperque potentes

18. *opere*, c. 19. *Parcae*, d.

pes Acherontis adusti Portitor:] Cum *innumeras puppes* dixerit, moratius hic epitheton fuisset *Acherontis avari;* sed noluit, credo, Virgilio [Georg. II, 492.] hoc debere. *Adusti* de *Phlegethonte* frequentius, quam de *Acheronte* usu venit, sed sic et alibi, VI, 704.

— Tuque o flagrantis portitor undae.

et Silius XI, 473.

— pallida regna
Bistonius vates flammisque Acheronta sonantem
Placavit plectro.

20. *Conjuge me laetos duxisti, Magne, triumphos:]* Hoc ex historia falsum: tertius enim et postremus Magni triumphus ante Juliae nuptias actus est, A. DCXCII; illae factae A. DCXCV.

21. *Semperque potentes]* Illud *semper* corruptum mihi videtur. Si enim *fato damnata*, et *semper* damnata fuerit, quia *fata immutabilia*. Cogitabam olim *certamque*, uti *Lib.* II. *v.* 599. CERTAE CLADIS *discrimina* restitutum ivimus. Nunc vero locum propius intuenti legendum apparet *secumque*, ut *fato damnata* dicatur Cornelia *ad potentes quoscumque maritos* SECUM IN CLADEM TRAHENDOS. Ita enim et *Lib.* VII, *v.* 655. loquitur poeta,

Nec, sicut mos est miseris, TRAHERE *omnia* SECUM
MERSA *juvat, gentesque suae miscere ruinae.*

Infelici enim *fato* nata Cornelia infelices faciebat maritos, SECUM *eos in cladem* TRAHENDO, ut ipsa ait *Lib.* VIII. *v.* 88.

O utinam in thalamos invisi Caesaris issem,
Infelix conjux, et nulli laeta marito.

et dein *v.* 96.

cur impia nupsi,
Si miserum factura virum?

Scriptum fuisse videtur in codice *semqu*, et *c* in *e* mutato, ex illo *semqu* librarii indocti *semperque* fecerunt. Neque est, quod enclitica *que* post *secum* aliquem turbet. Ita enim et loquitur cultissima Sulpitia apud *Tibull. Lib.* IV. *Eleg.* IV. *v.* 9.

Sancte veni, TECUMQUE *feras, quicumque sopores,*
Quicumque et cantus corpora fessa levant.

Nunc cultissimi NASONIS misereri juvat, letali vulnere languentis in *Epist. Heroid.* I. *v.* 3. ubi vulgo legitur,

Troja jacet certe Danais invisa puellis,
Vix Priamus tanti totaque Troja fuit.

Cel. BURMANNUS legit *Troja jacet per te*, ut convenientior sit uxori sermo, in laudum marito debitarum partem libenter venienti, atque hoc modo explicat: *Vix omnis gloria, quam capis ex Priamo et eversa Troja, tanti est, ut ideo tam diu absis.* Ita quoque et HEINSIUS, qui frustra

Detrahere in cladem fato damnata maritos
Innupsit tepido pellex Cornelia busto.

23. *En* nupsit, b. c. d. trepido, c.

se hoc loco exercere viros doctos autumat. Ego nihilominus locum corruptum agnosco. Quae enim, quaeso, inepta haec *ταυτολογία* et loquendi striblig? *Troja jacet certe* (vel *per te*) *et tota Troja vix tanti fuit.* Egregium profecto stomachum, qui haec sine nausea ferat! Praeterea scire velim, quomodo *Troja jacens* et *eversa* possit *invisa esse?* Post fata siquidem quiescit livor, et, qui esse desiit, ei invideri amplius non potest. Aut fallor vehementer, aut medicinam inveni optimam, mentemque Penelopes atque adeo Nasonis cepisse mihi videor. Liberrime indignatur Penelope, quod unius meretriculae culpa, quam conjurata communi classe bello repetitum iverat Graecia, tantum temporis spatium marito carere, et deserto in toro frigida jacere cogeretur, cum neque Priamus nec tota Troja tanti esset, ut vel una nocte sine marito esset. Hoc arguunt sequentia,

O utinam tunc, cum Lacedaemona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis!
Non ego deserto jacuissem frigida lecto,
Nec quererer tardos ire relicta dies.

Facessat igitur jam hinc *Troja* illa *jacens*, quae nihil ad Bacchum! De Helena, a Paride rapta, loquitur Penelope, quae caussa erat, quod marito careret, quaeque ideo merito invisa erat puellis Graecorum, ut Lucretiae invisa erat Ardea apud Sulmonensem nostrum in Fastis [II, 750.]:

Postmodo victa cades, melioribus Ardea restas:
Improba, tu nostros cogis abesse viros.

Quare, abjecto primo (adulterino certe, ut mihi videtur non unam ob caussam) disticho, credo a liberrima illa Penelopes indignatione exorsum fuisse poetam,

TAENARIS *est certe Danais invisa puellis:*
Vix Priamus tanti totaque Troja fuit.

TAENARIS sive *Helene Lacaena*, a Taenaro promontorio Laconicae. Ita *Epist.* VIII. *Heroid.* v. 73.

TAENARIS, *Idaeo trans aequor ab hospite rapta,*
Argolicas pro se vertit in arma manus.

hinc *Taenaria marita* audit *Epist.* XIII. *v.* 45.

Aut te TAENARIAE *faciem culpasse* MARITAE,
Aut illi vellem displicuisse tuam.

posset et legi TYNDARIS. PROPERT. *Lib.* II. *El.* XXIII. *v.* 87.

TYNDARIS *externo patriam mutavit amore,*
Et sine decreto viva reducta domum.

et *Lib.* III. *Eleg.* VI. *v.* 30.

Dulcior ignis erat Paridi, cum Graja per arma
TYNDARIDI *poterat gaudia ferre suae.*

et ita *Virgil. Lib.* II. *Aen. v.* 574. *invisam Tyndarida* vocat.

JEV.

23. *Innupsit tepido pellex Cornelia busto.]* Ita scribendum, non *enupsit.* vide Nonium voce *innubere.* [c. 2. n. 431.] GROTIUS. *Tepido busto* legitima sane phrasis, ut contra *gelido.* Martial. V, 37.

Adhuc recenti tepet *Erotion* busto.

Stat. Silv. v, 3, 243.

— certe sejungere matrem
Jam gelidis *nequeo* bustis.

Sed *innubere busto* vereor, ne minus hic conveniat. Nonius Grotio citatus, *Innubere positum transire* (lege, *transitive*), *quod hae quae nubunt, ad domos mariti transeunt*. Lucilius Sat. lib. vi. [v. 18.] *Suam enim invadere atque innubere censent*. Ergo hac sententia, in Juliae bustum transiit Cornelia? Sola, credo, sic busto innupsit Priami filia Polyxena, quae ad Achillis bustum ut sponsa illi mactata est. *Innupsit* Colbertini duo, et totidem Pulmanni, et pro varia lectione Puteaneus: non ut ceteri cum Rom. et Ven. EX NUPSIT. Corrigendum,

Innupsit tepido pellex Cornelia LECTO.

Fidem tibi faciet Ovidius Met. vii, 852. [856.]

— per nostri foedera lecti
Perque deos supplex oro superosque meosque, —
Ne thalamis *Auram patiare* innubere *nostris*.

et Heroid. vi. [153.]

Quod gemit Hypsipyle, lecti *quoque* subnuba *nostri*
Moereat.

Quintilianus Declam. cccxxxviii. *In* torum *adhuc prioris uxoris vestigio* calentem *adducta est nova nupta*. BENTL.

Locus hic sollicitos habuit interpretes doctissimos, qui anxie quaerunt, cur Julia Lucano *pellex* dicatur, et quo modo illa *tepido busto innupsisse* videri queat? *Cel.* BURMANNUS, hic in poetam longe iniquior, Corneliae caussam satis acriter agit, Lucanum ineptum declamatorem arguit, eumque injuriarum postulat, siquidem Pompejus, toto biennio post Juliae mortem praeterlapso, Corneliam demum uxorem duxit. BENTLEJUS rescribi jubet *lecto*, quia *tepido busto innubere* absurdum ipsi videtur, suamque conjecturam firmare satagit adductis OVIDII et QUINCTILIANI locis. Verum (pace virorum summorum dixerim) mentem poetae neutiquam cepisse videntur. *Pellex* Lucano dicitur Cornelia, quia *ante finita luctus tempora* (*vid. ad Lib.* I. *v.* 115.) *ad nuptias Pompeji convolaverat*, et *tepido* (non JULIAE, ut falso putant, sed CRASSI *mariti*) *busto innupserat*. Insepultus jacebat in Parthia Crassus, quod omnes uno ore poetae et historici testantur. Quare, *justis non rite solutis* et *manibus nondum expiatis*, misella Crassi umbra errare cogebatur ex adamantina lege inferorum, qua *insepulti manes* STYGIAM *paludem tranare* vetabantur. VIRGIL. *Lib.* VI. *Aen. v.* 325. et 374. Quamdiu igitur inhumata Crassi umbra ad inferos non descenderat, tam diu Crassi *quasi uxor* manere adhuc videbatur Cornelia, et MANIBUS MARITI quasi DEVOTA eum lugere tenebatur, atque adeo ad nova vota transire *sine piaculo* et *infamia* non poterat. Hanc autem veram poetae mentem fuisse patet ex *Lib.* VIII. *v.* 89. ubi queritur Cornelia, *infausto se omine nupsisse Pompejo, et Crassorum manibus devotam Parthicae cladis omina ei intulisse.*

O utinam in thalamos invisi Caesaris issem,
Infelix conjux et nulli laeta marito!
Bis nocui mundo! me pronuba duxit Erinnys,
Crassorumque umbrae, DEVO*taque* MANIBUS ILLIS
Assyrios in castra tuli civilia casus.

Fortunam igitur *Pompeji hoc infelici toto mutatam* recte ait Julia, quia *tepido adhuc mariti busto* ei nubens Cornelia PELLEX potius quam JUSTA UXOR videri debebat. *Pellex* enim non solum

Haereat illa tuis per bella, per aequora signis,
Dum non securos liceat mihi rumpere somnos,

est, *quae cum eo, cui uxor sit, corpus miscet:* sed et *illa, quae, cum uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat.* Quam posteriorem hujus vocis significationem antiquissimam esse patet ex *ICtō* Paullo *L.* 144. *ff. de verb. sign.* Hinc ipsa Cornelia, cui somnium hoc suum narrasse Pompejum, ex mente poetae fingere debemus, se *pellicem* vocare non dubitat *eod. Lib. v.* 103.

> *ades huc, atque exige poenas,*
> *Julia crudelis, placataque* PELLICE *caesa*
> *Magno parce tuo.*

TEPIDO igitur MARITI BUSTO, id est, *recenti quasi mariti insepulti caedi* INNUPSERAT Cornelia. BUSTUM enim hic notat *insepultas* CRASSI *in Parthia reliquias,* ut recte illud observavit et adducto loco PROPERTII *Lib.* IV. *Eleg.* VI. *v.* 84. probavit *Cel.* BURMANNUS ad OVID. *Lib.* I. *Art. Am. v.* 179. JEV.

25. *Dum non securos] Rumpere somnos non securos* mihi, ut libere dicam, ridicule admodum dici videtur. SOMNI enim NON SECURI, nisi fallor, sunt *interrupti.* Non igitur hoc a manu poetae. Quin frigide admodum JULIAE haec verba tribui videntur. Cur enim, quaeso, dicat Julia, *dum mihi liceat,* cum et a *Regibus silentum hoc ei permissum sit,* eaque mox subjungat,

> *Sed teneat Caesarque dies et Julia noctes.*

Haec oratio Juliam non decet! Quare cum in tribus Codd. sit *tibi,* haud dubitem equidem rescribere,

> *Dum non securos liceat* TIBI DUCERE *somnos.*

quomodo omnia apte cohaerent, et nihil in oratione Juliae absurdi apparet. Verum enimvero illud *ducere* longius a vestigiis vulgatae lectionis recedit, et ipse Lucanus mihi significat, alio elegantiore verbo se usum, quod indoctis librariis errandi ansam suppeditavit. Si quid video, in codice fuit *cp̄re,* sive *capere,* ut putabant, sicuti dicimus *capere somnos,* sed cum legi carminis repugnaret prima syllaba, illud in *rumpere* mutare coeperunt. At dederat Lucanus,

> *Dum non securos liceat* TIBI CARPERE *somnos.*

VIRGIL. *Lib.* IV. *Aen. v.* 522.

> *Nox erat, et placidum* CARPEBANT *fessa* SOPOREM
> *Corpora per terras.*

et *v.* 554.

> *Aeneas celsa in puppi, jam certus eundi,*
> CARPEBAT SOMNOS.

et uti hic *carpere securos somnos* LUCANUS, ita *carpere noctes securas* dixit VALER. FLACC. *Lib.* V. *v.* 43.

> CARPERE SECURAS *quis jam jubet Aesona* NOCTES?

Interea, dum vacat, CLAUDIANUM spurcissimis interpolatoriae manus sordibus expurgatum dabimus in elegantissima *praefatione Lib.* I. *in Rufinum, initio:*

> *Phoebeo Python domitus cum decidit arcu,*
> *Membraque Cirrhaeo fudit anhela jugo.*
> *Qui spiris tegeret montes, hauriret hiatu*
> *Flumina, sanguineis tangeret astra jubis.*
> *Jam liber Parnasus erat, nexuque soluto*
> *Coeperat erecta surgere fronde nemus.*

Et nullum vestro vacuum sit tempus amori,
Sed teneat Caesarque dies, et Julia noctes.
Me non Lethaeae, conjux, oblivia ripae
Immemorem fecere tui, regesque silentum
Permisere sequi. veniam, te bella gerente,
In medias acies. nunquam tibi, Magne, per umbras,
Perque meos manes generum non esse licebit.

26. *nostro*, c. conju*nx*, ita semper b. c. d. 32. *Perque*, in membrana erasa, antea *juro* videtur scriptum fuisse; hoc certe in margine puncto notatum legitur. c. gener*o*, d.

Nemini interpretum hic fraudis suspicio nata fuit, quod miror. Secundum tamen distichon manifesto spurium est et a mala manu. Turbat enim sensum, menti poetae repugnat, et enallage modi in *tegeret* inepta est, et nullo modo excusari potest, ut vel inde sublestam fidem impostoris sentias. Doctissimi tamen interpretes, inani verborum sonantium splendore decepti, sensum non rimantes, partim intactum reliquerunt, partim in eo emaculando frustra sudarunt, alii *tingeret astra*, alii *tangeret*, alii *tergeret* rescribentes. PYTHONEM, *sagittis ab Apolline confixum*, celebrat poeta. Ast, cedo, *quos* ille *montes* spiris tegebat? *quae flumina* hiatu suo exhauriebat? ut jam de SANGUINEIS illis JUBIS, *quibus astra tangeret*, nihil dicam. Inepta prorsus haec et putida τερατολογία prodit turpissimum mangonium, quod et ipse auctor explodit et in rem malam abire jubet. *Non* enim *Python* MONTES NESCIO QUOS *texit spiris, sed* (ut poeta ait) SPIRARUM NEXIBUS *Parnasi* NEMUS *involverat: non uno hiatu oris* NESCIO QUAE FLUMINA *exsorbebat*, *sed veneno* CEPHISUM *turbaverat*, eoque jam exstincto et *in Cirrha* monte *explicito*, liberum spirarum nodis nemus ramis frondibusque erectis surgebat, et Cephisus nullo turbatus veneno puras undas volvebat. *Sanguineis* igitur illis *jubis* totoque disticho tuto et libenter carebimus. Ejecto hoc malo emblemate majori se majestate commendat cothurnata vatis Musa.

Phoebeo Python domitus cum decidit arcu,
Membraque Cirrhaeo fudit anhela jugo.
Jam liber Parnasus erat, nexuque soluto
Coeperat erecta surgere fronde nemus:
Concussaeque diu spatiosis tractibus orni
Securas ventis explicuere comas:
Et, qui vipereo spumavit saepe veneno,
Cephisos liquidis purior ibat aquis.

Judicent Reip. criticae senatores!
JEV.

31. — *Nunquam tibi, Magne, per umbras, Perque meos manes generum non esse licebit.]* Colbertinus prior, Puteaneus, Trin. Meadianus, Pulmanni unus, GENERO. Rectissime.

Nobis non licet esse tam disertis.

Abscindis frustra ferro tua pignora. bellum
Te faciet civile meum. Sic fata, refugit
Umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti.
Ille, Dei quamvis cladem, manesque minentur,
Major in arma ruit, certa cum mente malorum.
Et, quid (ait) vani terremur imagine visus?
Aut nihil est sensus animis a morte relictum,
Aut mors ipsa nihil. Titan jam pronus in undas
Ibat, et igniferi tantum demerserat orbis,
Quantum deesse solet lunae, seu plena futura est,
Seu jam plena fuit: tunc obtulit hospita tellus
Puppibus accessus faciles: legere rudentes,
Et posito remis petierunt littora malo.
Caesar, ut emissas venti rapuere carinas,
Absconditque fretum classes, et littore solus

33. Absc*i*dis, d. 36. D*i*i, b. d.; in d. *i* ex *e* correcta. mort*em*que, d. 41. d*i*merserat, c. 45. *v*elo, b. 47. *in* lit. d.

Mox ABSCIDIS, codices plerique omnes cum Rom. et Ven. a *caedo* scilicet, non a *scindo*.

37. — *Certa cum mente malorum.*] Repono:

Certa JAM *mente malorum.*

Sic enim solet Noster, ut VI, I.

Postquam castra duces, pugnae jam mente, propinquis
Imposuere jugis.

40. *Aut mors ipsa nihil.*] Hoc ex Patruo sumsit mutuum; Troad. 395.

Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.

47. — *Et littore solus Dux stetit Hesperio,*] *Caesar stetit litore Hesperio solus dux:* altero nempe duce Pompejo extra Hesperiam fugato. BENTL.

Sermo hic, uti ad PLIN. *Lib.* X. 34. recte observavit CORTIUS, est plane *ἀνακόλουθος*. Neque enim *τὸ Caesar*, licet illa verba, *non illum gloria pulsi laetificat Magni*, parenthesi includantur, ad sequentia commode referri potest, cum intermedia illa, *et litore solus Dux stetit Hesperio*, seriem orationis vel sic inturturbent: neque pronomen *illum* defectum hunc supplere posse videtur. Nominativus vero absolutus hic mihi placere non potest, quippe nihil ad loci hujus intellectum vel illustrationem facit. Praeterea, quid insulsum illud *Dux* sibi velit, nulla conjectura assequi datur. Mendae igitur suspectum semper habui hunc locum. In Pulmanni codice, teste Oudendorpio, erat *in litore*. Impense hoc mihi placet: nam conjunctio copulativa hic plane otio-

Dux stetit Hesperio, non illum gloria pulsi
Laetificat Magni: queritur, quod tuta per aequor
Terga ferant hostes. neque enim jam sufficit ulla
Praecipiti fortuna viro: nec vincere tanti,
Ut bellum differret, erat. tunc pectore curas
Expulit armorum, pacique intentus agebat,
Quoque modo vanos populi conciret amores,

52. differ*ret*, *re* in membrana erasa, b. tu*m*, d. 54. con*s*ciret, c.

sa est, mentique poetae repugnat. Si sensum auctoris bene cepi, eum nobis hoc modo reliquisse crediderim:

Caesar, ut emissas venti rapuere carinas,
Absconditque fretum classes, IN LITORE *solus*
Mox FURIT *Hesperio. Non illum gloria pulsi*
Laetificat Magni: queritur, quod tuta per aequor
Terga ferant hostes.

hoc sensu: *Caesar, postquam effugisse videt classem Pompeji, mox* SOLUS FURIT IN LITORE *Hesperio*, id est, *se solum in Italia relictum dolet. Tantum enim abest, ut gaudeat gloria expulsi Italia Pompeji, ut contra tristis sit, non solum, quod elapsus fuga hostis spem decretorii proelii sibi ademisset, sed vel maxime, quod* DEFECTU NAVIUM *in Italia manere cogeretur, eumque mari persequi non posset.* Cito quippe bello civili defungi cupiebat Caesar. Nulla igitur ipsi victoria tanti esse videbatur, ut BELLUM DIFFERRET, *i. e. desisteret a persequendo Pompejo*, et non omnibus potius votis optaret pugnam decretoriam. Indicant sequentia,

neque enim jam sufficit ulla
Praecipiti Fortuna viro, nec VINCERE TANTI,
UT BELLUM DIFFERRET, *erat.*

et *Lib.* VII. *v.* 238.

Oblatumque videt VOTIS *sibi* MILLE PETITUM
TEMPUS, *in extremos quo mitteret omnia casus.*

furit et *stetit* in MSS. confusa vidimus ad *Lib.* II. *v.* 454. in loco BOETHII *Lib.* I. *Cons. Phil. Metr.* III.

Nimbosisque polus FURIT *imbribus.*

ubi vulgo antea *stetit* legebatur. *Mx* et *Dx* quam facile initio versuum confundi soleant, notum iis, qui codices versare sueti. *Furere* proprie de *nimio dolore*, qui ad insaniam saepe agere mortales solet. Restituendum hoc elegans verbum VAL. FLACCO *Lib.* IV. *v.* 5.

Errat inops, solisque FURIT *Tirynthius oris.*

vulgo male *haeret*, quod ineptum, ut patet ex voce *errat. Errat consilii inops Hercules et* FURIT DOLORE *ob amissum Hylan.* Sic de *ira*, *luctu*, aliisque *gravioribus affectibus* passim poetae. Convenit hoc verbum apprime praecipiti Caesari, qui omnis morae impatiens bello persequi Pompejum ardebat, et spe sua frustratus furebat dolore. Dolebat Caesar, *quod elapsus sibi fuga Pompejus*, COACTIS UNDIQUE, *quaecumque inveniri uspiam poterant*, NAVIBUS, PRAESENTEM

Gnarus et irarum causas, et summa favoris
Annona momenta trahi. namque asserit urbes
Sola fames, emiturque metus, cum segne potentes
Vulgus alunt. nescit plebes jejuna timere.
Curio Sicanias transcendere jussus in urbes,
Qua mare tellurem subitis aut obruit undis,
Aut scidit, et medias fecit sibi littora terras.
Vis illic ingens pelagi, semperque laborant
Aequora, ne rupti repetant confinia montes:
Bellaque Sardoas etiam sparguntur in oras.
Utraque frugiferis est insula nobilis arvis,
Nec plus Hesperiam longinquis messibus ullae,

56. asse*r*it, *r* in membrana erasa. d.

SUI INSEQUENDI FACULTATEM *ipsi ademisset*, ut CAESAR ipse ait *Lib.* I. *B. Civ.* [cap. 29.]. Quare hac necessitate, inopia navium, manere coactus in Italia et damnare consilium persequendi Pompeji tandem

tunc pectore curas
Expulit armorum.

Ita omnia cohaerent et optatum exitum habet poetae sententia. ¶EV.

54. *Quoque modo vanos populi conciret amores,]* Codices duo Regii, *populi vanos.* Cur vanos amores? Jure hoc olim displicuit Francisco Modio Epist. LXV. [in Gruteri Lamp. Crit. Tom. v, p. 173.] *Qui enim vani amores populi, quos in bello deditiones oppidorum et gentium fere subsequuntur?* sed cum idem VARIOS substituit pro *vanos*, dum apicibus literarum serviliter adhaeret, inepto uno relegato, ineptius aliud sufficit. *veros* potius oportebat, quam *varios*. sed aliud est in hoc versu intolerabile, Modio non animadversum. Quis enim umquam sic locutus est, *concire amorem? Concire iram, odium, invidiam, simultates*, passim invenies; *amorem* aut *gratiam* nusquam. sed esto hoc: erga quem *conciret?* se an Pompejum? dictum hoc, non intellectum oportuit. Non patiemur nitidissimum poema vel socordia vel flagitio librariorum obsolescere: habeant illi suum sibi *vanos*, quod ideo inseruerunt, quia pes ex versu exciderat. Dederat auctor,

Quoque modo populi SIBI CONCILIARET *amores.*

56. — *Namque asserit urbes Sola fames,]* Corrige URBEM, hoc est, Romam. Ibi enim nec alibi, frumentum publice et gratuito plebi datum. Appianus diserte hoc dicit.

66. *Nec plus Hesperiam longinquis messibus ullae, Nec Romana magis complerunt horrea terrae.]* Colbertinus alter et Harleianus, *nec* PRIUS. Colb. veterrimus *nec* PRIMUS *longinquis:* omisso illo *Hesperiam.* latet hic ulcus. Quid enim est, *nec plus* (vel prius) *Hesperiam,*

nec Romana magis horrea? quid interest inter illam et haec? eadem prorsus sunt: aut verbo saltem distinxisse oportuit; et *Hesperiam totam, et in hac praesertim Romam.* sed huic distinctioni non erat locus: Hesperia enim, si Romam demseris, suis ipsa cultoribus sine messe aliena sufficiebat. Illud in veterrimo codice MUS ex prima verae lectionis syllaba profluxit, quae, aut fallor, aut haec erat,

> *Nec plus* MASSILIAM *longinquis messibus ullae*
> *Nec Romana magis complerunt horrea terrae.*

Massilia, urbs nobilissima, Roma ipsa quondam major, et ipsa propter solum saxosum aliena messe indigebat, et eam in regiones dissitas in suo portu emtam navibus deportabat. Strabo IV, [p. 124, 38. ed. Causaub.] *χώραν δ' ἔχουσιν (οἱ Μασσαλιῶται) ἐλαιόφυτον μὲν καὶ κατάμπελον, σίτῳ δὲ λυπροτέραν διὰ τὴν τραχύτητα, ὥστε πεποιθότες τῇ θαλάττῃ μᾶλλον ἢ τῇ γῇ, τὸ πρὸς ναυτιλίας εὐφυὲς εἵλοντο μᾶλλον.* Hoc est, *Massilienses solum habitant oleis et vitibus accommodum; a frumento vero* propter asperitatem alienum. fiducia igitur peritiae nauticae, hoc importato utuntur.
BENTL.

Locus hic plane desperatus, in quo age! experiamur, quid sobria et modesta valeat critica. Disputant interpretes de vocibus *plus* et *prius*, quae, uti hic, ita et apud alios poetas in MSS. mutari frequenter solent. Manet nihilominus sensus intricatissimus, qui genio mentique auctoris non congruit, et ex quo se vix expediunt. BENTLEJUS ulcus hic latere recte suspicatus fuit, ac proinde, cum in veterrimo codice offendisset *primus*, illam ultimam syllabam *mus*, miro acumine, pro indubitato latentis heic verae lectionis initio arripit et refingit,

Nec plus MASSILIAM etc. Audacter, me Hercules! nam quid sic futurum sit de misella voce *Hesperiam*, quam codices tantum non omnes hic repraesentant? ut jam taceam, sensum ita oriri incongruum, quique rerum naturae plane repugnet. Quid multis te morer, erudite Lector? En levissima mutatione accipe et menti poetae et veritati et rerum naturae congruam, nisi fallor, emendationem! Hoc modo hos versus constituendos esse censeo:

> *Utraque frugiferis est insula nobilis arvis:*
> *Nec* PRIOR HESPERIA EST; *longinquis messibus ullae*
> *Nec Romana magis complerunt horrea terrae.*

Ubere vix glebae superat etc. *Frumenti copia*, inquit Lucanus, *abundant hae duae insulae, frugumque fertilitate cum omnibus terris certare possunt. Quin ipsa* ITALIA,

> *Fertilis frugum pecorisque tellus,*

(ut HORATIUS *in Carm. Seculari v.* 29. eam vocat) FERTILITATE *has* NON SUPERAT: *neque ullae externae regiones plus frumenti in horrea Romana conferunt quam hae duae insulae. Ipsa Africa, licet fertilissimum annum habuerit, easdem fertilitate non vincat.* Frugum omnis generis et frumenti fertilitate nobilis semper fuit Italia, ut nulla terra cum Italia frugum fertilitate et copia certare posse videretur. Vid. VIRGIL. *Lib.* II. *Georg. v.* 136. VARRO *Lib.* I. *de R. R. Cap.* II. COLUMELL. *Lib.* III. *Cap.* VIII. PLIN. *H. N. Lib.* III. *Cap.* V. AELIAN. *V. H. Lib.* IX. *Cap.* XVI. et quos ibi citat auctores doctissimus KUHNIUS. NON PRIOR EST *his insulis* Italia, id est, *non melior, non potior, non vincit eas.* HORAT. *Lib.* IV. *Od.* X. *v.* 4.

> *Nunc et qui color est puniceae* FLORE PRIOR ROSAE,

Nec Romana magis complerunt horrea terrae.
Ubere vix glebae superat, cessantibus Austris,
Cum, medium nubes Borea cogente sub axem,
Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.

70. Lib*iae*, b. *in*tulit, d.

id est, *qui superat colorem purpureae rosae.* Idem *Lib.* I. *Epist.* XVIII. *v.* 27.

Plus quam se sapere et virtutibus esse PRIOREM.

TIBULLUS *Lib.* I. *Eleg.* IV. *v.* 31.

Quam jacet, infirmae venere ubi fata senectae,
Qui PRIOR *Eleo est carcere* VISUS *equus.*

Ita enim puto scribendum, vulgo *missus* legitur, sed male. PRIOR, id est, *reliquis praestantior* VISUS *est*, *adeoque palmam reportavit.* *Equum certamine primum* hunc recte vocat HORAT. *Art. Poet.* v. 84. VIDERE enim hic *probare* notat, aeque ac SPECTARE et INSPICERE. Notum est illud OVIDII *Lib.* I. *Trist. Eleg.* V. [25.]

Scilicet ut fulvum SPECTATUR *in ignibus aurum,*
Tempore sic duro est INSPICIENDA *fides.*

id est, *probanda.* HORAT. *Lib.* IV. *Od.* XIV. *v.* 17.

Major Neronum mox grave proelium
Commisit, immanesque Raetos
Auspiciis pepulit secundis,
SPECTATUS *in certamine Martio.*

ita lego. Vulgo male *spectandus.* SPECTATUS, id est, *probatus.* OVID. *Epist. Heroid.* XV. *v.* 193.

Haec sunt illa, Phaon, quae tu laudare solebas,
VISAQUE SUNT *toties* INGENIOSA *tibi.*

id est, *haec pectora* LAUDASTI *et* PROBASTI *toties tamquam ingeniosa.* Locutio tracta est a judicio, ubi judices sententiam pronuntiantes *sibi ita videri* vel *non videri* ex veteri formula dicere solebant. Vid. SIGON. *de judic.* II. 22. BRISSON. *de Form.* V. *p.* 480. JEV.

69. *Nubes Borea cogente]* Aestuat hoc loco admodum *Cel.* BURMANNUS, nec se satis expedit. Reliqui interpretes tacent. Scholiastes vero, ut solet, strenue nugatur. Sic ait: *Boreas, cum apud Italiam serenus fit, apud Africam pluvias facit. E contrario Auster Italis pluviosus, sed in Africa siccus et calidus est. Ergo ex Borea fertilis est.* Euge! non potest melius! Ita omnes omnium gentium sapientes, ad hunc hominem collati, fungi esse videntur. Hinc videat quivis, quanti aestimanda critice, quae genuina a spuriis, sincera a corruptis aequa judicii lance discernit. Corruptum enim locum nemo recte interpretabitur! Omnes aestus facile componi possint, si unius vocis levi correctione inveteratam mendam hoc modo sustuleris:

Ubere vix glebae superat, cessantibus Austris,
Cum, medium nubes Borea COHIBENTE *sub axem,*
Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.

Borea COHIBENTE *nubes*, id est, *continuo flatu faciente, ut nubes in medio axe sive meridie spissatae haereant et in pluvias imbresque colligantur.* CESSANTIBUS quippe AUSTRIS *inde dis-*

Haec ubi sunt provisa duci, tunc agmina victor
Non armata trahens, sed pacis habentia vultum,

71. *sunt,* serius additum est ab eadem manu. b. *ductor*, c. d.

sipari nequeunt. COHIBERE est *uno in loco retinere.* Sic infra *Lib.* IX. *v.* 926. de Psyllis, venenum ex vulnere exsugentibus,

Nam primum tacta designat membra saliva,
Quae COHIBET *virus* RETINETQUE IN VULNERE *pestem.*

HORAT. *Lib.* III. *Od.* XIV. *v.* 22.

Dic et argutae properet Neaerae,
Murreum nodo COHIBENTE *crinem.*

id est, *crines constringente*, *ne per colla vagi fluant.* Atque ita passim.

Cultissimus NASO interea in transcursu medicam manum sentiat, leviter corruptus *Remed. Amor. v.* 165. ubi vulgo legitur,

Sive operam bellis vellet dare, nulla gerebat;
Sive foro, vacuum litibus Argos erat.

quaeso enim, qui haec stare possint? *Aegisthus bella gerere volens non gerebat.* At quae erat caussa hujus rei? Responsio facilis, quia nulla bellorum materies in Graecia erat. Quare legendum erit,

Sive operam bellis vellet dare, nulla VIDEBAT.

Graecia alta pace fruebatur, et Argos erat vacuum litibus; nulla proin Aegistho vel bellandi vel caussas orandi dabatur occasio. Leve hoc, monendum tamen fuit.

PROPERTIO quoque, dum charta vacat, vicem reddamus corrupto simul et interpolato *Lib.* II. *El.* XX. *v.* 25. ubi haec leguntur:

Nam, mea quum recitat, dicit se odisse beatos,
Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest:
Qui dare multa potest, multa et amare potest.

Cur Cynthia dicat *se odisse beatos*, id est, *divites*, nulla profecto caussa esse videtur. Illa quippe, ut solitae erant illae delicatulae, DIVITES tantum admittebat. Testis ipse PROPERTIUS *Lib.* II. *Eleg.* XIII. *v.* 12.

Cynthia non sequitur fasces, non curat honores,
Semper AMATORUM PONDERAT *illa* SINUS.

Illud *odisse* igitur, a mente poetae alienum, languet plane et ineptum est. Ex neglecto scripturae compendio menda orta. In codice fuerat *sodre.* Dederat poeta hoc modo,

Nam, mea cum recitat, dicit SORDERE *beatos.*

sordere beatos, id est, *divites sibi viles et contemtos videri.* Sic infra *Eleg.* XXIII. *v.* 45.

Scilicet umbrosis SORDET *Pompeja columnis*
Porticus aulaeis nobilis Attalicis.

Ingenium igitur poetae sui longe praeferebat beatis Croesi divitiis. Sed, quod sequitur, distichon ineptum et a mala manu intrusum, turbatque sensum, qui eo ejecto integer erit, dummodo sequenti versu legas,

SI *mare per longum mea cogitat ire puella,*
Hanc sequar, et fidos una aget aura duos.

vulgo *Seu* male legitur. Judicent Critici. JEV.

71. *Haec ubi sunt provisa duci, tunc agmina victor Non ar-*

Tecta petit patriae, pro! si remeasset in urbem,
Gallorum tantum populis, Arctoque subacta,
Quam seriem rerum longa praemittere pompa,
Quas potuit belli facies! ut vincula Rheno,
Oceanoque daret! celsos ut Gallia currus

75. urb*is*, ab eadem manu in *urbem* correctum est, b.
76. belli potuit. c.

mata trahens,] Colbertinus prior, cum majore nostrorum parte, ut et Pulmanni Bersmannique, DUCTOR, non *victor*. Certe *duci* et *victor* in eodem colo non nimis venuste: neque *victor* satis apposite, cum inermes milites incederent. scripsit, opinor, auctor,

Haec ubi sunt provisa SATIS; *tunc agmina* DUCTOR.

Prior syllaba *τοῦ satis* a praecedente absorpta est.

77. — *Celsos ut Gallia currus Nobilis, et flavis sequeretur mista Britannis!]* Multa hic mendosa sunt; *Gallia* hic debet simulacrum esse Galliae in pompa ductum: cur itaque *nobilis?* potius certe *flebilis;* sic enim formabantur effigies gentium triumphatarum. Quale vero illud, *nobilis et mista Britannis?* nusquam vidi conjunctionem tam putide intrusam. Qui autem fieri potuit, ut *effigies Galliae vivis Britannis misceretur?* Denique quid illud, *sequeretur currus*, contra omnem Romanorum morem? *praecederet* certe, non sequeretur. Scripsit, ni valde fallor, Lucanus,

— *Celsos ut Gallic*A *currus*
*Nobili*TAS *flavis* ANTEIRET *mista Britannis.*

Jam verba legitima sanamque sententiam habes. *Gallica nobilitas*, hoc est, *nobiles Galli*, flavis Britannis mixti. Noster II, 101.

Nobilitas cum plebe perit.

et VII, 582.

— *permista secundo*
Ordine nobilitas.

Cicero de Natura Deorum [II, 3. §. 9.], *sed negligentia nobilitatis, veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta.* et pro Rabirio [cap. 7. §. 21.], *Cum omnes Praetores, cuncta nobilitas.* Nobiles Galli: nimirum duces et principes gentium devictarum catenati *anteibant* currum triumphantis. Cicero in L. Pisonem 25. *Disseres de triumpho, quid tandem habet iste currus? quid vincti* ANTE *currum duces? quid simulacra oppidorum?* Lactantius I, 11. *Non insulse quidam poeta triumphum Cupidinis scripsit et inseruit pompam, in qua Juppiter cum ceteris Diis* ANTE *currum triumphantis ducitur catenatus.* Ovid. Pont. II, 8. [39.]

Sic fera jam primum pavido Germania vultu,
Ante *triumphantes serva feratur equos.*

et Trist. IV, 2. [22.]

Ergo omnis poterit populus spectare triumphos,
Cumque ducum titulis oppida capta leget.
Vinclaque captiva reges cervice gerentes
Ante *coronatos ire videbit equos.*

et mox, [47.]

Hos super *in curru, Caesar, victore veheris.*

et Arte Amat. 1, 215.

Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum,
Quattuor in niveis aureus ibis equis?
Ibunt ante *duces, onerati colla catenis:*
Ne possint tuti qua prius esse fuga.

Silius de Scipionis triumpho XVII, 629.

ANTE *Syphax, feretro residens, captiva premebat*
Lumina.

Claudian. VI. Honor. 377.

Jamque parabantur pompae simulacra futurae —
Ut Massyla tuos ANTEIRENT *oppida currus.*

et de Scipione Africano Praef. ad III, [17.] Stilich.

Cum longi Libyam tandem post funera belli
Ante *suas moestam cogeret ire rotas.*

Seneca quidem in Troasi, de Priamo, 150.

Non assuetas ad sceptra manus
Post terga dabit; currusque sequens
Agamemnonios, aurea dextra
Vincula gestans, laetis fiet
Pompa Mycenis.

Sed Lucanus neque nescire potuit mortem patrium, nec oblivisci. BENTL.

Nobilis et *flavis* epitheta non juste opposita et Britannis aliud vel simile vel abjectius epitheton addendum fuisse notat BENTLEJUS et simul observat, de quo nemo interpretum cogitasse videtur, GALLIAM BRITANNOSQUE inepte hic exhiberi *currum victoris sequentes contra* LEGEM TRIUMPHI. Hinc nimia emendandi, qua calebat, licentia abreptus audacter rescribi jubet,

celsos ut GALLICA *currus*
NOBILITAS *flavis* ANTEIRET *mixta Britannis.*

Gallica nobilitas recte rescripsit Bentlejus, nam *Gallica* erat in Voss. pr. *anteiret* vero, cum nimis a vulgata lectione recedat, audax merito et temerarium videtur. Audaciae tamen et temeritati viri summi gratias ago, siquidem ea mihi ansam subministravit manum poetae vindicandi. *Duces hostium captivos, aureis catenis vinctos,* ANTE CURRUM TRIUMPHANTIS *trahi solitos fuisse,* notum est vel ex NASONE *Lib.* I. *Art. Am. v.* 215.

Ibunt ANTE *duces, onerati colla catenis,*
Ne possint tuti, qua prius, esse fuga.

Prima igitur fronte, fateor, haec BENTLEJI observatio suspectum mihi faciebat locum. At tamen illud *anteiret*, nescio quomodo, proletarium mihi videbatur. Tentabam igitur, proxime insistendo vestigiis scripturae vulgatae, hoc modo,

CELSOQUE *ut Gallica* CURRU
Nobilitas flavis TERERETUR *mixta Britannis.*

Ita enim STATIUS *Lib.* I. *Silv.* I. [*v.* 51.] locutus, huic conjecturae meae fundus erat, cum dicit,

vacuae pro cespite terrae
Aenea captivi frontem TERIT *ungula Rheni.*

Sed non satisfaciebam tamen mihi, locumque attentius contemplanti tandem patuit, vulgatum *sequeretur* se recte habere, adeoque nihil novandum esse. SEQUI enim *currus* hic notat *currum triumphantis comitari*, ut SEQUI *puellam* dicitur amator, qui eam *comitatur* et *non relinquit.* OVID. *Lib.* I. *Amor. El.* IX. *v.* 10.

Militis officium longa est via. Mitte puellam:
Strenuus exemto fine SEQUETUR *amans.*

PROPERT. *Lib.* II. *El.* XX. *v.* 29.

Si mare per longum mea cogitat ire puella,
Hanc SEQUAR *et fidos una aget aura duos.*

ita *sequi* et *comitari ducem* dicitur Victoria CLAUDIANO *Sec. Cons. Stil. v.* 215. atque eadem hac significatione hoc verbo heic loci usum esse Lucanum, nemo dubitavit amplius, si viderit SENECAM patruum ipsi hoc modo praeivisse *in Troad. v.* 150.

Non Argolici praeda triumphi
Subjecta feret colla tropaeis:
Non adsuetas ad sceptra manus
Post terga dabit, CURRUSQUE SEQUENS
AGAMEMNONIOS, *aurea dextra*
Vincula gestans, laetis fiet
Pompa Mycenis.

Quare desinat livor uno hoc nomine obtrectare laudibus BENTLEJI, cum qualiscumque illa viri summi, toties adeo exagitata, audacia et temeritas immortalibus in Remp. literariam meritis maximaque utilitate abunde compensetur.

CLAUDIANUS rursus me vocat, et pessime habitus a librariis opem nostram implorat *Lib.* 1. *in prim. Cons. Stil. v.* 315. ubi vulgo legitur,

Unde tot allatae segetes? quae silva carinas
Texuit? unde rudis tanto tirone juventus
Emicuit, senioque iterum vernante resumsit
Gallia bis fractas Alpino vulnere vires?

Locus hic corruptus. Qualis enim haec stribligo loquendi, *rudis juventus emicuit tanto tirone?* quis, quaeso, aptum ex his sensum eliciat? dein *senium* illud *iterum vernans* de GALLIA mihi placere haud potest. Quid multa? Legendum puto,

unde RUDI TANTUM IN *tirone* SENECTAE
ENITUIT, GENIOQUE *iterum vernante resumsit*
Gallia bis fractas Alpino vulnere vires?

TANTUM SENECTAE, id est, *prudentiae* et *experientiae* ENITUIT *in rudi tirone*, sive *se subito ostendit. Enituit* erat in Leid. pr. et undecim aliis. SENECTA est *prudentia*, quam *animum senilem* vocat in *Cons. Prob. et Olybr. v.* 154.

Sed gravibus curis ANIMUM *sortita* SENILEM
Ignea longaevo frenatur corde juventus.

ut velit auctor, *tantam in tironibus novis, sub tanto duce, subito enituisse scientiam et experientiam rei militaris, quanta in veteranis esse solet: Galliamque effetam et viribus fractam,* VERNANTE *quasi denuo* GENIO, *vires pristinas recepisse.* GENIUS igitur Galliae iterum *vernare* videbatur, *novumque quasi vigorem accipere.* De GENIIS *locorum*, qui sub *forma* SERPENTIS coli solebant, pervulgata omnia ex VIRGIL. *Lib.* V. *Aen. v.* 95. *ubi vid.* SERV. Caussa corrumpendi loci fuit inde nata, quod inepti librarii, cum pro GENIO in codice offenderent *senio*, scita metamorphosi *senectam* in *juventutem* transformarint. Nihil enim adeo absurdum et inauditum est, quod illepidus librariorum non audeat stupor! Ita stupenda (commodum enim id mihi jam in mentem venit) nec minus ridicula audacia LUCEM plane in NOCTEM converterunt, et miserrimo CLAUDIANO rursus letale vulnus inflixerunt IV. *Cons. Hon. v.* 185, ubi haec vulgo leguntur:

Visa etiam medio, populis mirantibus, audax
Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso
Languida, sed quantus numeratur nocte Bootes,
Emicuitque plagis alieni temporis hospes
Ignis et agnosci potuit, cum Luna lateret.

Nobilis, et flavis sequeretur mista Britannis!
Perdidit, o! qualem vincendo plura triumphum!
Non illum laetis vadentem coetibus urbes,

80. certibus, d.

Corruptus et interpolatus locus! Ac primo non video, qui *audax* haec stella dici meratur, praesertim si numen esset: dein *Booten numerari secundum magnitudinem*, numquam audivi, et similiter neque alius quisquam. Tandem ultimus versus manifesto spurius est, quippe *claro meridie* visa stella, quo tempore, puto, quilibet satis intelligat, vel me tacente, Lunam non lucere. Quid multa? Audaciae hanc stellam plane absolvo, atque ita CLAUDIANO suam manum restituo,

> *Visa etiam medio, populis mirantibus*, ARDENS
> *Stella die*, *dubitanda nihil*, *nec crine retuso*
> *Languida*, *sed* QUANTA MINITATUR LUCE *Bootes*,
> *Emicuitque plagis alieni temporis hospes.*

audens pro *ardens* sollemni aberratione in codice fuit, unde sciolus aliquis *audacem* nobis stellam concinnavit. Loquitur poeta de *cometa*, sive *stella crinita*, quae *tanta* LUCE medio die ardebat, quanto splendore Bootes radiare solet. Sic *minatur* de terribili ORIONIS ense dixit STATIUS *Lib.* I. *Silv.* I. [*v.* 45.]

> *Magno quantus mucrone* MINATUR
> *Noctibus hibernis et sidera terret Orion.*

Restituenda haec vox auctori huic in *Cons. Prob. et Olybr. v.* 28.

> *Jam caligantibus armis*
> *Debilis Orion dextram* MINITATUR *inermem.*

uti legendum cum ERYTHRAEO ind. *Virgil. in v.* ORION. vulgo *miratur.* Eleganter sane, stellato gladio disparente, DEBILIS, id est, *exarmatus* Orion *inermem dexteram minari* dicitur. Admiratio Orionis nihil ad mentem poetae facit! Caeterum de *locorum, urbium* et *regionum* GENIIS vid. LINDENBR. ad CENSORIN. *de Die Nat. cap.* III. ELMENHORST. et HERALD. ad ARNOB. *Lib.* I. *adv. Gentes p.* 15. SPANHEM. *de Us. et Pr. Num. Diss.* III. *p.* 187. HEINS. *ad* SIL. ITAL. *Lib.* II. *v.* 584. et *Lib.* XIII. *v.* 124. et ad CLAUDIAN. VI. *Cons. Hon. v.* 612. et *in addend.* ad eum locum *pag.* 1023. *ed. Burm.* JEV.

80. *Non illum laetis vadentem coetibus urbes*, *Sed tacitae videre metu.*] Repone,

> *— sed tacito videre metu.*

Non laetis coetibus, *sed tacito metu.* Lucretius VI. [1177.]

> *Mussabat* tacito *medicina* timore. BENTL.

Laeti illi *coetus* hic mihi valde displicent, cum mox sequatur,

> *Non constitit usquam*
> *Obvia turba Duci.*

et hinc, puto, doctissimus WITHOF. *in Encaen. Crit. pag.* 53. emendat *laetae vadentem vocibus. Laetis cantibus*, si per codices liceret, malit OUDENDORPIUS, ut opponantur *urbes laetis cantibus* et *tacitae metu.* BURMANNUS τὸ *cantibus* tolerari quidem posse judicat, sed tum legi debere pronuntiat *laetae cantibus*, uti *tacitae metu;* quare vulgatam defendit, ut *laetis coetibus* sit, quod *v.* 102. poeta dicit, *laeto tumultu.* Langermanni Cod. teste Burmanno, a m. sec. habet *venientem.* Rectissime, ut mihi

Sed tacitae videre metu. non constitit usquam
Obvia turba duci: gaudet tamen esse timori
Tam magno populis, et se non mallet amari.

videtur; nam *venienti* optime congruit *obvia turba*, et vulgata *vadentem* nihil venustatis habet. In Turriano a m. pr. erat *sedibus*. In Cantabrig. Cod. et duobus aliis *nec constitit* legitur. Librariorum ignorantiae crediderim corruptae lectionis caussam imputandam esse, qui, cum in Codice offendissent ..*s̄bus*, hinc nobis primum *sedibus*, ut Turrianus exhibet, dein *cetibus* concinnarunt. Nam *laetae* illae *voces* ex *vs.* 102. intrusae videntur. Credo, dedisse Lucanum hoc modo:

Non illum laetis VENIENTEM PLAUSIBUS *urbes,*
Sed TACITO *videre metu*, NEC *constitit usquam*
Obvia turba duci.

Cives victorem Caesarem, *urbes suas intrantem*, *non* LAETO PLAUSU *exceperunt*, *sed* TACITO METU *adspexerunt*, *et nemo ei obviam ire ausus fuit*. Tanta nempe consternatio animorum erat, quippe credebant, hostili eum animo in patriam saeviturum. Alias enim ad adventum ducum et imperatorum cives signa laetitiae promere, vias floribus sternere, obviam prodire, laetis vocibus nomen in coelum tollere et plausus congeminare solebant. CLAUDIAN. II. *Cons. Stilich. vs.* 400.

Quae tunc FLAMINIAM STIPABUNT MILLIA *vulgi*?
Fallax o quoties pulvis deludet amorem
Suspensum, VENIENS *omni dum crederis hora?*
Spectabunt cupidae matres; SPARGENTUR *et omnes*
FLORE VIAE, *superet, dum Pythia limina consul.*
Pompejana DABUNT QUANTOS *proscenia* PLAUSUS!
AD COELUM *quoties* VALLIS *tibi* MURTIA DUCET
NOMEN *Aventino Pallanteoque recessu!*

tacito metu rescripsi cum Burmanno et Bentlejo; *tacitus* enim ille civium *metus* ita recte *laetis plausibus* sive *claris laetitiae publicae signis* opponi videtur. Ita *laeto clamore* Pompeji nomen ingeminant et plaudunt Romani *Lib.* VII. *vs.* 11.

ATTOLLIQUE *suum* LAETIS *ad* SIDERA NOMEN
VOCIBUS *et* PLAUSU *cuneos* CERTARE *sonantes.*

ex quo loco *laetis vocibus* defendi posse videretur, nisi mox *laetae voces* sequerentur. JEV.

81. — *Non constitit usquam Obvia turba duci]* Praestantissimus N. Heinsius ad Claud. II, Rufin. 427. *Vacuo plebs obvia muro Iam secura fluit;* ex isto loco sic apud nostrum corrigendum censet,

— *non* CONFLUIT *usquam*
Obvia turba duci.

Caesar Brundisio Romam petebat, via Appia. de *urbibus*, quae in ista via sunt, dixerat auctor, tacito eas metu vadentem Caesarem transmisisse: nunc de ipsa *via* narrat, eos qui Caesari occurrebant, non *constitisse*, sed iter continuasse, neglecto eo et insalutato. Quare recte, opinor, habet CONSTITIT; et, quod omnes fere codices cum Ed. Veneta, NEC *constitit.*

83. *Tam magno populis] Tam magno*, ut in Horat. Serm. II, 3, 317. *tantum magna*, majus

Jamque et praecipites superaverat Anxuris arces,
Et qua Pontinas via dividit uda paludes,
Qua sublime nemus, Scythicae qua regna Dianae,
Quaque iter est Latiis ad summam fascibus Albam:
Excelsa de rupe procul jam conspicit Urbem,
Arctoi toto non visam tempore belli:
Miratusque suae, sic fatur, moenia Romae:
Tene, Deum sedes, non ullo marte coacti
Deseruere viri! pro qua pugnabitur urbe?
Dii melius, quod non Latias Eous in oras
Nunc furor incubuit, nec juncto Sarmata velox
Pannonio, Dacisque Getes admistus: habenti
Tam pavidum tibi, Roma, ducem Fortuna pepercit,
Quod bellum civile fuit. Sic fatur, et Urbem
Attonitam terrore subit. namque ignibus atris
Creditur, ut captae, rapturus moenia Romae,

93. D*i*, d. 95. admotus, c. get[e]s, membrana inter *t* et *s* erasa est, c.

quiddam sonat et significat, quam si brevius *tanto* et *tanta* dixissent. Bentl. ad l. l. WEB.

88. *Excelsa de rupe procul jam conspicit Urbem,*] Deest orationi coniunctio, quam codex Academicus subministrat,

ET CELSA *de rupe procul jam conspicit urbem.*

Simile mendum Virgilio inhaeret, Aen. v, 35.

At procul excelso miratus vertice montis
Adventum sociasque rates, occurrit Acestes.

Legendum enim, *At procul* E CELSO; ut VIII, 112. *Et procul e tumulo.*

95. — *Dacisque Getes admistus:*] Codex Trin. pro varia lectione *Ducis* VE. illud recte. sed et aliud restat: quale enim illud *admixtus?* quasi de medicamento componendo, non de hominibus ageretur. Quin et si *admixtus Getes* recte dici possit, nimis adfine tamen esset *juncto Pannonio.* codex Bersmanni ADMOTUS; sed egregie Arundelianus, ADIUTUS.

99. *Ut captae rapturus*] Ignibus rapere moenia urbis singu-

larem loquendi morem agnoscit *Cel.* BURMANNUS, meliusque VIRGILIUM loqui judicat *Lib.* II. *Aen. vs.* 374.

> *Alii* RAPIUNT *incensa feruntque*
> *Pergama.*

Verum est, quod ait vir summus: sed non facit huc ille Virgilii locus, cuius verba nihil aliud notant, quam *Graecos urbem incensam spoliare et rapere.* Scholiastes hyperboreali sua sapientia forte nos ad vestigia verae lectionis duxerit. Sic enim ait ad illa, *Sparsurusque Deos: i. e. de templis simulacra dejecturus in publicum.* Euge! Corruptam lectionem non intelligens, ne nihil dicere videretur, somnia sua nobis narrat. Caesarem, credo, Leonem Isauricum esse somniavit, cognomento Iconomachum. Tu, si sapis, erudite lector, lege me sponsore idoneo,

> *namque ignibus atris*
> *Creditur* AUT *captae* SPARSURUS *moenia Romae,*
> RAPTURUSVE *Deos.*

spargere moenia ignibus et *spargere moenibus ignem* elegans locutio est et proba. VALER. FLACC. *Lib.* VIII. *vs.* 276. loco vexatissimo et plane desperato, quem, propitio Apolline, sic emendo.

> *Quinquaginta animae me scilicet unaque mersa*
> *Sufficiat placare ratis! te, Graecia fallax,*
> *Persequor, atque tuis hunc* SPARGO *moenibus* IGNEM!
> *Nec tibi digna, soror, desum ad connubia frater!*
> PRONUBUS, *ecce! fero quatioque hanc lampada vestro*
> *Conjugio!*

vulgo *hunc quasso moenibus ignem.* Inepte prorsus, cum mox subjiciat *quatio.* Insipidum vero illud, *Primus et ecce,* mutavi in PRONUBUS *ecce,* summo jure. Quemadmodum enim in nuptiis adhiberi solitae fuere *feminae univirae spectatae probitatis,* quae novam nuptam in lecto geniali collocabant, atque PRONUBAE dicebantur: ita et OFFICII CAUSSA etiam adfuisse PRONUBOS, qui et AUSPICES dicti, oppido patet ex SEXTO POMPEJO [p. 27, 4. Fragm. ed. Dacer.], qui testatur, *tres pueros patrimos matrimosque praetextatos nubentem deducere solitos, unum, qui* FACEM PRAEFERRET, *ex spina alba, quia noctu nubebant: duos, qui tenerent nubentem.* PRONUBUS igitur, *qui facem praeferebat,* recte dicitur. Fratrem igitur Medeae Absyrtum, *in nuptiis* sororis suae hic *facem praeferentem,* recte PRONUBUM vocat elegantissimus poeta, qui jam nativas Veneres spirare iterum videtur. Hunc vero PRONUBUM LUCANUS *Lib.* II. *vs.* 370. AUSPICEM vocat, ubi in Catonis et Marciae nuptiis Brutum hujus officii caussa adhibet,

> *Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui:*
> *Junguntur taciti, contentique* AUSPICE *Bruto.*

Plura de hoc ritu, ne te diu morer, vide, erudite lector, apud CATULL. *Carm.* LX. *vs.* 182. *et seqq.* BRISSON. *Sel. Antiq. Lib.* I. *Cap.* XVIII. et *de Rit. Nupt. pag.* 64. Sic *spargere faces moenibus* idem VAL. FLACC. *Lib.* I, *vs.* 12.

> VERSA *proles tua pandet* IDUME
> *(Namque potest) Solymo nigrantem pulvere fratrem,*
> SPARGENTEMQUE FACES *et in omni turre furentem.*

versa Idume lego, id est, quando Hierosolyma eversa fuerit. Nam eo tempore obsidebat adhuc eam urbem Titus. Vulgo male legitur, *versam Idumen.* *Spargere* igitur *ignes moenibus*

Sparsurusque Deos. fuit haec mensura timoris:
Velle putant, quodcunque potest. non omina festa,
Non fictas laeto voces simulare tumultu:
Vix odisse vacat. Phoebea palatia complet

100. h*aec*, *ae* in membrana erasa, b. timori*s* *s* in membr. erasa, b. 101. om*ina festa*; *ina festa* in membrana erasa a man. sec. b. *omina,* a man. al. in *omnia* correctum est, c.

vel *moenia ignibus* est *ignem injicere*. Sic SPARGERE IGNES IN MOENIA dixit SENECA *in Troad. vs.* 39.

Non cautus IGNES *Ithacus, aut Ithaci comes*
Nocturnus IN VOS SPARSIT, *aut fallax Sinon.*

Ita *spargere aliquem mari* est *in mare projicere.* LUCAN. *Lib.* VIII. *vs.* 100.

quo sit tibi mollius aequor,
Certa fides regum, totusque paratior orbis,
SPARGE MARI *comitem.*

spargere in fluctus hoc dixit VIRGIL. *Lib.* III. *Aen. vs.* 604.

Pro quo, si sceleris tanta est injuria nostri,
SPARGITE *me* IN FLUCTUS *vastoque immergite ponto.*

sic *spargere nebulam stellis* pro *objicere* dixit HORAT. *Lib.* III. *Od.* XV. *vs.* 6.

Maturo propior desine funeri
Inter ludere virgines,
Et STELLIS NEBULAM SPARGERE *candidis.*

Rapturus Deos est spoliaturus templa Deorum, uti RAPIUNT *incensa feruntque Pergama* dixit VIRGIL. *l. c.* LUCAN. *Lib.* I. *vs.* 484.

jussamque feris a gentibus URBEM,
Romano spectante, RAPI.

et infra *Lib.* III, *vs.* 165.

Tunc Orientis opes, RAPTORUMQUE *ultima regum,*
Quae Pompejanis praelata est gaza triumphis,
Egeritur: tristi SPOLIANTUR TEMPLA RAPINA.

raptorum est spoliatorum et direptorum a Pompejo, ut recte vidit *Cel.* BURMANNUS. AUT *captae* et *rapturus*VE rescripsi, copulativa coniunctione in discretivam mutata, quia haec timoris civium mensura erat, quod crederent, Caesarem, infestum Romanis, facturum omnia, quae impune, prohibente nullo, facere poterat. Putabant igitur *aut captam Romam incensurum*, *aut templa spoliaturum.* Sed manum de tabula! JEV.

101. — *Non omina festa, Non fictas laeto voces*] Colbertinus alter, Puteaneus, Harleianus, Cantab. NEC *fictas. Festa omina* habent omnes. Corrigendum tamen videtur FAUSTA. *Non omina fausta.* Justinus XX, 2. *Faustisque profecti ominibus*, *solatia suis pro auxiliis deportant.* Tacitus Annal. I, 55. *Faustis in Germanicum* ominibus; ubi plura vide apud Gronovium.

103. *Vix odisse vacat.*] Ita si scripserit LUCANUS, oppido de-

Turba Patrum, nullo cogendi jure Senatus,

liravit. Cedo enim, quis hic ODIO fuerit locus *fausta* inter *omina* et *simulatas fictae laetitiae voces?* Tacent interpretes omnes, qui nugacissimo scholiastae rursus ludibrium debent. Sic enim nugatur: *Etiam ipsa odia libere exercere non poterant prae timore: sive, ut adventu Caesaris subito trepidi tempus tunc nec odio vacuum reperirent.* Non mirum certe! quomodo enim odia libere exercerent, qui ne hiscere quidem, nedum obviam procedere auderent? Nugae! Neque enim adeo ineptivit poeta, ut tam dissona conjungeret. Tu, si me audias, erudite lector, Lucano sensum commodiorem affinges, legendo,

non omina FESTA,
Non FICTO LAETAS MENTES *simulare tumultu*,
Vix AUDISSE *vacat*,

hoc sensu. *Non vacat civibus timore consternatis* FESTIVA PLAUSUS OMINA *exhibere*, *nec* FICTO CONCURSU FALSAM *et* SIMULATAM *ad adventum ejus* LAETITIAM *ostentare.* Tantum aberat, ut de PLAUSU et PUBLICAE LAETITIAE SIGNIS exhibendis cogitarent, ut ne AUDIRE quidem vellent NOMEN Caesaris. *Omina* FESTA est in omnibus fere scriptis, quod mutari non debuit. FESTA OMINA sunt, *quae festivo et auspicato Caesaris, urbes Italiae intrantis, adventui congrua.* Loca TACITI ab OUDENDORPIO allata id satis evincunt. *Festus* enim et *feriatus dies* Romanis, Imperatoris adventus! Dein LAETAS MENTES FICTO *tumultu* rescripsi paulo melius, puto, quam *fictas voces laeto tumultu.* Quomodo enim, quaeso, cives prae metu ne hiscere quidem audentes *laeto concursu fictas voces* simularent? *Non vacabat illis*, inquit poeta, *concursu de industria facto, laetitiam simulare, quin ne* NOMEN *quidem eius* AUDIRE *poterant sine metu.* Menti poetae apprime hoc convenit, qui Caesarem TYRANNUM atque ideo NOMEN eius Romanis *merito invisum* fingit. Respexit, si quid video, veteris poetae verba, quae citat CICERO *Lib.* VII. *ad Fam. Epist.* XXX. *Quin hinc ipse evolare cupio, et aliquo pervenire, ubi*

Nec PELOPIDARUM NOMEN *nec facta* AUDIAM.

quae et citat *Lib.* v. *ad Att. Epist.* XI. Facilis vero lapsus τῶ *audisse* in *odisse*, librariis ex ore anagnostae verba male excipientibus. Hinc *au* et *o* in MSS. fere semper mutata, et *aura* in *ora*; *cautes* in *cotes*; *aula* in *olla* saepe migravit. vid. BROUKHUS. ad PROPERT. *Lib.* I. *El.* I. *vs.* 31. OUDENDORP. *ad* LUCAN. *Lib.* v. *vs.* 655. et *Lib.* VII. *vs.* 132. ut mittam alios. JEV.

104. *nullo cogendi jure Senatus,*] Intricata haec atque obscura agnoscit *Cel.* BURMANNUS, seque diu torquet. Proxime quidem verum vidit, sed non constitit sibi vir summus. BENTLEJUS, quia mox *vacuae curules* sequitur, rescribit *sacrae* AEDES, ut hae voces in MSS. vulgo confusae. Sed non opus. SACRAE SEDES sunt *templa Deorum.* VIRGIL. *Lib.* I. *Aen. vs.* 685.

Hunc ego sopitum somno super alta Cythera,
Aut super Idalium SACRATA SEDE *recondam.*

id est, *in sacro templo.* Vid. DRAKENBORCH. *ad* SIL. ITAL. *Lib.* XII. *vs.* 48. Videamus age, an corruptum hunc locum sanitati restituere valeamus! Sensus poetae, nisi fallor, hic fuerit: *Caesarem nullo more in templo*

Apollinis coegisse Senatores vitio creatos, qui ad nutum ejus parati censerent, quidquid jussisset. Nullos Consules, *nullos* Praetores, *nullos denique legitimos* Senatores *in eo adfuisse.* In Hamb. pr. erat *cogenti*; in Voss. a m. sec. *nullo more* legitur. Nulla igitur caussa est, cur non statim suam auctori manum restituamus et rescribamus,

Phoebea palatia complet
Turba patrum, nullo cogenti more Senatum
E latebris educta suis. Non consule sacrae
Fulserunt sedes; non proxima lege potestas
Praetor adest, vacuaeque locum *cessere curules.*
Omnia Caesar erat. Privatae Curia vocis
Testis abest. *Sedere Patres, censere parati,*
Si regnum, si templa sibi etc.

Nullo more dicit, quia Caesar *privatus* erat. More enim majorum hoc nulli privato licebat, ut recte hic vidit scholiastes. Hinc ultro jam patet *cogenti* rescribendum cum Hamb. pr. ut sit *turba patrum, educta Caesari, nullo more Senatum cogenti*, pro *a Caesare.* Vitio creati erant. Publicis enim judiciis *damnati* Senatores legi non poterant. At tales erant hi Senatores, quos Lege Pompeja ambitus damnatos *restituit et Senatores fecit Caesar*, ut ipse testatur *Lib.* iii. [cap. 1.] *B. Civ.* Unde *turbam patrum* per contemtum vocat et *eductam e latebris suis*, sive *ex fuga et exsilio retractos* ac patriae restitutos. Damnatis exsulibus *constabat hic Senatus.* Ita enim de hoc Caesaris Senatu loquitur sub persona Lentuli *Lib.* v. *vs.* 32.

Curia solos
Illa videt patres, plena quos urbe fugavit.
Ordine de sancto *quisquis non exsulat, hic est.*

Ita legendum cum Burmanno. Vulgo male *tanto.* Dein summo jure rescripsi *testis* abest: nam et *adest* proxime praecesserat, et illud *omnia Caesar erat* hanc emendationem probat. Vides hic omnia ad Caesaris invidiam composita. Privatus *Caesar* nullo more *cogit Senatores* vitio creatos. Unus *ibi Caesar* totus senatus *erat. Nam neque* Consules, *neque* Praetores *adsunt*; *quin aberant* Senatores, *nullusque legitimus Senator aderat, qui de* actis a Caesare *in illo Senatu* testari *posset.* Hoc enim innuunt illa,

Privatae curia *vocis*
Testis abest.

Vacuas proinde legitimis Magistratibus Curules huic vae-senatui locum dedisse ait, ut jam constet legendum esse,

vacuaeque locum *cessere curules.*

nam invidiose tandem subiungit,

sedere *patres censere parati,*
Si regnum, si templa sibi, jugulumque Senatus
Exsiliumve *petat.*

judicent eruditi, ecquid divae Criticae litatum sit, nec ne.

Optimi Nasonis jam meminisse juvat, ut, deposito putri squalore, tersissima illius Musa cultius paulo enitescat *Lib.* ii. *Art. Am. vs.* 476. ubi vulgo haec leguntur:

Tum genus humanum solis errabat in agris,
Idque merae vires, et rude pectus erat.
Silvâ domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes:

E latebris educta suis: non Consule sacrae
Fulserunt sedes: non proxima lege potestas
Praetor adest: vacuaeque loco cessere curules.
Omnia Caesar erat: privatae Curia vocis
Testis adest. sedere Patres censere parati,
Si regnum, si templa sibi, jugulumque Senatus,
Exiliumque petat. melius, quod plura jubere
Erubuit, quam Roma pati. tamen exit in iram

105. *pro*ducta; *pro* a man. al. additum est, b.

Jamque diu nulli cognitus
alter erat.

Omnes interpretes sicco pede transeunt hunc locum; quasi nihil hic esset, quod morari legentes possit. Manifesto tamen corruptum agnosco locum. Cedo enim, quis fuerit ille *alter, qui jam diu nulli cognitus erat?* Concurrant licet huc omnes harioli, auspices, haruspices, nemo divinaverit. Codices nihil juvant. Sagaci igitur conjectura opus et judicio critico, ut poeta tandem agnoscat manum suam. Quid multis te morer, erudite lector? Lege, ut ipse se scripsisse poeta arguit,

Tum genus humanum solis
errabat in agris;
HISQUE *merae vires et rude*
pectus erat.
Silva domus fuerat; cibus herba; cubilia frondes:
CONCUBITUS *nulli cognitus*
ARDOR *erat.*

ARDOR CONCUBITUS sive NATURALIS *ille, qui utrumque sexum valide adeo stimulat,* COITUS APPETITUS, *duris illis et agrestibus hominibus, qui* RUDE *et vacuum amore pectus habebant, tum adhuc incognitus erat.* ARDOR CONCUBITUS est *desiderium coeundi.* Sic et antea dixerat *vs.* 462.

Tum pete CONCUBITUS FOEDERA, *mitis erit.*

Probant emendationem sequentia:

Blanda truces animos fertur
mollisse voluptas:
Constiterant uno femina virque loco.
QUOD FACERENT, *ipsi nullo*
didicere magistro;
Arte Venus nulla dulce peregit opus.

ita lego. Ut sensus sit, *nullo docente didicerunt* ILLUD, QUOD FACIENDUM ERAT, *et simplicitate naturali dulce illud opus absque arte ulla peregerunt.* Vulgo inepte *quid facerent?* Verba ex ore anagnostae male excipiens librarius scripserat:

CUMQUE UBI TU *nulli cogni-*
tus ALTOR *erat.*

hoc modo *cmq. ub t.* Inde *jamque diu* et *alter* tandem profluxit. Nemo, credo, de emendationis huius veritate et necessitate dubitaverit. JEV.

105. — *Non Consule sacrae Fulserunt sedes:]* Non placent istae *sedes,* quae, si Consules tum adfuissent, non fulsissent, sed tectae essent. Sed *sedes sacrae* erant, sed totum Apollinis templum. Quid quod tertio post versu *sedere* est. Corrigendum igitur,

Viribus an possent obsistere jura per unum
Libertas experta virum. pugnaxque Metellus,
Ut videt ingenti Saturnia templa revelli
Mole, rapit gressus, et Caesaris agmina rumpens,
Ante fores nondum reseratae constitit aedis.
(Usque adeo solus ferrum, mortemque timere
Auri nescit amor. pereunt discrimine nullo
Amissae leges: sed pars vilissima rerum
Certamen movistis, opes) prohibensque rapina
Victorem clara testatur voce Tribunus:
Non nisi per nostrum vobis percussa patebunt
Templa latus, nullasque feres nisi sanguine sacro
Sparsas, raptor, opes. certe violata potestas

113. poss*i*nt, b. d. correcta *i* in *e* a man. sec. b. 117. n*u*ndum, ita fere semper, b. 118. ferr. solus. c. 124. *sine* sang. d. *nostro*, b. c. d. 125. sparso, c.

— *Nec Consule sacrae Fulserunt* AEDES.

Plinius Hist. xxxv, 6. *Exstant hodieque Ardeae in* aedibus sacris, et xxxvi. *Alcamenis sunt opera Athenis complura in* aedibus sacris.

110. — *jugulumque Senatus, Exiliumque petat.]* Lege *Exilium*VE: non enim utrumque, et jugulum et exilium: *Senatus* autem, absentis, qui cum Pompejo erat; quippe hi, qui *sedere Patres*, Senatus nomine indigni.

113. *Viribus an possent obsistere jura]* Puteaneus, Harleianus, Cantab. Bersmanni unus, POSSINT. Recte: non, an eo solum tempore *possent*, sed an quovis tempore *possint*.

120. — *sed pars vilissima rerum Certamen movistis, opes]* Colbertinus prior, Harleianus, et Bersmanni unus, ET *pars. Et* melius cum sententia quadrat, quam *Sed.* Olim scribebant *set;* et cum litera *s* in *leges* praecederet, ea geminata, *set* fecerunt ex *et*.

121. — *prohibensque rapina Victorem]* Nondum certe *victor*, vivo Pompejo, totque ejus exercitibus salvis. neque *victor* tum praesertim recte dicitur, cum Tribunus eum in ordinem cogit: nam, ut ait Flaccus [Serm. I, 9, 42.], *cum victore durum est contendere.* DUCTOREM igitur hic repono. Ordo est, *testatur Ductorem*, non *prohibens Ductorem.* Val. Flaccus v, 624.

Questuque Jovem testatur acerbo.

124. — *Nisi sanguine sacro Sparsas, raptor, opes.]* Recte *sacro*: Tribuni enim plebis sacrosancti. Colbertinus tamen

Invenit ista Deos, Crassumque in bella secutae

126. c^{u}sumque, *u* in membr. erasa a man. alia, quae ad marginem *crassum* adscripsit, c.

prior, et codicum pars major *nostre*. Error ex compendiosa scriptura *nro, sro.*

126. *Crassumque in bella secutae Saeva Tribunitiae noverunt proelia dirae.*] Codices plerique omnes cum Rom. et Ven. VOVERUNT. Sagacissimus Heinsius ad Silii v, 660. sic reponit:

> LAEVA *Tribuniciae* voverunt *proelia dirae.*

Vovere sic fere usurpat Naso in Ibide v. 24.

> *Tempus in immensum* lacrimas *tibi* vovimus *istas.*

Sed multa huic emendationi obstant. Esto enim, quod tamen dubites, recta locutio, *dirae ipsae voverunt*, non *dirarum auctor:* at certe *Romae* voverunt, Crasso ex urbe exeunte, non postquam in bella cum Parthiam usque sunt *secutae.* Neque verum est, *laeva et infausta proelia* vovisse eas; sed in Crassum modo ipsum ejusque caput dirae concipiebantur. Florus III, 11, §. 3. *Tribunus plebis Ateius exeuntem ducem* (*Crassum*) *hostilibus diris devoverat.* non *proelia*, sed πολλὰ καὶ ἄτοπα, πολλὰ καὶ δεινά, ut Dion [XXXIX, 39. p. 109, 10.], ἀρὰς δεινὰς καὶ φρικώδεις, ut Plutarchus [Crass. c. 29. al. p. 553. a. Frcf.], sed *diras et horrendas detestationes* in caput ejus effudit: et uterque animadvertit exitio pessimo publico Tribunum hoc fecisse: quippe cum Ducem devoverit, consequenter etiam exercitum et totam civitatem eisdem diris implicuisse. Non ergo *proelia* hic stare poterit; sed aliud indagandum rectius, quod reposuisse me existimo:

> — *Crassumque in bella secutae*
> *Saeva Tribunitiae* NOVERE PIACULA *dirae.*

Florus II, 6. *Quasi has inferias sibi Saguntinorum ultimae dirae mandassent.* Justinus XIV, 4. *Has vobis diras atque inferias dico. Dirae*, ut vides, *inferias* post se et sibi trahunt. Atqui *inferiae* id ipsum, quod *piacula.*

Noster II, 175.

> — *cum victima tristes*
> Inferias *Marius*, *forsan nolentibus umbris,*
> *Pendit*, *inexpleto miseranda* piacula *busto.*

Habes hic per epexegesin sive appositionem *inferias piacula*, ut rem prope eandem.

Horatius Epod. v. [90.]

> Diris *agam vos: dira detestatio*
> *Nulla* expiatur *victima.*

Non *victima*, sed *poena.* et Carm. I, 28.

> — *precibus non linquar inultis;*
> *Teque* piacula *nulla resolvent.*

Dirae meae preces nescient ulla *piacula* praeter ultionem et poenam. *Novere* eleganter, ut paulo ante *invenit* deos. *Saeva* piacula, ut alibi, *dira*, *miseranda*, *horrenda*: Codex tamen ex Harleianis recentior vere et venuste, Sera:

> *Crassumque in bella secutae*
> SERA *Tribuniciae* NOVERE PIACULA *dirae.*

Saeva Tribunitiae noverunt proelia dirae.
Detege jam ferrum. neque enim tibi turba verenda est
Spectatrix scelerum: deserta stamus in Urbe.

127. *v*overunt, b. c. d. sed in c. scripta est *v* in membr. erasa. 128. nec enim, c.

Val. Flacc. IV, 252.

dixit, et urgentis post sera piacula *leti.*

Virgil. VI, 569, etsi alio sensu,

Distulit in seram *commissa* piacula *mortem.*

Corrigendus Silius VI, 290.

Nos violasse manus seris *monuere* piaclis.

non, ut vulgo, *periclis. Piaclum*, ut *gubernaclum.* BENTL.

Illud *certe* mihi hic otiosum esse videtur: quin tota illa locutio *potestas violata* INVENIT *Deos* pro *iratos et ultores habet*, uti *Cel.* BURMANNUS explicat, mihi displicet, adeoque frigida esse videtur, ut a Lucano sic profecta haec esse credere nequeam. In altero quoque versu vir ille optimus haeret, et nunc conjicit,

CRASSOQUE *in bella secutae*
Saeva Tribunitiae voverunt proelia dirae.

nunc *saeva praemia* rescribendum putat. BENTLEIUS pro *proelia* reponit *piacula.* Corruptus locus. Namque haec mera *ταυτολογία* esse videtur, *dirae secutae Crassum in* BELLA *voverunt saeva* PROELIA. Praeterea, *ad quae bella Crassum dirae secutae*, non additur; neque *saeva proelia* commodam interpretationem recipere posse videntur. Variant Codd. alii *voverunt*, alii *voluerunt*, alii *noverunt* exhibentes. In Oudendorpiano et Marpurgensi erat *moverunt*, quod et pro varia lectione inveni in oblongo illo bonae notae codice. Quid? si legamus,

TESTES *violata potestas*
SENSERIT *ista deos*, UT CRASSO BACTRA SEQUENTI
Saeva Tribunitiae MOVERUNT FUNERA *dirae.*

hoc sensu: *Sacrosancta Tribunitia potestas mea, a te violata, expertura fuerit vindices injuriae testes Deos, ut Crasso, vetante Tribuno, ad bella Parthica profecto, dirae Tribunitiae saevam mortem concitarunt.* SENSERIT TESTES *Deos*, id est, *vindices et ultores habuerit.* TIBULL. *Lib.* III. *El.* VI. *vs.* 26.

Quid valeat LAESI, SENTIAT, IRA DEI.

id est, *sentiat iram violati numinis.* SCELERA *enim testes Deos* SENTIRE *tum dicuntur, cum a Diis puniuntur et vindicantur:* NON SENTIRE, *cum a Superis negliguntur et non puniuntur.* Sic MAGNAE LINGUAE VINDICEM *Apollinem proles Niobea* SENSISSE dicitur apud HORAT. *Lib.* IV. *Od.* VI. *vs.* 2. et hinc jocose idem HORATIUS *Lib.* I. *Sat.* VIII. *vs.* 44. ligneum Deum PRIAPUM scelerum Canidiae et Saganae TESTEM *non inultum* vocat, qui *diffissa nate* tanto strepitu *pepederat*, ut illae territae metu diffugerent. TESTIS enim *Deus* tam *vindicem* et *ultorem* notat, quam *fautorem* et *approbatorem.* PROPERT. *Lib.* IV. *El.* IX. *vs.* 13.

Non feret e nostro sceleratus praemia miles:
Sunt quos prosternas populi, quae moenia dones.
Pacis ad exhaustae spolium non cogit egestas:

Hic, ne certa forent manifestae signa rapinae,
Aversos cauda traxit in antra boves.
NEC SINE TESTE DEO. *Furem sonuere juvenci,*
Furis et implacidas diruit IRA *fores.*

NEC SINE TESTE DEO, id est, *neque ignaro neque non vindicante Hercule.* Contra TESTE DEA *Claudia probat castos mores* apud CLAUDIAN. *Laud. Seren. vs.* 49. BACTRA SEQUENTI lego, pro *in bella secutae. Bella* enim et *proelia* hic male conjunguntur. *Dirae* vero Crassum *in bella* inepte *sequi* dicuntur. BACTRA SEQUENTI est *ad bella Parthica proficiscenti*, *Parthis bella inferenti.* SEQUI enim hac significatione usitatum. PROPERT. *Lib.* II. *El.* XX. *vs.* 63.

Seu pedibus Parthos SEQUIMUR *seu classe Britannos.*

BACTRA autem *sedes regni Parthici.* LUCAN. *Lib.* VIII. *vs.* 423.

incurrere cuncti
Debuerant in BACTRA *duces.*

b̄ctra seq̄nti et *b̄la sequti* in codd. vix differunt, ut ignotae voci *b̄ctra* notius vocabulum *bella* supposuisse videantur librarii. Porro cum VERSELLANO vel invitis codicibus scribendum putem *moverunt funera*, quod recte ex HORATIO expressum observavit OUDENDORPIUS, licet illud improbet: nam *dirae illae* non solum *triste* Crasso *proelium*, sed et *ipsam* MORTEM *concitarunt.* De voce *sentire* vide quae diximus ad *Lib.* I. *vs.* 567. *Prodromi* p. 122. JEV.

150. *Non feret e nostro sceleratus praemia miles:] Nostro*, satis commode quidem; non *e nostro* praemia feret, sed ex *hostico.* argutius tamen, aut fallor, ab auctore datum erat:

Non feret e SANCTO *sceleratus praemia miles.*

Vides antitheton, *sceleratus e sancto*, quale Nasonis est Metam. v. 37.

Pectora rupisset, nisi post alteria Phineus
Isset, et, indignum, scelerato profuit ara.

Quemadmodum autem paulo ante v. 125. pro *sacro* plerique omnes codices, *nostro*, ita hic pro *sancto* omnino omnes *nostro* dederunt, *n̄ro*, *s̄ro*, *s̄to.* Publicum aerarium in Saturni templo erat; inde *sanctum;* et quod in penitiore aedis parte erat, *sanctius aerarium.* de hoc interiore et sanctiore agit hic Lucanus, ut ex v. 155. patet:

— tum conditus imo
Eruitur templo, multis non tactus ab annis,
Romani census populi.]

152. *Pacis ad exhaustae spolium non cogit egestas: Bellum Caesar habes.]* Locus, in quo omnes interpretes haeserunt, nullus se explicavit. Quid enim est *pax exhausta*? Quid *spolium pacis?* Quae est ista *egestas?* qua ideo Caesar non prematur, quod bellum habeat? Spero, me saltem veram auctoris sententiam, si non et verba, eruisse:

HOSTIS *ad* AERARI *spolium non cogit egestas:*
Bellum, Caesar, habes.

Egestas hostis, ea non trita constructio primam librariis caliginem offudit: sic *egestas cibi*, *frumenti*, *copiarum*, etc. Seneca de Clementia I, 12. *Sylla*, *cui occidendi finem fecit* INOPIA HOSTIUM. Sententia est, *bellum*, *Caesar*, *habes* in Germania, Britannia: inde militem tuum alas; inde praedia, moenia, sedes ex hostico iis tribuas; non *egestas*, *inopia hostium cogit te* ad aerarium publicum pro stipendiis expilandum: *sunt quos prosternas populi*, *quae moenia dones: Nondum tibi defuit hostis*, ut v. 151. Tacitus Annalium XV, 3. *Quippe bellum habere Corbulo*, *quam gerere malebat.* Jam vero *ad spolium aerari*; id enim jam tum agebatur, ut *aerarium Saturni* effringeretur et diriperetur. Id vero verbum satis infrequens, syllaba quoque ultima truncatum, duplicata nocte librarios obruebat. Silius XI, 541.

Adnitamur, *ait*, *vires refovere tot haustas*
Casibus, *ut pateant non parca* aeraria *dextris*,
Quas emimus bello.

Auctor Priap. LXXXIII,

Villicus aerari *quondam*, *nunc cultor agelli.* BENTL.

PAX illa *exhausta* BURMANNO obscure et duriter dicta videtur, et notat SULPITIUM haec de priore Caesaris furto explicare, quo cellam Capitolinam spoliaverat. Ipse vero intelligit *urbem*, *quae belli expers erat*, *et ad quam praeter opinionem Caesar paci intentus*, *non ut hostis*, *venerat:* et cogitabat, an non *exhaustum* legi posset. BENTLEJUS locum intricatum agnoscit, quemque nullus explicaverit. Ipse sententiam et verba poetae restituisse sibi videtur, legendo,

HOSTIS AD AERARI *spolium non cogit egestas*,

ut EGESTAS HOSTIS sive *hostium inopia Caesarem coegerit expilare aerarium.* Conjectura audax et ridicula: nam et longius a ductu literarum recedit, et illa *egestas hostis* non adeo bella et delicata videtur, ut placere possit. SCHOLIASTES mavult nugari, quam nihil dicere. Ita enim cornicatur ad illa, *Bellum habes. i. e. non defecerunt omnes gentes*, *quasi non habeas*, *quibus spolia detrahas*, *dum spolia Romae aufers.* Scilicet *Unus homo hic nobis* SAPIENDO *restituet rem!*

Quid sit *pax exhausta*, nemo facile dixerit: neque placet jam mihi, quod olim cogitaveram,

Patriae ad exhaustae spolium non cogit egestas.

nam, cum tantas opes haberet *sanctius* illud *aerarium*, de quo hic agit poeta, *patria exhausta* dici nequit. Codices variant et *exhausta*, *exusta*, *exhusta*, *exausta* exhibent. Quid multa? Reliquit nobis, nisi fallor, poeta hoc modo,

AEDIS *ad* AUGUSTAE *spolium non cogit egestas:*
BELLO, *Caesar*, *habes!*

Hoc sensu: *Egestas non cogit te ad spoliandum augustum Saturni templum et expilandum sanctius hoc aerarium. Satis spoliorum bello cepisti!* AEDIS AUGUSTAE, id est, *sancti templi.* Dixerat enim *vs.* 115.

pugnaxque Metellus,
Ut videt ingenti SATURNIA TEMPLA *revelli*
Mole, *rapit gressus*, *et Caesaris agmina rumpens*
Ante fores nondum reseratae constitit AEDIS.

CLAUDIAN. *Lib.* I. *de Rapt. vs.* 201.

Hic AEDES AUGUSTA *Deae*, *templique colendi*
Religiosa silex.

Bellum Caesar habes. His magnam victor in iram
Vocibus accensus: Vanam spem mortis honestae
Concipis: haud (inquit) jugulo se polluet isto
Nostro, Metelle, manus. dignum te Caesaris ira
Nullus honor faciet. te vindice tuta relicta est
Libertas? non usque adeo permiscuit imis

133. *o* Caes. c. victor, addito *vel ductor* in b, quod et c. in margine puncto notatum, sed ab alia man. habet. 135. inquit haud, b. 136. te dign. b. 137. honos, b. d. *est* abest a d.

ubi vid. Heins. *Bello* pro *bellum* sententia postulabat, nam illud *bellum habes* est longe ineptissimum. Melius qui divinaverit, *εὐαγγέλια* merebitur. Jev.

133. — *His magnam victor in iram Vocibus accensus:*] Etiam hic, ut supra, v. 122, ductor ex codice Pulmanni magis placet quam victor. et mox 137, honos ex Colb. altero, Cod. Trin. duobus Bersmanni, quam honor. et deinde 141, at *nondum* lego, non et. et postremo 143, cum *Cotta*, non tum. Rationes ex aliis locis disces.

138. *non usque adeo permiscuit*] Nemo hic vitium orationis observavit, quod miror. Si enim *permiscuit* scribere voluisset Lucanus, non *malint*, sed *mallent*, ut in Langermanni Codice legitur, nobis reliquisset. Sed non ita se res habet. Scripsit, nisi fallor, poeta,

Non usque adeo permisceat *imis*
Longus summa dies, ut non, si voce Metelli
Serventur leges, malint a Caesare tolli!

permisceat, id est, *permiscuerit.* Praesens pro futuro. Ita saepe a librariis peccatum. Apud Claudianum *Lib.* 1. *in Rufin. vs.* 259. similiter deliquerunt, turpique interpolatione grassati, purpureae vesti lacerum panniculum adnexuerunt. Ita vulgo legitur:

caussis fallacibus instat:
Arguit attonitos se judice, caetera segnis,
Ad facinus velox: penitus regione remotas
Impiger ire vias. Non illum Sirius ardens,
Brumave Rhipaeo stridens Aquilone retardat.

Loquitur hic de crudelitate Rufini, qua insontibus crimina falsa, carcerem et cruciatus intentabat, eumque *in caeteris omnibus* segnem, *ad* facinus *sive scelera velocem esse* ait. Quid igitur huc faciant illa vervecini capitis deliria *penitus regione remotas Impiger ire vias?* Doleo certe, ineptum tenebrionem doctis viris imponere potuisse, siquidem illud *penitus regione remotas* mangonium statim prodat. Tu, lector erudite, bono judicio sic legito,

caussis fallacibus instat:
Arguit attonitos se judice, caetera segnis,
Ad facinus velox. Non illum Sirius ardens,

Longus summa dies, ut non, si voce Metelli
Serventur leges, malint a Caesare tolli.
Dixerat: et nondum foribus cedente Tribuno
Acrior ira subit: saevos circumspicit enses,
Oblitus simulare togam. tum Cotta Metellum
Compulit audaci nimium desistere coepto.

139. si non, b. 143. *servare*, c. *tunc*, b. Cocta, c. d.

Brumave Rhipaeo stridens Aquilone RETARDET.

retardet lego, id est, *retardaverit* vel *retardare possit*, nempe *a facinore perpetrando*, ut jam sponte Claudianus turpi illo emblemate carere velle videatur.

Continuemus CLAUDIANUM, dum vacat. Corruptus miserrime locus est *Consul. Mall. vs.* 129. ubi vulgo haec legere est:

Quae moveant momenta polum: quam certus in astris
Error. Quis tenebras Soli caussisque meantem
Defectum inducat numerus: quae linea Phoeben
Damnet et excluso pallentem fratre relinquat.

Quid illud *caussisque meantem* notet, nemo facile dixerit. De vocibus *indicere* et *inducere* solliciti sunt HEINSIUS et BURMANNUS, de reliquorum verborum sensu plane securi. DELRIUS nulla exemplaria mendo carere notat. Monstra certe lectionum exhibent codices, quae producere piget. in Oxon. Sec. erat *casusque* vel *causisque*. *Signet* Exc. Lucens. sec. *inducat* septem Codd. *indicat* habent Leidd. duo et viginti alii, item Exc. Gevart. Lucens. pr. et Cod. Rhem. Quid multa? Audacia cordata et bono judicio opus fuerit ad extricandum hunc intricatum poetae sensum. Legendum puto:

Quis tenebras Soli, LUCISQUE NEGATAE
Defectum INDICAT *numerus: quae linea Phoeben*
Damnet et excluso pallentem fratre relinquat.

defectum lucis negatae eclipsin eleganter vocat, similiter ut LUCANUS vocavit *raptae lucis labores Lib.* VII. *vs.* 5.

DEFECTUMQUE *pati voluit* RAPTAEQUE LABORES
LUCIS.

lcisque ngte fuerat, unde *csisque negantem* et tandem *meantem* factum videtur. INDICAT vero scribendum esse patet ex voce *numerus*, qui *statum* atque *certum* Solis defectum signat, calculo astronomico definitum, ut ad *Lib.* 1, *vs.* 642. *Prodromi pag.* 136. docui; tum ex eo, quod sequitur,

QUAE LINEA *Phoeben*
DAMNET *et excluso pallentem fratre relinquat.*

id est, *in qua determinata coeli linea Luna Solis radiis, objecta terra, interceptis eclipsin patiatur.* Sic *Lib.* x. *vs.* 306.

LINEA *tam rectum* MUNDI *ferit illa Leonem.*

JEV.

143. *Oblitus simulare togam.*] Solito more errat hic SCHOLIASTES, qui hanc lectionem probat, quae caussa fuisse videtur,

145 Libertas, inquit, populi, quem regna coercent,

145. pop. inquit, b.

cur nemo doctissimorum interpretum mendae suspicionem foverit. Vitiosa tamen haec lectio. Non enim *simulabat togam* Caesar, sed vere *togatus erat,* quippe *pacis obibat munia*, *civitatis statum ordinabat, paci unice intentus.* Quare cum in Bersmanni Codice, et idem pro varia lectione in Cantabrig. sit *servare*, rescribendum censeo,

Dixerat: At nondum foribus cedente Tribuno
Acrior ira subit. Saevos circumspicit enses,
Oblitus SERVIRE TOGAE.

id est, *nescius diu indignationem continere altosque animos; ignarus diu pacatum se gerere.* SERVIRE TOGAE pro *componere se ad pacem,* sive *componere civem*, ut ait *Lib.* VII. *vs.* 267.

Plebejaque toga modicum COMPONERE CIVEM.

Veram autem esse hanc emendationem probat ipse poeta *Lib.* V. *vs.* 381. quem locum ita lego:

Ipse petit trepidam tutus sine milite Romam
Jam DOCTUS SERVIRE TOGAE.

Ita enim optime Cod. S. German. Quomodo enim *Roma togae servire docta* idoneam explicationem recipiat, videre nequeo. *Caesar, qui* IN ARMA FURENS *nil nisi bella spirabat: cui* SOLUS PUDOR NON VINCERE OMNES *gloria rerum gestarum* (vid. *ad Lib.* 1. *vs.* 143. *Prodromi p.* 35.) *ignarus antea pacatum se gerere, longo usu* JAM DIDICERAT SERVIRE TOGAE. Probaturque, quod *tutus* SINE MILITE *trepidam Romam petit.* Ita *populus* dicitur SERVIRE FAMAE apud HORAT. *Lib.* 1. *Sat.* VI. *vs.* 16.

JUDICE, *quo nosti*, POPULO, *qui stultus honores*
Saepe dat indignis, *et* FAMAE SERVIT *ineptus,*
Qui stupet in titulis et imaginibus.

servare et *servire* saepius confusa. *vid.* BURMANNUM ad *Lib.* 1. *vs.* 319. et *Lib.* V. *vs.* 395. SERVIRE *tempori, scenae* et similia passim, quorum exempla lexicographi suppeditant.

Age CLAUDIANO denuo fomenta quaedam suppeditemus emolliendo ulceri, quod librariorum incuria ei remansit *in Cons. Mall. vs.* 196.

Ille vel Aethiopum pluviis solabitur aestum,
Illum trans Scythiam vernus comitabitur aer.

Corruptus locus, quod vel ineptum illud *vel* statim prodat. in Delriano et Oxon. Codice erat *per*, quod male rejectum ab HEINSIO. *Cel.* BURMANNUS recte *per Aethiopas* conjecerat, sed non constitit sibi, unde refingebat,

Ille NEC *Aethiopum pluviis solabitur aestum.*

male. *Per Aethiopas* vera manus auctoris est. Rescribendum igitur putem,

Ille PER AETHIOPAS PLUVIA *solabitur aestum.*

et hoc modo explicem. *Illi* IN IPSA AETHIOPIA NON DEERIT PLUVIA *ad solandum aestum, quin et ultra Scythiam non deficiet ei vernus aer ad emolliendam coeli illius inclementiam. Justitia enim utrumque ipsi suppeditaverit*, *eique pro pluvia et verno aere fuerit.* Sic omnes aestus facile disparebunt, atque ita HEINSIUS cepisse recte videtur. PER AETHIOPAS, id est, *in*

Libertate perit; cujus servaveris umbram,

ipsa Aethiopia, *per Aethiopiam*. HORAT. *Lib.* I. *Od.* XXII. *vs.* 5.

Sive PER SYRTES *iter aestuosas,*
Sive facturus PER *inhospitalem*
Caucasum etc.

et ita passim.

Pergamus eidem CLAUDIANO succurrere lacero et animam fere agenti ibidem *vs.* 250. ubi vulgo haec leguntur,

Quae non seditio, quae non insania vulgi
Te viso lenita cadat? quae dissona ritu
Barbaries, medii quam non reverentia frangat?
Vel quis non sitiens sermonis mella politi
Deserat Orpheos blanda testudine cantus?

Variant codices *medo*, *media*, *mediam* exhibentes. Mox iterum ingens varietas, ubi *dulcedine*, *formidine*, *testudine* repraesentant. *Medii* in Electis primus GEVARTIUS, et in Excerptis Schotti legit etiam GRONOVIUS, quod probat BARTHIUS, nec non HEINSIUS aliique. male. Legendum enim est MERITI; nam, si ad solum Mallii conspectum cadat seditio, cur inter barbaros *medius* collocetur, nulla ratio videtur. VIRGIL. *Lib.* I. *Aen. vs.* 155.

Ac veluti magno in populo cum saepe coorta
Seditio, saevitque animis ignobile vulgus.
Jamque faces et saxa volant. Furor arma ministrat.
Tum, PIETATE GRAVEM *ac* MERITIS *si forte virum quem*
Conspexere, silent arrectisque auribus adstant.

verum, illud *vel* quin fulciendo versui intrusum sit, nullus dubito: nam *sitiens*, licet defendi utcumque possit, corruptum videtur, nec mihi placet *sitire mella*, cum hic non tam *palati* quam *aurium sensus* agitur. Quare suspicor, totum locum ita emendandum et constituendum esse:

Quae non seditio, quae non insania vulgi,
Te viso, lenita cadat? quae dissona ritu
Barbaries, MERITI *quam non reverentia frangat?*
Quis non, ACCIPIENS *sermonis mella politi,*
NEGLIGAT ORPHEAE BLANDOS TESTUDINIS ICTUS.

In Codice fuisse videtur *Qs n̄ h̄citins* pro *accipiens*, unde *sitiens* factum cum esset, illud *vel* fulciendo versui additum fuit. ACCIPIENS *mella politi sermonis*, id est, *audiens*. ACCIPERE hoc sensu frequens. LUCAN. *Lib.* II. *vs.* 273.

Quam laetae Caesaris aures
ACCIPIENT, *tantum venisse in proelia civem?*

ubi legi merentur notae *Cel.* BURMANNI. Dein NEGLIGAT ICTUS TESTUDINIS ORPHEAE audacter rescripsi, paulo mèlius stiloque poetae convenientius, puto, quam *Orpheos cantus blanda testudine*, quod *ἀκυρολογίας* absolvi nequit. ICTUS *testudinis* proprie. Sic HORAT. *Lib.* IV. *Od.* VI. *vs.* 36.

Lesbium servate pedem meique
Pollicis ICTUM.

ictus et *cantus* facile confunduntur, et alibi confusa memini. *Deserat* vero manifesto est glossa τ8 NEGLIGAT. ORPHEA enim, *non praesentem*, inepte *deserere*

Si, quicquid jubeare, velis. tot rebus iniquis
Paruimus victi: venia est haec sola pudoris,
Degenerisque metus, nil jam potuisse negari.
Ocyus avertant diri mala semina belli.
Damna movent populos, si quos sua jura tuentur:
Non sibi, sed domino gravis est, quae servit, egestas.
Protinus abducto patuerunt templa Metello.
Tunc rupes Tarpeja sonat, magnoque reclusas
Testatur stridore fores: tunc conditus imo
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi praeda Philippi:
Quod tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,

147. quiqu*am*, in margine sine signo *quicquid*, c. 150. aver*tet*, *tet* a man. sec. in membr. erasa, b; avert*at*, *t* man. alia in membr. erasa correxit, c. avert*et*, *e* in membr. erasa, d. 153. Metello, supra scripto *vel tribuno*, b. 156. *non* tact. b. d. *nec motus*, c. 157. cēsus, lineola supra *e* ab alia manu et inter *e* et *s* aliquid erasum est, c. 159. *pirrus* ita fere semper b. c. d.

dicerentur: sed NEGLIGERE, id est, *non curare*, *non desiderare*, recte dicuntur *dulces Orpheae testudinis modos, gustata dulcedine eloquentiae Mallianae.* Judicent stadii critici brabeutae! JEV.

147. — *tot rebus iniquis Paruimus victi: venia est haec sola pudoris, Degenerisque metus,*] Quomodo *victi*, qui arma nec sumserunt, nec passi sunt? muta distinctionem:

Paruimus: victi venia est haec sola pudoris.

150. *Ocyus avertant diri mala semina belli.*] Abeant in rem malam ista belli irritamenta. Ante *avertat*, incongrue. GROTIUS. Colbertini duo *avertant:* sed Puteaneus, Harleianus, Cant. Trin. et magna recentiorum turba cum Rom. et Ven. *avertat.* Aliud agebat vir magnus, cum illam lectionem huic anteferebat. *Avertere* absolute, pro avertere se, tergum obvertere, recte dicitur: sed avertant, pro *abeant in malam rem*, vereor ut Latinum sit. Contra, *avertat Caesar pecuniam, semina belli,* pro intercipiat, notissima locutio est. Cicero in Verrem [I. 4.]: *Istum in quaestura publicam pecuniam avertisse*, et alibi saepius. Vidit hoc accuratissimus Gronovius

Quo te Fabricius regi non vendidit auro,
Quicquid parcorum mores servastis avorum,
Quod dites Asiae populi misere tributum,
Victorique dedit Minoia Creta Metello,
Quod Cato longinqua vexit super aequora Cypro.
Tunc Orientis opes, captorumque ultima regum
Quae Pompeianis praelata est gaza triumphis
Egeritur: tristi spoliantur templa rapina;
Pauperiorque fuit tunc primum Caesare Roma.
  Interea totum Magni fortuna per orbem
Secum casuras in proelia moverat urbes.
Proxima vicino vires dat Graecia bello.
Phocaicas Amphissa manus, scopulosaque Cirrha;
Parnassusque jugo misit desertus utroque.
Boeoti coiere duces, quos impiger ambit

167. E*ru*itur, c. 168. tu*m*, supra scripto ab eadem manu *tunc*, c. 174. Bo*etii*, b. Bo*ecii*, c. bo*etii*, erasa *o*, ut videtur, inter *e* et *t*, d.

Observ. IV, v. [p. 569. ed. Lips.]

172. *Phocaicas Amphissa manus,]* *Phocaicus* a *Phocaea* Ioniae urbe ducitur: at a *Phocide* circa Parnassum regione, ubi Amphissa est, *Phocicus* esse debuit.

Iterum Noster V, 144.

Candida Phocaica *complectitur infula lauro.*

id est, Parnassia sive *Phocica*. Rursus pro *Phocaea* Phocida posuit, III, 340.

Et post translatas exustae Phocidos *arces.*

Denique recte usurpat verbum, ut III, 301.

Phocais *in dubiis ausa est servare juventus.*

III, 561.

Phocaicis *medias rostris oppone carinas.*

III, 583.

Phocaicis *Romana ratis vallata carinis.*

Ex his apparet, poetam, non loca ipsa, sed locorum nomina confudisse; quod notabant Glareanus olim, posteaque Salmasius. Errorem quidem hunc scriptoribus latinis communem volunt; sed in prosaicis facile est in librarios culpam transferre: Lucanum versus ipsi redarguunt: nec Grammaticorum ferulas datur effugere.

Fatidica Cephissos aqua, Cadmeaque Dirce,
Pisaeaeque manus, populisque per aequora mittens
Sicaniis Alpheus aquas. Tunc Maenala liquit
Arcas, et Herculeam miles Trachinius Oeten.
Thesproti, Dryopesque ruunt, quercusque silentes
Chaonio veteres liquerunt vertice Sellae.
Exhausit totas quamvis delectus Athenas,
Exiguae Phoebea tenent navalia puppes,

175. cephi*sus*, c. 176. popul*os*que, supra scripto ab alia man. *vel populis*, c. 177. tu*m*, d. 178. *Aethen*, sed man. sec. *Oe*ten correctum. 179. Th*res*proti, b. Thespo*d*ri, supra scripto ·*t* ab alia man. et in margine ·*Thesproti*, c.

176. — *populisque per aequora mittens Sicaniis Alpheus aquas.]* Meliores scripti *Alpheos*, ut etiam apud Senecam. Ceterum *populi Sicani* dicuntur, prima syllaba correpta, non Sicanii.

177. — *Tunc Maenala liquit Arcas,]* Colbertinus vetus, Cantab. Trin. cum aliis aliquot LINQUIT, ut mox 179. *Dryopesque ruunt.* Placet eo magis, quod mox habemus v. 180. *liquerunt.* BENTL.

Immo lege cum Voss. Marpurg. et Cantabrig. Codd.

> TUM *Maenala* LINQUIT
> *Arcas et Herculeam* VILIS *Trachinius Oeten.*

ita malim, quam *miles.* Sponte hoc intelligitur. Ideo enim linquunt patriam, ut militent. Lapidoso saxo condita, unde nomen habet, TRACHIN pauperes incolas habebat, et nullum bello nomen habentes. Recte igitur VILIS *Trachinius.* SENEC. *Herc. Oet. vs.* 135.

> *Ad Trachina vocor, saxa rigentia,*
> *Et dumeta jugis horrida torridis,*
> *Vix gratum pecori montivago nemus.*

TUM, id est *praeterea.* Adverbium temporis *tunc* hic locum habere non potest, quod jam praecesserat INTEREA *vs.* 169.

> INTEREA *totam Magni Fortuna per orbem*
> *Secum casuras in proelia moverat urbes.*

Interea id est, *interim*, *tunc temporis.* Leve hoc, monere tamen visum. JEV.

180. — *Sellae.]* SELLOE clare exhibent Colbertinus prior, Puteaneus, et Harleianus: Plinio [Hist. IV, 1.] *Selli* dicti: sed ideo gratior est archaismus hic, *Selloe*, quia addit *veteres.*

182. *Exiguae Phoebea tenent]* Cum veteres editiones habeant *Pirenae*, probo doctissimi Gronovii emendationem *Piraea.* vide ipsum [lib. primi] capite III. observationum. GROTIUS. Sed

Tresque petunt veram credi Salamina carinae.

in alio etiam verbo mendum latere existimo. Quid enim est TENENT *navalia puppes?* si tenent navalia, non exeunt: quomodo igitur (quod sententia ipsa postulat) ad Pompeium et ejus arma veniunt? Dedit, aut fallor, Lucanus,

Exhausit totas quamvis delectus Athenas;
Exiguae PIRAEA TAMEN *navalia puppes,*
Tresque petunt veram credi Salamina carinae.

Notat auctor, celeberrimas fama Athenas philosophiae deditis magis abundasse, quam militiae, et exigua partibus auxilia suppeditare. Ordo est, *Tamen exiguae (parvae) naves petunt credi Piraea navalia, et tres petunt credi veram Salamina.* Nimirum, cum florerent res Atheniensium, in magna erant fama *Piraeus portus* et *Salamis vera;* plane ut *ὁ Διὸς Κόρινθος.* Hae exiguae licet copiae ingenti se fastu ferebant, et vetere locorum fama se tutabantur. Unde vos? ex portu Piraeo. unde autem vos? ex Salamine vera. vix credibile, tam paucas, tam tenues, ex locis per totum orbem celebratis, *οἵα ἐξ οἵων. Petunt igitur credi. Salamis vera*, quod jam notum est, ut a colonia ejusdem nominis, a Teucro condita, distinguatur. Seneca Troad. 844, *Numquid Ajacis Salamina veram?* Manilius v, 50.

Vera Syracusis Salamis non merget Athenas.

[Addit Bentl. ad Manil. l. l., nostro citato, Horat. Carm. I, 7, 29.

certus enim promisit Apollo
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.

WEB.] *Quamvis*, et in redditione *tamen; quamquam, tamen*, passim reperies.

Virgilius Eclog. VI, [49.]:

At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis *collo timuisset aratrum.*

Ergo vide, an Georg. IV, 208. sic reponendum sit, de apibus,

Ergo illas quamvis *angusti terminus aevi*
Excipiat (neque enim plus septima ducitur aestas),
At *genus immortale* tamen: *multosque per annos*
Stat fortuna domus, et avi numerantur avorum.

Pro *tamen* literis inversis hodie fertur *manet:* cui non nimium favet, quod eodem sensu sequitur *stat.* BENTL.

Quantam interpretibus crucem fixerint *Phoebea* haec *navalia*, quantumque in his duobus versibus interpretandis sudaverint summi critici, dici vix potest. Alii ACTIUM; alii RHODON; alii APOLLONIAM intelligunt. Sunt, qui PIRAEA corrigant. Inveniuntur quoque, qui in portu Piraeo templa vel navalia Apollini sacrata somnient, et propterea PHOEBEA a Lucano vocari, magna cum confidentia adseverent. Alii aliter explicant. Scholiastes vero more suo delirat et nugas agit. Varias vero virorum doctissimorum opiniones recensent OUDENDORPIUS et BURMANNUS, qui conjiciebat *vetant* pro *petunt.* BENTLEIUS rescribit,

Exiguae PIRAEA TAMEN *navalia puppes*
Tresque petunt veram credi Salamina carinae.

Corruptus manifesto locus est. *Puppes* enim *exiguae* et *tres carinae* ineptissima putidissimaque *ταυτολογίᾳ* hic conjunguntur. Pi-

Jam dilecta Jovi centenis venit in arma

RAEUM *portum* saepe audivi, at PIRAEA NAVALIA numquam. In PHOEBEIS vero navalibus, siquidem de ATHENIS agitur, vel ACTIUM, vel RHODON, vel APOLLONIAM quaerere idem mihi juxta esse videtur ac velle

piscari in aere,
Venari autem jaculo apros in medio mari.

Quid opus longis ambagibus? De ATHENIS et *victoria Salaminiaca* sermo est, quod probet haec emendatio,

Exhausit totas quamvis delectus Athenas,
EXIMIAM THESEA *tenent navalia* PUBEM,
Tresque PROBANT, *veram credi Salamina, carinae.*

manifesto et menti poetae, ni fallor, congruo sensu. Dicit poeta, *licet continuo delectu fere exhaustae essent Athenae, in navalibus tamen* ATTICAE *ad auxilium Pompeji superfuisse eximiam et electam pubis nauticae copiam, qua oneratae tres carinae antiquam rei navalis gloriam et veritatem victoriae ad Salamina satis probarent.* THESEA *navalia* lego, id est *Attica*, ut VIRGILIO *Lib.* II. *Georg. vs.* 383. THESIDAE sunt *Athenienses.*

Praemiaque ingentes pagos et compita circum
THESIDAE *posuere.*

Probat PROPERT. *Lib.* III. *Eleg.* XX. *vs.* 24.

Inde ubi Piraei capient mea lintea portus,
Scandam ego THESEAE *brachia longa* VIAE.

id est, *brachia* VIAE ATTICAE, *muro munitae Piraeum versus.* EXIMIAM PUBEM (*nauticam*, uti claret ex voce *navalia*) id est, *rei navalis peritissimam*, *quae tribus carinis probare posset, veram esse famigeratam illam Salaminiacam de Persis quondam victoriam.* pbnt et ptnt quam facile mutari possint in MSS, criticos non latet. Sic *Lib.* IX. *vs.* 352. dicit, *Libyam coelo proximam esse,*

Ut PROBAT *ipse calor.*

Ita *exitus acta* PROBAT apud OVID. *Heroid.* II. *vs.* 85. Veram autem esse hanc emendationem, ultro patet ex *Lib.* V. *vs.* 52. ubi ait:

FAMAE VETERIS LAUDANTUR *Athenae.*

id est, *probantur et commendantur propter veterem rei navalis gloriam*, *quam missa hac* EXIMIA *nautarum* MANU VERISIMILEM *non tantum* REDDERE, *sed et* QUASI RETINERE *videbantur.* nisi enim *eximia manus* fuisset, laudari non meruissent. Sic infra *h. l. vs.* 696.

TURBA *fuit unus in illa*
EXIMIUS *Phoceus animam servare sub undis.*

Ita enim legendum. Vulgo *pugna.* Quum nimirum narrat poeta historiam illius pugnae, quivis facile senserit, quam ridicula sit ibi vulgata lectio. JEV.

184. *Jam dilecta Jovi centenis venit in arma Creta vetus populis.*] *Creta vetus?* vetus urbs, vetus populus, vetus nomen regionis, sed regio ipsa cur *vetus?* an aliis regionibus veterior? Repono,

Tum dilecta Jovi, centenis venit in arma
Creta POTENS *populis.*

ut Horatius Carm. III, 27, [33.]

Quae simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten.

Idem Epod. IX, [29.]

Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis iturus non suis.

Ubi vides post Pompeji tempora, etiam post victoriam Augusti Actiacam, centum urbibus nobilem Cretam. BENTL.

Illud *jam* mihi hic non admodum placet; melius enim tum dixisset, *venerat.* Forte an *quin* legendum. OVID. *Epist.* XV. *Heroid. vs.* 151.

QUIN *etiam rami positis lugere videntur*
Frondibus, et nullae dulce queruntur aves.

JUVENAL. *Sat.* XI. *vs.* 132.

adeo nulla uncia nobis
Est eboris, nec tessellae, nec calculus ex hac
Materia, QUIN *ipsa manubria cultellorum*
Ossea.

TIBULL. *Lib.* II. *El.* IV. *vs.* 40.

At tibi, quae pretio victos excludis amantes,
Diripiant partas ventus et ignis opes.
QUIN *tua tunc iuvenes spectent incendia laeti.*

BENTLEJUS pro *vetus* audacter rescribit *potens.* Sed male. *Creta vetus* recte se habet, sed non ideo *vetus* vocatur, *quia in ea nutritus est Jupiter*, uti somniat scholiastes, sed coniunctim haec capienda, *Creta vetus centenis populis*, id est, *quae centum olim urbibus celebris erat.* Sic HORAT. *Epod.* IX. *vs.* 29.

Aut ille CENTUM NOBILEM *Cretam* URBIBUS
Ventis iturus non suis.

NON *eo tempore*, quo haec scribebat Horatius, sed *olim.* APTARE *pharetras* tamen cum BENTLEJO libens rescripserim.

Cultissimus NASO opem supplex petit, quam ei denegare non possumus loco corrupto *Epist. Heroid.* IV. *vs.* 56. ubi vulgo haec legas:

Jupiter Europen (prima est ea gentis origo)
Dilexit, tauro dissimulante Deum.
Pasiphae mater, decepto subdita tauro,
Enixa est utero crimen onusque suo.

Bis TAURO in duobus contiguis versibus non fuerit a venae Ovidianae fertilitate. Lege,

Jupiter Europen (prima est ea gentis origo)
AVEXIT, CORNU *dissimulante Deum.*

AVEXIT *Europen Jupiter* LATITANS SUB FORMA CORNUTI BOVIS. *Antea enim jam* DILEXERAT. PETRONIUS *[p. 172. ed. Helenop.]*:

Qui factum est, quod tu projectis, Jupiter, armis
Inter coelicolas fabula muta taces?
Nunc erat a torva SUBMITTERE CORNUA *fronte,*
Nunc PLUMA CANOS DISSIMULARE *tuos!*

dissimulare CORNU *Deum* et *dissimulare canos* PLUMA est *in taurum, in olorem se vertere.* Gemina haec adeo, ut dubitatio nulla supersit.

Suavissimo PROPERTIO quoque salutiferam manum commodabimus *Lib.* II. *Eleg.* XVI. *vs.* 9.

Me licet aeratis adstringant brachia nodis,
Sint mea vel Danaes condita membra domo;
In te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas,
Ferratam Danaes transsiliamque domum.

Brachia adstringant me nodis aeratis stribligo mera. Illud *in*

185 Creta vetus populis, Gnossasque agitare pharetras
Docta, nec Eois pejor Gortyna sagittis.

185. Gnososque, *o* a sec. man. addita est, b. Gnosasque, c. d. pharetra, erasa *s*, b. 186. *peior*, *p* in membr. erasa, c.

te vix mihi placere potest, neque etiam *transsiliam*. Quid dubitamus manum poetae revocare? Lege,

Me licet aeratis adstringant VINCULA *nodis,*
Sint mea vel Danaes condita membra domo;
TUNC *ego et aeratas rumpam, mea vita catenas,*
Ferratam Danaes TRAJICIAMQUE *domum.*

A te avelli numquam potero, mea Cynthia: et, licet ferreis catenis constringerer, vel in ferrata turri includerer, TUNC *exitum tamen invenirem, ruptisque catenis et effracta turri ad te redirem.* VINCULA AERATIS NODIS sunt *aereae catenae*, ut mox eas vocat. *Vincula* et *nodos* ita conjungit *Eleg.* XXII. *vs.* 6.

Pars etiam visa est VINCLA *parare mihi:*

et statim,

Hic erat, hunc mulier nobis irata locavit.
Dixit, et in collo jam mihi NODUS *erat.*

TRAJICIAM, id est, *perrumpam.* Sic *sagittae* dicuntur TRAJICERE *scuta*, id est, *perrumpere*, *perforare* apud LIVIUM *Lib.* XXXI. Sic TRAJECTA *pectora ferro* VIRGIL. *Lib.* I. *Aen. vs.* 359. et ita passim apud poetas. Eademque significatione *voces* TRAJICERE sive *pertransire januam* dicuntur PROPERTIO *Lib.* I. *El.* XVI. *vs.* 27.

O utinam TRAJECTA *cava mea* VOCULA *rima*
Percussas dominae vertat in auriculas!

transsiliam enim hic nimis leve est, nec ad rem facit, quod poetae *Lib.* II. *El.* XIV. *vs.* 38. *rumor* dicatur TRANSSILIRE *terras et maria*, et apud HORATIUM [I. *Od.* 3, 23.] aliosque *naves maria transsilire*, quorum illud ad *celeritatem*, hoc ad *audaciam* referri debet. Hoc certe loco plane ridiculum fuerit, si captivus *ferratam turrim*, qua inclusus teneretur, uno, satis periculoso, saltu TRANSSILIRE quam *perrumpere* mallet. JUV.

185. *Gnossasque agitare pharetras Docta, nec Eois pejor Gortyna sagittis.]* Quid hoc est, an Gortyna non habuit pharetras, nisi quas a Gnosso petebat? veterrimi nostri quattuor, cum Arundeliano, GNOSOSQUE. Sed quid est *agitare pharetras?* an eas *agitando* doctrina ostentabatur? Immo vero ea demum peritia erat, si pharetrae humeris apte insiderent, non *agitatae*, non gerenti molestae. Dederat sine dubio auctor,

— *Gnossosque* ARTARE *pharetras*
Docta, nec Eois pejor Gortyna sagittis.

Imitatus est Nostrum Silius II, 101.

Eois quamvis certet Gortyna sagittis.

APTARE *pharetras*, ut Statius Theb. IV, 259.

— *Dictaeaque tela*
Ipsam et Amyclaeas humeris aptasse pharetras.

Tunc qui Dardaniam tenet Oricon: et vagus altis
Dispersus silvis Athamas, et nomine prisco
Encheliae versi testantes funera Cadmi.

187. — *et vagus altis Dispersus silvis Athamas,]* Sic quidem codices, sed invitis eis, suum auctori reddendum, ATHAMAN. Ab *Athaman Athamanes;* ut ab *Acarnan Acarnanes:* at ab Athamas esset Athamantes, ut ab Abas Abantes.

189. *Encheliae versi testantes funera Cadmi.]* Hoc dicit Apollodorus, a Grotio citatus, III, 5, 4, *Cadmum cum uxore* πρὸς Ἐγχέλεας, *ad Encheleas, venisse: quibus ex oraculo ducem electum Illyrios bello subegisse ibique regnasse; postea cum conjuge* εἰς δράκοντα μεταβαλόντα, *in draconem versum, ab Jove in Elysium campum dimissum esse.* Plus dicit Dionysius Periegetes v. 390. *Et apud Illyrios Cadmum et Harmoniam in angues transformatos esse, et* ἐρικυδέα τύμβον, *celebre et conspicuum monumentum iis positum.* Apollonius Argon. IV, [517.]

> *Οἱ δ' ἄρ' ἐπ' Ἰλλυρικοῖο μελαμβαθέος ποταμοῖο,*
> *Τύμβος ἵν' Ἁρμονίης Κάδμοιό τε, πύργον ἔδειμαν,*
> *Ἀνδράσιν Ἐγχελέεσσιν ἐφέστιοι.*

Nondum tamen haec Lucani loco commentarium faciunt. Quid enim mirum, si *funera* Cadmi testantur Encheliae? quid in hac re testibus opus? Quis expectabat Cadmum fore immortalem? Aut valde fallor aut aliud dedit auctor,

> *Encheliae versi testantes* SIBILA *Cadmi.*

Eo certe nos ducit *versi.* Horatius Arte Poet. 187.

> *Aut in avem Procne* vertatur, Cadmus in anguem.

Claudianus I, Eutrop. 293.

> *In volucrem Tereus*, Cadmus se vertit in anguem.

Nimirum hoc erat, quod Encheliae sive Illyrii testarentur, non *obiisse* eos, sed in serpentes conversos. Graecia hoc monstrum non viderat: homines a Thebis discesserant: quod *postea* serpentes facti sint, penes Enchelias fides erat. Necessaria haec emendatio est, nisi ipsam in angues conversionem *funus* dici velis, et eos protenus, ex quo mutati sunt, interiisse. Sed vetat hoc Statius, qui diu sub nova forma mansisse eos praedicat, Theb. III, 289.

> — *indigna parumne*
> *Pertulimus, divae Veneris quod filia longum*
> *Reptat, et Illyricas ejectat virus in herbas.*

Sibila itaque testantur Encheliae, non *funera.* Prehendit tamen aurem Statius Theb. I, 227, ubi Jupiter in scelera et monstra Thebarum sic stomachatur.

> — *quis* funera Cadmi
> *Nesciat, et totiens excitam a sedibus imis*
> *Eumenidum bellasse aciem?*

Quid vero, o bone Jupiter, utramque buccam inflas, quod Cadmus funeratus est? hoccine vel flagitii quicquam vel miraculi in se habet? Immo vero et in Statio eadem chorda aberrarunt librarii, et SIBILA, quod Encheliis testandum restat, in FUNERA mutaverunt. Ovid. Metam. IV, 587, de Cadmo,

> —*Quotiesque aliquos parat edere questus,*
> SIBILAT: *hanc illi vocem natura relinquit.*

Colchis, et Adriacas spumans Absyrtos in undas,
Et Penei qui rura colunt, quorumque labore
Thessalus Aemoniam vomer proscindit Iolcon.
Inde lacessitum primo mare, cum rudis Argo

190. Colchos, sed in margine ab alia manu Colchis. c. Abs*i*rt*us*, c. 191. Penei, omisso *Et*, b. c. d. 192. proscindit, *n* ab eadem manu, sed posterius addita est, b. prosc. vomer, c. p̄sc*i*dit, d. 193. lacessitum *est*, b.

190. *Colchis, et Adriacas spumans Absyrtos in undas,]* *Colchis Absyrtis*, ita quidem legendum, ut *Lacedaemonium Tarentum*, et alia a conditoribus nominata: quae et Micylli olim emendatio erat; modo versus non spurius sit, quod valde suspicor. Utrimque enim populi nominantur, hinc *Encheliae*, inde *Penei qui rura colunt:* at in medio *tellus*, non incolae. Tum *spumans in undas Hadriacas*, de fluvio rectius dicatur, ac de insula.

191. *Et Penei qui rura colunt,]* Putavi delendum *Et*, quia rectus casus est *Πηνειὸς*, non *Πηνεὺς*; sed etiam Georgicon IV. [335.] *Penei* esse dissyllabum notat Servius. Virgilium ergo secutus Lucanus duram contractionem aut abscissionem fecit. GROTIUS. Scripserat in curis secundis vir magnus: *Dele* ET, *manuscriptis auctoribus: nam nomen fluminis est Peneüs, Πηνειός; non Peneus, Πηνεύς.* in tertiis, ut vides, mutavit factum, Virgilii loco inductus Georg. IV, 335.

Tristis Aristaeus Penei *genitoris ad undam*
Stat lacrimans.

ubi non notat Servius, *dissyllabam esse* Penei, sed ipse versus indicat. Prior sententia lectioque verior,

PENEI *qui rura colunt.*

Sic omnes ubique codices cum Rom. et Ven. sic et alibi *τρισυλλάβως* VI, 372.

Peneo *donavit aquas et*
gurgite rapto.

377,

Gurgite Penei pro siccis
utitur arvis.

Sic omnes poetae tam Latini quam Graeci. Neque vero Virgilii locum sanum esse crediderim; aut poetarum doctissimum in fluvii nomine erravisse. Arethusa hoc dicit ad Clymenen sororem; utraque Penei filia. Atqui satis, opinor, agnoscebat Clymene genitorem suum, quamvis proprio nomine tacito. Crediderim dedisse poetam,

Tristis Aristaeus MAGNI *genitoris ad undam.*

mox inter lineas glossema additum *Penei:* et postea ab indocto librario textui insertum. BENTL.

PENEI sublata copula recte rescribunt OUDENDORPIUS et BENTLEJUS, quorum ille quidem AESONIAM *Iolcon*, hic vero TEMERATO GURGITE reponendum putat. Vulgatam *litore* defendere conatur Oudendorpius hoc colore, quod Argonautae externa litora violaverint, belloque innoxias gentes vexaverint; atque in hanc rem exempla producit.

Fateor tam *temerare* LITORA, quam MARIA recte dici pro *violare*; hoc tamen loco, quia de *prima expeditione navali* LACESSITUM MARE dicit auctor, rescribi malim GURGITE. Loquitur enim de illicito mortalium ausu, quo per *intentatum antea aequor* viam facere tentarunt. *Illicitum* et *vetitum* enim putabant VIOLARE UNDAS SACRAS. vid. omnino *Cel.* BURMANN. *ad* VAL. FLACC. *Lib.* I. *vs.* 627.

> *Hoc erat* ILLICITAS TEMERARE *rudentibus* UNDAS,
> *Quod nostri timuere patres!*

unde HORATIUS *Lib.* I. *Od.* III. *vs.* 24. *vada* NON TANGENDA vocat,

> *Si tamen impiae*
> NON TANGENDA *rates* TRANSILIUNT VADA.

Verum, ut aperte agam, mirari satis nequeo, doctissimos viros neque haesisse hoc loco, neque ullam manifestae satis mendae suspicionem habuisse. Quid enim sit *miscere gentes ignotas*, doceri velim. Durum siquidem videatur explicare *conjunxit gentes antea ignotas*. Ego certe exemplum hujus locutionis desidero. *Ignotae gentes* quomodo *misceri* possint, non capio. Quid longis ambagibus opus? Facessant hinc *ignotae gentes*, et revocetur vera poetae manus! Hoc modo, ni fallor, scripsit Lucanus,

> *Penei qui rura colunt, quorumque labore*
> *Thessalus* AEOLIAM *vomer proscindit Iolcon;*
> UNDE *lacessitum primo mare, cum rudis Argo*
> IMBUIT IGNARAS TEMERATO GURGITE *gentes.*

Ne audaciae me damnes, erudite lector, rationum pondera aequa judicii lance libres velim. AEOLIAM *Iolcon* scripsi, a CRETHEO *Aeoli filio, qui, expulsis Pelasgis, Iolcon tenuit*, ut docemur ex *Homeri* SCHOLIASTE, quem MStum in Bibliotheca Medicaea haec habere verba, refert doctissimus LUC. HOLSTENIUS ad STEPH. BYZANT. *in* v. *Ἰωλκὸς p.* 152. *Ἐξ Αἰόλου Κρηθεὺς, ὃς Ἰωλκὸν κατέσχε Πελασγοὺς ἐκβαλών. Τούτου δὲ οἱ παῖδες Πελίας μὲν ἅμα Ἰάσονι Ἰωλκὸν ᾤκουν· Νηλεὺς Πύλον σὺν Ἀμυθάονι· Φέρης δὲ Φεράς.* Pro *Ἰάσονι* vero rescribendum *Αἴσονι* clamat ipsa historia, siquidem Peliae frater fuit Aeson, cujus filius Jason, qui et hinc *Aesonides* audit. *Unde* rescripsi pro *inde. Unde*, id est, *ex qua urbe.* Facilis hic librariorum error. Mox vero correxi, IMBUIT IGNARAS *gentes temerato* GURGITE, hoc sensu, ut sit: RUDIS *Argo* (*quae numquam navigaverat*) *prima* DOCUIT IGNARAS (*navigationis*) *gentes* MARIA TRANSIRE *et* VIOLARE. IMBUIT TEMERATO GURGITE, id est, *aequor temerare et transire docuit.* CATULLUS *Carm.* LXIII. *vs.* II.

> *Illa rudem* CURSU *prima* IMBUIT AMPHITRITEN,

id est; *maria nondum navigata navigari docuit.* Corrigendus hinc PROPERTIUS *Lib.* IV. *El.* X. *vs.* 5.

> *Imbuis* EXEMPLO PRIMUS NOS, *Romule, palmae*
> *Hujus, et exuviis victor ab hoste redis.*

Tu, Romule, primus nos docuisti exemplum hujus victoriae. Vulgo male legitur,

> *Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae.*

Proposuisse hanc emendationem est jam confirmasse. Ita FLORUS *Lib.* II. *Cap.* III. *Galli et Illyrii, quotidiani et quasi domestici hostes* TIROCINIIS MILITEM *imbuebant*, id est, *prima militiae rudimenta novos milites*

Miscuit ignotas temerato littore gentes,

194. *gurgite* gent., c.

docebant. Sic lego. Vulgo male, *tirocinia militum imbuebant.* Sic *imbuere terras vomere* pro *tangere* et *sollicitare aratro*, et *feraces frumenti reddere* dixit VAL. FLACC. *Lib.* I. *Argon. vs.* 69.

> *ut saevos frenasse dracones*
> *Creditus*, IGNARAS CERERIS *qui* VOMERE TERRAS
> IMBUIT *et flava quercum damnavit arista.*

VULPIUS ad dictum CATULLI locum scribit, alios in VAL. FLACCO legere IGNAVAS, idque sibi elegantius videri. Criticam hic sibi male faventem expertus est vir doctissimus et in VALERIO et in CATULLO. IGNARAS CERERIS *terras* IMBUIT VOMERE *Triptolemus*, id est, *nescias frumentum ferre primus aravit et sevit*, *adeoque jam* FRUMENTA FERRE DOCUIT, uti *navis Argo prima* RUDEM *et* ANTEA INTACTAM *Amphitriten* NAVIGARI DOCUIT. Si enim in VALERIO quis *ignavas* legere voluerit, nae! ille in explicatione, quid de voce CERERIS futurum sit, non inveniat. *Argo* igitur IGNARAS *gentes navigationem docuit*, ut OVIDIUS diserte testatur *Lib.* II. *Amor. Eleg.* XI. *initio*:

> *Prima* MALAS DOCUIT, *mirantibus aequoris undis,*
> *Peliaco pinus vertice caesa* VIAS.

Dein, credo, dedit poeta,

> *fatisque per illam*
> *Accessit mors* UDA *ratem;*

id est, *mors naufragii in aqua*, uti scholiastes forte bene cepisse videtur. Qui enim, quaeso, LUCANO minus id juris fuisse videatur, quam JUVENALI, qui SICCAM nobis *mortem* dedit *Sat.* X. *vs.* 112.

> *Ad generum Cereris sine caede et sanguine pauci*
> *Descendunt reges et* SICCA MORTE *tyranni.*

in loco STATII a BURMANNO citato, *Et populis mors* UNA *venit*, ita explicari debet, ut UNA *mors* sit *communis populis.* Suffragia omnium eruditorum exspectat haec emendatio! JEV.

194. — *Cum rudis Argo Miscuit ignotas temerato littore gentes,*] Quomodo sodes *litore*? immo ipso *mari* temerato. Correxeram GURGITE, posteaque Bersmanni codicem sic habere cognovi. Propertius I, 17. [13.]

> *Ah pereat quicumque rates et vela paravit*
> *Primus*, *et* invito gurgite *fecit iter.*

Val. Flaccus I, 627.

> *Hoc erat*, *inlicitas* temerare *rudentibus* undas
> *Quod nostri timuere patres.*

Idem tamen Flaccus I, 801.

> — *nec sola mei gravia adfore nati*
> *Arma ratemque putet: classes et Pontica signa*
> *Atque indignatos* temerato litore *reges*
> *Mente agitet.*

Sed et hic GURGITE reponendum: etsi magis ferendum sit, quam apud Nostrum. Ceterum locum hunc Lucani et alterum VI, 400.

> *Prima fretum scindens Pagasaeo littore pinus,*
> *Terrenum ignotas hominem projecit in undas.*

Primaque cum ventis, pelagique furentibus undis
Composuit mortale genus, fatisque per illam
Accessit mors una ratem. tunc linquitur Aemus
Thracius, et populum Pholoe mentita biformem.
Deseritur Strymon tepido committere Nilo

197. tu*m*, b. d. l*i*quitur, d. 198. biform*e*, b. 199. co*m*ittere, d.

pulchre ut solet, imitatus est Statius, Silv. III, 2. [61.]

> *Quis rude et abscissum* miseris animantibus *aequor*
> *Fecit iter? solidaeque pios telluris alumnos*
> *Expulit in fluctus, pelagoque immisit hiantes?*
> *Audax ingenii* —

Ubi Gronovius magno ambitu et molimine conatur hoc explicare: ANIMANTIA, ait, *sunt spirantia, quae spirando se animant; et* HIANTES *sunt respirantes: et opponuntur piscibus, quorum pauci adeo pulmones habent.* Quid ergo? Hoccine voluit Statius, hominem, qui primus mare aperuit, Iasonem puta, omnia *terrestria animantia* in pelagus secum detulisse? tot aquaticos quadrupedes, aquaticas aves, qui spirantes utique sunt, primum in mare immisisse: antea scilicet in terra eos victum sibi quaeritasse? Semper male rem gerunt, etiamsi ingenio praestantes, qui pravas lectiones quoquo modo defendere volunt. Tu vero lege,

> *Quis rude et abscissum miseris* MORTALIBUS *aequor*.

Ex nostro sumsit *mortalibus* v. 196.

> *Primaque cum ventis pelagique furentibus undis*
> *Composuit* mortale genus.

ut et illud *solidae telluris alumnos* ex Nostro quoque,

> *Terrenum ignotas hominem projecit in undas.*

Miseris mortalibus, *mortalibus aegris*, quoties vel in uno Virgilio habes? Deinde pro *hiantes* repone,

> — *pelagoque immisit* HIANTI.

Pelagus *hians* opponitur telluri *solidae*.

Noster v, 641.

> — *cumque tumentes*
> *Rursus* HIANT *undae*.

Inde jocus Catullo captatus LXXXIV. [10.]

> *Cum subito adfertur nuntius horribilis;*
> *Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,*
> *Jam non Ionios esse, sed Hionios.* BENTL.

199. *tepido committere Nilo*] Age! hoc in loco critica nostra experiatur vires suas, ut Lucano misero succurramus. Languet poeta letali vulnere, et Machaona diu frustra quaesivit. Quid enim, quaeso, caussa esse dicamus, quod STRYMON, *Thraciae fluvius* dicatur CONSUETUS COMMITTERE *Bistonias aves*, id est, *Strymonias sive Thracias grues* NILO TEPIDO? et quomodo explicabimus illud *committere Nilo?* anne, ut simpliciter sit *mittere in Aegyptum?* Nugae! Nullas veneres habet haec lectio, et

Bistonias consuetus aves, et barbara Cone

Lucanus tam inepte scripsisse non videtur. Scholiastes uno impetu omnes difficultates tollit, gladio Alexandri nodum Gordium secans. Sic ait: STRYMON, *fluvius Thraciae per Bistoniam paludem fluens.* VIRGILIUS: *Strymoniaeque grues. Has ergo ille Bistonias aves dicit.* Euge! Nisi nobis hoc grande sophos prodidisset, sine dubio adhuc lateret! *bello* et supra scriptum *Nilo* erat in Voss. sec. *Bistonas* notae Hadriani habent ex libro vetere. *Bistoniae aves* hinc facessant! STRYMON *suas aves*, id est, GRUES dabit. Quin *Nilo tepido* forte etiam tuto carebimus. Hortensius enim in vetusto codice *rapido* invenit. Quare, arrepta Vossiani codicis scriptura, legendum censeo:

Deseritur Strymon, TREPIDIS *committere* BELLO
PYGMAEIS ASSUETUS *aves.*

solitus nempe *grues suas* EMITTERE AD DEPUGNANDUM *bello cum* TREPIDIS PYGMAEIS. *Picmis* in codice fuit, unde *Bistonis*, *Bistonas* et tandem *Bistonias* factum *trpido*, *tpido* et *rpido* frequenter confusa. vid. DRAKENBORCH. ad SIL. ITAL. *Lib.* IV. *vs.* 182. Sic apud OVID. *Lib.* II. *Amor. El.* VIII. *vs.* 20. codices *tepidos* et *rapidos Notos* exhibent. Fundus emendationis meae est JUVENALIS, qui hunc locum imitatus esse, et, satyrico sale adsperso, jucundissimi risus materiam inde quaesivisse videtur *Sat.* XIII. *vs.* 168. ubi sic ait:

Ad subitas Thracum volucres nubemque sonoram
Pygmaeus TREPIDIS *currit bellator in armis:*
Mox impar hosti, raptusque per aera curvis
Unguibus a saeva fertur grue. Si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiare; sed illic,
Quamquam eadem assidue spectentur proelia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.

TREPIDIS *armis* ibi lego, id est, *quae* TREPIDUS *sumserat ad* SUBITAM NUBEM *gruum advolantium.* PARVUS *bellator* insipidum, quia PYGMAEUS additur. PARVA *arma* languidum et putidum; Pygmaeus enim Ajacis clypeum aut Achillis hastam non quassaverit. TREPIDIS *Pygmaeis grues suas depugnaturas mittit Strymon.* Probat HOMER. *Iliad. Γ. vs.* 5. de gruibus loquens:

Κλαγγῇ ταίγε πέτονται ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων
'Ἀνδράσι ΠΥΓΜΑΙΟΙΣΙ ΦΟΝΟΝ καὶ ΚΗΡΑ ΦΕΡΟΥΣΑΙ.

ubi vid. Schol. Committere bello elegans locutio. VALER. FLACC. *Lib.* VIII. *Argon. vs.* 395.

nec MARTE CRUENTO
Europam atque Asiam prima haec COMMITTAT *Erinnys.*

CLAUDIANUS *Lib.* I. *in Eutrop. vs.* 282.

geminam quid dividis aulam,
Conarisque pios ODIIS COMMITTERE *fratres?*

Committere bello igitur *Pygmaeis aves suas* dicitur Strymon, quasi *paria gladiatorum*, quae hinc COMPARARI, COMPONI et COMMITTI proprie dicuntur. Vid. quae diximus ad *Lib.* II. *vs.* 715.

CYANEASQUE AESTUS COMMISIT *in aequore* CAUTES.

Res notissima. *Assuetus* erat in Barber. et Bersmann. *Picmisassuetus* in *Bistonias consuetus* migravit. JEV.

200. — *et barbara Cone Sar-*

Sarmaticas ubi perdit aquas, sparsamque profundo
Multifidi Peucen unum caput alluit Istri:

202. a*b*luit, c. a*l*luit, correcta *a*, et supra scripta *l*, ab eadem manu, b.

maticas ubi perdit aquas,] Sane illa *Cone* tam barbara est, ut nullus qui nunc extat scriptor mentionem ejus fecerit. Interpretes Nostri insulam esse volunt; prorsus contra poetae sententiam. Fluvius sine dubio est, cum tres ordine recenseantur, *Strymon*, *Cone*, *unum caput* sive ostium *Istri* insulam Peucen alluens. Illud quoque, *Sarmaticas ubi perdit aquas*, quid aliud notat, quam fluvium Conen ex Sarmatia fluere, et in Istrum confluere, ubi aquas et nomen perdit? Nempe, ut Plinius IV, 24., *Ister sexaginta amnibus receptis in Pontum evolvitur.* Ex his sexaginta unus erat *Cone*, cujus ut aliorum, pluriumque, vetera nunc nomina interierunt. Colbertinus vetus, et Caianus COME. BENTL.

Locus intricatissimus, quod patet ex incerto aestu interpretum haec explicare tentantium apud OUDENDORPIUM. BURMANNUS nihil hic tentavit, quod equidem miror, cum summus criticus ad difficillimos nodos acri et subacto vera masculae poesios cognitione judicio solvendos quasi natus videretur. Quaerenda tamen via est, qua laboranti poetae opem feramus, siquidem locus manifesto corruptus apparet. Quam inepte enim *Hister* SARMATICAS AQUAS hic *perdere* dicatur, nemo non videt: quale vero sit illud *unum caput*, quod *Peucen* vel ALLUIT vel ABLUIT, ne divinus quidem dixerit; ut taceam *caput* (quod recte observavit OUDENDORPIUS) de OSTIIS *fluminum* non recte dici. Nam quod locum LIVII a doctissimo viro allatum spectat, in eo CATADUPA legi debere, vero admodum simile videtur, quia addit *quae vocant*, plane eodem modo, quo CICERO locutus est *in Somnio Scipionis* [cap. 5.]: *Sicut ubi Nilus ad illa*, *quae* CATADUPA *nominantur*, *praecipitat ex altissimis montibus*: in CAESARE autem *Lib.* IV. *B. Gall. cap.* X. corrigendum puto, *Rhenus multis* EXITIBUS *in Oceanum influit*. *ex̄tbus* et *cp̄tbus* in MSS. vix differunt. *Exitus*, *egressus*, *ora*, *cornua* passim de *ostiis fluminum*. VALER. FLACC. *Lib.* IV. *vs.* 716.

> *Nec septemgemini memorem quas* EXITUS HISTRI,
> *Quas Tanais flavusque Lyces Hypanisque Melasque*
> *Addat opes.*

et *Lib.* VIII. *vs.* 185. ubi *exitus*, *ostia*, et *cornua* conjunguntur:

> *Non procul hinc ingens Scythici ruit* EXITUS *Histri*,
> *Fundere non uno tantum quem flumina* CORNU
> *Accipimus, septem exit aquis, septem* OSTIA PANDIT.

OVID. *Lib.* II. *Trist.* [189.]

> *Solus ad* EGRESSUS *missus septemplicis Histri*
> *Parrhasiae gelido virginis axe premor.*

Temeritatis culpam igitur cur deprecer, nulla ratio esse videtur, siquidem in corruptis locis omnia potius tentare, quam boni critici officio non litare interpretem decet. De urbe CONE nihil uspiam mihi compertum, quare dubito, an poeta nobis non

Mysiaque, et gelido tellus profusa Caico

203. perfusa, b. c. d.

dederit DONE, urbs *Danubio* apud Sarmatas cognominis, quam sua, Romanis barbara, lingua *Done* vel *Donau* (uti etiamnum hodie) vocabant. Arguat hoc vel *Donawerta*, urbs olim libera Romani imperii, ad Danubii et Wernitii confluentes sita, verum anno 1606. a Bavariae duce Maximiliano bello subacta. Quare, si quid judicio critico et conjectura valeo, legendum mihi videtur,

et barbara DONE,
SARMATICOS *ubi perdit* AGROS,
PRESSAMQUE *profundo*
MULTIFIDUS *Peucen* IMI CAPIT ALVEUS *Histri.*

ubi multifidus Histri, in mare descendentis, alveus perdit agros Scythiae, et Peucen, in insulae formam redactam, cingit aquis suis. PERDIT *agros*, id est, *vastat, solvit et exhaurit aquis suis*, ut *Lib.* II. *vs.* 408. dixit poeta. Vide, quae notavi in *Prodrom. pag.* 221. *Sarmaticae aquae* risum merentur, quia sic Hister in ipsa Sarmatia Sarmaticas perderet aquas, quod qua ratione confieri possit, non video. MULTIFIDUS IMI *Histri* ALVEUS est *flumen Histri, uno et continuo antea alveo decurrentis, mox ad urbem* DONAM *in multa se ostia dividentis, atque ita se in mare exonerantis.* ALVEUS proprie de fluviis. OVID. *Lib.* I. *Met. vs.* 423.

Sic, ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus et antiquo sua flumina reddidit ALVEO.

PHARIOS hic malim, utut *madidos* defendi posse videatur pro *limo fertili impraegnatos.* LUCAN. *Lib.* II. *vs.* 217.

nec jam capit ALVEUS *amnem.*

et *Lib.* IV. *vs.* 86.

tam largas ALVEUS *omnis*
A ripis accepit aquas.

et *Lib.* X. *vs.* 311. de Nilo:

Rursus MULTIFIDAS REVOCAT
piger ALVEUS *undas.*

quo *multifidus imi Histri alveus* valide confirmatur. Nam *imum* recte conjecerat vir doctus apud OUDENDORPIUM, uti res ipsa probat. CAPIT PRESSAM *profundo*, id est, *ambit et cingit suis aquis. Profundum* enim et de fluviis recte dicitur, quod probari non opus. Sic *Thybris* DIVIDUA AQUA PREMERE dicitur *insulam* apud OVIDIUM *in Fastis* [I, 291.]:

Accepit Phoebo nymphaque Coronide natum
Insula, DIVIDUA *quam* PREMIT AMNIS AQUA.

Ita PRESSUS AB HOSTE *Romanus* est *hostibus undique cinctus* LUCANO *Lib.* I. *vs.* 514.

cum PRESSUS AB HOSTE
CLAUDITUR *extremis miles Romanus in oris,*
Effugit exiguo nocturna pericula vallo.

Vides ibi *claudi militem pressum ab hoste*, ut hic PRESSA CAPITUR *Peuce* PROFUNDO. Gemina haec sunt, ut ovum ovo vix similius videatur. Negligentia librariorum locum corrupit, qui cum in codice *cpt albus* invenissent, bellam et lepidam lectionem *caput abluit* nobis concinnarunt. *albus* est *alveus*, sollemni τῦ *b* in *v* mutatione. Sed ridiculum illud *caput*, pro CAPIT, *alveum* in *abluit* et *alluit* corrumpere eos adegit. JEV.

203. ***Mysiaque*, *et gelido tel-***

Idalis, et nimium glebis exilis Arisbe.
Quique colunt Pitanen, et quae tua munera Pallas
Lugent damnatae Phoebo victore Celenae:

204. Pitane*m*, b, quod et c, in margine puncto notatum habet; in textu *pytanen*.

lus profusa Caico Idalis,] MYSIA Puteaneus et Harleianus, recte, non, ut alii plerique, MOESIA. Virgil. [Georg. IV, 370.] *Mysusque Caicus.* Pro IDALIS autem, quae nulla est, recte olim Micyllus, AEOLIS. Mela I, 18. *Proxima regio* Aeolis *facta, ante* Mysia. Plin. V, 32. Aeolis *proxima est, quondam* Mysia *appellata.* BENTL.

Et hic locus criticorum ingenia diu torsit, qui multa hic comminiscuntur varieque tentant, nec tamen se expediunt. Corrupta videlicet lectio interpretationem haud recipit. *Tellus perfusa Caico* est ipsa Mysia, ut patet ex VIRGILIO, qui MYSUM *Caicum* appellat, ut et NASO *Lib.* III. *Art. Am. vs.* 195.

Sed non Caucasea doceo de rupe puellas,
Quaeque bibunt undas, MYSE CAICE, *tuas.*

Aut igitur *Caicus* hinc migret, aut *Mysia* cedat, oportet. Praeterea *gelidus* Caicus cur dicatur, nullam peculiarem rationem video. IDALIS mihi juxta ac ceteris interpretibus incognita. Illud *nimium exilis* mihi, ut ingenue fatear, hic perquam exile, quin et putidum videtur. Quid multa? Somnium meum vobis narrabo, quod proxima mihi nocte bonus Morpheus misit. Legendum puto,

Mysiaque et gelido tellus perfusa CAYSTRO,
SIDE OLEIS NITIDA *et glebis exilis Arisbe.*

Caystro perfusa tellus est Maeonia, quam *Cayster*, gelidus fluvius, atque ideo oloribus frequens, alluit. OVID. *Lib.* II. *Metam. vs.* 252.

Et, quae Maeonias celebrabant carmine ripas,
Flumineae volucres medio caluere Caystro.

IDALIS nauci est. AEOLIS, quod BENTLEIO aliisque placet, locum habere nequit, quia in PITANE eam satis celebrat auctor. *Lydias* vel *Attalis tellus* repugnat, quia nomen urbis desideratur. Vera, puto, conjectura rescripsi SIDE OLEIS NITIDA. SIDE, urbs Lyciae, *olearum proventu celebris* fuisse videtur. Memoratur et urbi ASPENDO jungitur ab EUSTATHIO ad DIONYS. *Perieg. vs.* 852. *Ἀργείων δὲ κτίσμα ἡ Ἄσπενδος, εὐανδροῦσά ποτε κατὰ πολύ. Εἶχε δὲ καὶ ἐλαιῶνα. Φησὶ γὰρ ὁ Γεωγράφος· Ἄσπενδος ἐλαιόφυτος καὶ ΣΙΔΗ Παμφυλικὴ, πόλεις κατέχουσαι χωρία γεώλοφα.* Veram esse hanc emendationem patet, cum ex ipsa corrupta scribendi ratione, (nam ex *Side oleis* primum *Sidolis*, mox *Sidalis* et dein *Idalis* factum videtur) tum ex ipso poeta, qui *Mysiam, Maeoniam, Aeolida, Cariam, Phrygiam, Lydiam, Ilium* sive *Troada, totamque* adeo *Asiam minorem* celebrans, LYCIAE et PAMPHYLIAE immemor fuisse videri nequit: verum et praeterea hinc vel maxime probari videtur, quia in Vossiano pr. talis, OUDENDORPIO teste, narratur fabula: CELAENAE *civitas est abundans olivis. Cum igitur Apollo et*

Qua celer erectis descendens Marsya ripis
Errantem Maeandron adit, mistusque refertur:

207. *et* rectis, b. c. d.

Minerva quamdam inter se contentionem habuissent, et faventibus illius civitatis populis Apollo vicisset, Pallas irata exsiccavit (f. exstirpavit) illorum olivas, et hoc est, quod dicit, TUA MUNERA, PALLAS, LUGENT. *Oleis* igitur *nitida* fuit *Side*, ut nugatoris hujus ineptiae docere videntur: an vero *Arisbe* ex hac Apollinis cum Minerva contentione, exstirpatis olivis, GLEBIS EXILIS sive *arida* facta fuerit, equidem fateor me ignorare, quippe cui haec fabula plane ignota est; voluisse tamen hoc videtur hic scholiastes, cujus verba male ad CELAENAS retulit librarius, cum ad ARISBEN vel SIDEN referre debuisset. *Side* igitur et *Arisbe* civitates fuerunt inter Lyciam et Pamphyliam, ut patet ex MELA *Lib.* I. *Cap.* XIV. *In Pamphylia est Melas navigabilis fluvius, oppidum Sida et alter fluvius Eurymedon.* Nam quod *Arisbe* a STEPH. BYZANTINO aliisque Troadi adscribitur, factum hoc est ignorantia veterum geographorum, Lyciam cum Troade confundentium, quia utrobique est XANTHUS fluvius. Certe situm illius urbis ex unius *Homeri* versibus *Iliad. B. vs.* 825. definivisse videntur; quod quam lubricum sit, vel inde pateat, quod poetae nonnumquam pro ratione carminis et propositi sui verum locorum situm migrent, et longe dissitas regiones conjungant. STRABONIS certe aetate jam non amplius erat *Arisbe*, quam antiquissimam urbem fuisse docet Servius ad VIRGIL. *Lib.* IX. *Aen. vs.* 264. Vid. not. doctissimi viri THOM. DE PINEDO ad STEPH. BYZANT. in *v.* *Ἀρίσβη*. JEV.

207. *Qua celer erectis descendens Marsya ripis]* Sic omnes Codices, ET RECTIS: sic Romana et Veneta: sic Priscianus p. 681, et codex ibi Cantab. sic Lactantius ad Statii Theb. IV. 186: sic et sensus ipse postulat. BENTL.

Variant Codices, et alii *erectis*, alii *et rectis* vel *e rectis* repraesentant; nonnulli *quaque celer rectis* exhibent. De *rectis ripis* multa congesserunt OUDENDORPIUS et BURMANNUS; verum hae *rectae ripae* mihi vix placent et neque Marsyae neque menti poetae convenire videntur. *Celer* Marsyas (si vera haec lectio et a poetae manu) recte dicatur, quia *veloci cursu* defertur, antequam *Maeandro* miscetur, qui impetum ejus retardat ac mollit, teste CLAUDIANO *Lib.* II. *in Eutrop. vs.* 261.

Sed Marsya velox,
Dum suus est flexuque caret:
NAM *flumine mixtus*
Mollitur, Maeandre, tuo.

Quid opus igitur *rectis* illis *ripis?* Quin, nisi me animi providi fallit augurium, et *descendente* Marsya facile carebimus. Nam *celer descendens Marsyas* nescio quid coactum et proletarium sapit. Ineptum illud *celer rectis*, quod Codices occupavit, quin ex CELAENARUS depravatum sit, nullus dubito. *Celereus, Celerectus, celer rectis* sunt aberrantis librarii allucinationes. Hinc versu proxime praecedente corruptam esse vocem *Celaenas*, non vana me tentat suspicio, praesertim propter memoratam illam Vossiani Codicis glossam, quae huic voci adjecta erat. Duplicem hic a poeta fabulam tangi crediderim, alteram quidem Mi-

X

DAE, qui Tmoli inter Pana et Apollinem judicantis sententiam injustam vocando, pravi judicii praemium tulit *aures asininas:* alteram MARSYAE ab Apolline victi et excoriati. Forte legendum:

Quique colunt Pitanen, et QUA *tua munera, Pallas,*
Lugent damnatae Phoebo victore MIDAEAE:
Quaque CELAENAEUS DECEPTIS *Marsya* RIVIS
Errantem Maeandron adit, mixtusque refertur.

Midaeae sive *Midaion* urbs antiquissima fuit, cujus meminit STEPH. BYZANT. *in v.* *Μιδάειον.* [p. 558. Berk.] *Μιδάειον πόλις Φρυγίας. Ἑλλάνικος ἐν δευτέρῳ Δευκαλιωνείας. Καὶ Μιδαὶ λέγονται. Τὸ ἐθνικὸν Μιδαειεὺς καὶ Μιδαιεὺς καὶ Μιδήϊον.* verum pro *καὶ Μιδαὶ* rescribendum *καὶ Μιδαιαὶ*, uti *Πλαταιαὶ*, quod vel arguat gentile *Μιδαιεύς*. MIDAEAE igitur, urbs a Mida condita, *luxisse* dicuntur *munera Pallados*, sive *tibias*, quibus canens Pan a Phoebo lyrae cantu superatus fuit, et *damnatae a Phoebo victore* recte dicuntur propter poenam Midae, quem ob ingenii stuporem longis auribus damnaverat. Dein *Quaque Celaenaeus* rescripsi ex Hamb. tert. qui habebat *Quaque celer rectis* proxime verum. CELAENAEUS *Marsya* ab urbe *Celaenis*, unde

Illustres Satyro pendente Celaenas

dixit STATIUS. [Theb. IV, 18, 6.] Tandem pro *et rectis ripis* vere, puto, correxi, DECEPTIS RIVIS *errantem* Maeandron, id est, *recurvatis*, *incertis*, *nunc cedentibus*, *nunc in se redeuntibus aquis ludentem et cursus suos fallentem.* Manifesta imitatione PROPERTII, cujus verba *Lib.* II. *Eleg.* XXV. *vs.* 35. plane expressit:

Atque etiam ut Phrygio fallax MAEANDRIA *campo*
ERRAT *et ipsa suas* DECIPIT UNDA VIAS.

Sic passim de Maeandro. SENEC. *Herc. Fur. vs.* 681.

Qualis INCERTA *vagus*
Maeander UNDA LUDIT, *et* CEDIT SIBI
INSTAT*que, dubius litus an fontem petat.*

OVID. *Lib.* VIII. *Met. vs.* 162.

Non secus ac liquidis Phrygius Maeander in undis
LUDIT *et* AMBIGUO LAPSU REFLUIT*que* FLUIT*que,*
Occurrensque sibi venturas respicit undas,
Et nunc ad fontes, nunc ad mare versus apertum
INCERTAS EXERCET AQUAS.

Sic Lucanus, nisi fallor, majori elegantia enitescit. Judicent, quibus criticum pectus, auresque poeticae!

NASONEM optimum nunc curabimus et spurcissimis interpolatricis manus sordibus liberatum dabimus *Epist. Heroid.* VIII. *vs.* 21. ubi Oresten incitans Hermione, ut torum suum vindicet, ait:

An, si quis rapiat stabulis armenta reclusis,
Arma feras? rapta conjuge lentus eris?
Sit socer exemplo, nuptae repetitor ademtae,
Cui pia militiae caussa puella fuit.
[Si socer ignavus vidua sedisset in aula,
Nupta foret Paridi mater, ut ante fuit.]
Nec tu mille rates sinuosaque vela parabis,
Nec numerum Danai militis, ipse veni.

Nescio, quomodo HEINSII et BURMANNI effugerit perspicaciam

Passaque ab auriferis tellus exire metallis
Pactolon: qua culta secat non vilior Hermus:
Iliacae quoque signa manus, perituraque castra
Ominibus petiere suis: nec fabula Trojae
Continuit, Phrygiique ferens se Caesar Iuli.
Accedunt Syriae populi, desertus Orontes,
Et felix, sic fama, Ninos: ventosa Damascus,
Gazaque, et arbusto palmarum dives Idume,
Et Tyros instabilis, pretiosaque murice Sidon.
Has ad bella rates non flexo limite ponti,

210. Pact*a*lon, c. 212. peciere, c a man. alia, antea peri*e*re; in margine ab eodem correctore *peciere*, c. 214. S*i*rie, in margine manu alia Syrie, c. *Sirie*, ut fere semper, d. 215. Damasc*o*s, c. 216. Idum*ae*, b.

spurium distichon. *Socer* et *nupta* in duobus continuis distichis ineptissime conjunguntur, sed et praeterea stribligo illa *nupta foret, ut ante fuit*, statim prodit hoc mangonium. Idem dictum esto de proxime sequente disticho,

Vir, precor, uxori; frater succurre sorori:
Instant officio nomina bina tuo!

Ex monachorum, Leoninos versus amantium, officina nempe profluxit, quod vel illud *instant officio tuo*, labentis eloquii et sequioris Latinitatis dictio, satis arguat: ut taceam, quod sine sententiae jactura abesse non tantum possit, sed et, expuncto eo, majorem elegantiam spirare videatur poeta. Jᴇᴠ.

210. *Pactolon: qua culta secat*] Tolle pravam distinctionem: et repone, *Pactolon, qua culta*. Ordo est, *passa Pactolon exire, qua Hermus*. Nimirum Pactolus in Hermum confluit.

214. *Accedunt Syriae populi, desertus Orontes, Et felix, sic fama, Ninos: ventosa Damascus,*] Locus a multis saeculis foedissime corruptus. Primo, quod levissimum est, *Damascos* legendum, terminatione Graeca: ut veterri mi nostri quattuor cum Trin. et uno Bersmanni. Valerius Probus p. 1462, *In os*, ait, *nullum nomen repperi latinum terminatum; unum repperi Graecum, Damascos Damasci, sicut Lucanus*, ᴠᴇɴᴛᴜʀᴀ ᴅᴀᴍᴀsᴄᴏs, *nomen civitatis*. Locum hunc respicit; sed quid facit ɴɪɴᴏs inter urbes Syriae? Non *Syriae* erat Ninos, sed *Assyriae*, ad Tigrim fluvium sita: tantumque abest, ut *felix* tum diceretur, ut diu ante excisa fuerit, vixque nomen, nedum potentiam retinuerit. Quid quod tum sub Parthorum ditione fuit? at *Parthi* v. 265. *dubium tenuere favorem*, neque Pompejo ullas copias subniserunt. Falsum igitur *Ninos*: quid illud alterum ᴠᴇɴᴛᴏsᴀ *Damascos? Ventura*, quod Probi

nunc editio habet, prima fronte se ipsam redarguit: sed quis umquam dixit, aut dicere potuit χαρακτηρίζοντι epitheto, Damascum ventosam? illane praeter alias urbes ventosa, quae sub monte Libano in valle amoenissima sita? praestabo tibi, ni valde fallor, vera Lucani verba, quae librarii olim extinxerunt,

Et felix, sic fama, NIMIS, PRUNOSA *Damascos.*

Colbertinus veterrimus, *Ninus*, iisdem apicibus ac *nimis*. *Nimis felix*, felicissima Damascus. [Virgil. Georg. II, 458.]

O fortunati nimium, *bona si sua norint,*
Agricolae!

[id. Aen. IV, 657.]

Felix, *heu* nimium felix, *si litora tantum*
Numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae.

Silius I, 667, ut hic, de urbe:

Cum felix nimium *dimitteret Ardea pubem.*

De felicitate vero regionis Damascenae Strabonem solum audiamus: ἔστιν, inquit [VI. p. 1096. al. p. 756.] ἡ Δαμασκηνὴ χώρα διαφερόντως ἐπαινουμένη, *regio Damascena excellens*, *et apprime celebrata.* Hoc Strabo, qui Damascum viderat; Noster, *ut fama*, dicit, quippe non testis oculatus. Jam vero PRUNOSA *Damascus* peculiari sibi epitheto; ut mox *Idume*, *dives arbusto palmarum*, et *Sidon*, *murice pretiosa.* Singulas urbes ex singularibus naturae donis denominat. *Pruna Damascena* veteribus celebratissima; quin et hodie nomen servant. Columella lib. X, [404.]

Armeniisque, *et cereolis*, prunisque Damasci.

Sammonicus c. 29.

Prunaque convenient, *quae mittit clara Damascus.*

Prunosa igitur *Damascus*; plane ut Virgilio Aen. III, 705.

Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus.

Ut a palmis *palmosa*, sic a prunis *prunosa*. Quod si quis hic objiciat, hoc vocabulum non hodie alibi extare: quid aliud facit, quam causam optimam proferre, cur librarii ut ignotum corruperint? neque vero *palmosa* nunc usquam alibi legitur, quam in loco isto Virgilii. BENTL.

Hoc loco iterum aestuant interpretes, et quid agant, nescire videntur. *Felix* cur dicta sit Ninos, equidem ignoro, et nulla conjectura assequi hactenus mihi datum fuit. *Scholiastes* more suo delirat. NINOS *Syriae*, inquit, *civitas. Felix dicta, quod post victoriam de finitimis actam rex Indorum eam condiderit*, *ibique victoriae titulos consecraverit.* Rideas, acumen hujus hominis si noveris. Quis enim ille rex Indorum adeo memorabilis fuerit, posteros haud ignoraturos credidit, ut non opus esset nomen ejus memoriae tradere! OUDENDORPIUS ita dictam autumat ob *ubertatem* et *divitias.* RELANDUS *ad* JOSEPH. *Antiq. Jud. Lib.* I. *Cap.* VI. *ob rerum gestarum gloriam.* BENTLEJUS Assyriae urbem Syriae non competere ait, NINON expungit et versum ita refingit,

Et felix, sic fama, NIMIS: PRUNOSA *Damascus.*

prunosa propter *pruna*, DAMASCENA *dicta. Ventosam* dictam putat scholiastes, *quia ventis objecta est*, *quippe campestris.* In recentioris notae codice in 4to, quem *Cel.* BURMANNUS utendum dederat, glossa haec erat, *i. e. vana.* His tamen nihil profectum, ut vides, erudite lector, et latet nos hactenus hujus ap-

pellationis caussa. Tentemus igitur, an ex hoc fumo, ut ait poeta, lucem dare possimus veramque poetae revocare manum. Ut ingenue fatear, nec *ventosa* mihi nec *prunosa* placet *Damascos*, et in illo vulgato *ventosa* antiquae urbis nomen latere arbitror, quam suspicionem meam firmat, quod in VALER. PROBO, quem citat OUDENDORPIUS, legitur *ventura Damascus.* Quare vix dubito, quin scripserit poeta,

Et BELO SACRATA *Ninos:* PALMYRA, *Damascos,*
Gazaque et arbusto palmarum dives Idume.

Vulgatum *sic fama* ineptum est, cum mox *vs.* 200. sequatur *famae si credimus.* NINOS BELO SACRATA sive *a Belo condita.* Utut enim *Ninon* sive *Babylona* a Semiramide conditam dicant multi auctores, non desunt tamen, qui majore jure BELUM conditorem jactent. CURTIUS *Lib.* v. *Cap.* 1, *Semiramis eam condiderat, vel, ut plerique credidere, Belus, cujus regia ostenditur.* Et hinc a DOROTHEO SIDONIO, vetere poeta, quem citat FIRMICUS, vocatur:

Ἀρχαίη Βαβυλὼν Τυρίε Βήλοιο πόλισμα.

ubi Συρίε legendum, siquidem Tyrio *Belo* longe antiquior Syrius sive Assyrius ille, qui Ninon condidit. STRABO certe *Lib.* xv. hoc docet, qui et *Lib.* xvi. [p. 737. et p. 1071. ed. Casaub.] NINON urbem Babylone ipsa multo antiquiorem fuisse, atque post Syros eversos statim deletam scribit. *Vide notas doctissimi viri, Thom. de* PINEDO *ad* STEPH. BYZANT. *in v. Νῖνος* et v. v. D. D. *ad d. l. Curtii:* nec non BOCHART. *Geogr. Sacr. Lib.* IV. *Cap.* XIV. Veritatem huius emendationis jam firmabit SCHOLIASTES, quem nunc ita corrigo. NINOS. *Syriae civitas.* BELO SACRATA, *quod post victoriam de finitimis actam rex* SYRORUM *eam condiderit,* SIBI*que victoriae* TITULUM CONSECRAVERIT. Rationem reddit, cur *Belo sacrata* NINOS. *Quia nempe hanc urbem victoriae titulum sibi consecravit, regnique sedem ibi fixit primus ille monarchiae Assyriorum conditor.* Nemo, credo, amplius dubitabit. *b̄li sc̄ta* et *f̄lx d̄cta* in MSS. vix differunt. De PALMYRA, antiquissima civitate, Babyloni vicina, *vid.* PLIN. *Lib.* v. *Cap.* xxv. et STEPH. BYZANTINUM. Ut forte *p̄lmura* primum in *v̄ntura* transierit, et ridicula librariorum supinaque negligentia tandem in *ventosa* degeneraverit.

CLAUDIANUS interim queritur, nimium me securum sui tamdiu distulisse vulneris mali medelam, quo confossus languet *in Cons. Prob. et Olyb. vs.* 4.

Crinemque repexi
Blandius elato surgant temone jugales.

Elatus temo quid sit, nullus, puto, Automedon divinaverit. Ego certe, qui meus stupor, non capio. *Blandius surgere* nauci est. Vidit hoc HEINSIUS, qui ex Isingrini codice *rubeant* legit, non adeo quidem male, sed cum *roseus ignis* sequitur, mera *ταυτολογία* esse videatur. Narrabo somnium meum. Verum an falsum, alii judicent. Puto scripsisse poetam,

Crinemque repexi
Blandius AURATO SUDENT *temone jugales,*
Efflantes roseum frenis spumantibus ignem.

id est, *ante aureum currum alacriter currentes blandius sudent,* sive *alacrius currant ad blandum usque sudorem. Aurato temone, in aureo jugo.* OVID. *Lib.* II. *Met. vs.* 107.

Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.
Phoenices primi, famae si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: et saxis tantum, volucresque feraeque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.
Deseritur Taurique nemus, Perseaque Tarsos,
Coryciumque patens exesis rupibus antrum,

219. hau*t*, c. 222. flu*minea*[s], *ea*[s] ab alia manu in membr. erasa, sic et *m*, c. 223. volucres, sine *que* b., 226. Cori*th*iumque, b. c.

Aureus axis erat, TEMO AUREUS, *aurea summae*
Curvatura rotae; radiorum
argenteus ordo.

Sudare de equis alacriter currentibus, dum BLANDO, id est, *levi sudore fluant*. Sic PROPERT. *Lib.* IV. *El.* 1. *vs.* 70.

Has meus ad metas SUDET *oportet* EQUUS.

blandius sudent igitur de alacri cursu equorum; nam si majore sudore diffluant, hoc arguit, eosdem defatigatos esse. STATIUS *Lib.* VI. *Theb. vs.* 470.

Jamque et TEPIDIS SUDORIBUS ARTUS
EFFETI, *et crassum rapit ejectatque vaporem*
Cornipedum flammata sitis: nec jam integer illis
Impetus, et longi suspendunt ilia flatus.

LUCANUS *Lib.* IV. *vs.* 754.

Fessa jacet cervix; FUMANT SUDORIBUS ARTUS;
Oraque projecta squalent arentia lingua.

JEV.

219. *Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.]* Quid hoc est? *Cynosura nullis carinis certior quam Tyriis et Sidoniis?* Soli Phoenices Cynosuram servabant, reliquae gentes Ursam majorem. Quomodo ergo certior iis, qui ea numquam utebantur? Valer. Flaccus 1, 17.

— *neque enim in Tyrias Cynosura carinas*
Certior, aut Graiis Helice servanda magistris.

et Manilius 1, 299.

Angusto Cynosura brevis torquetur in orbe
Quam spatio, tam luce minor: sed judice vincit
Majorem Tyrio: Poenis haec certior *auctor.*

Germanicus in Arateis [45.]:

Certior est Cynosura tamen sulcantibus aequor.

Vides quidem ibi *Cynosura certior*: verba nempe eadem, sed orationem diversam. Hic enim *certa* est illis, qui eam servant; at apud Nostrum *certa* est illis, qui negligunt. Rectius utique dixisset APTIOR, ut Patruus Medea 695.

Descendat anguis; cujus immensos duae

Mallos, et externae resonant navalibus Aegae.
Itque Cilix justa jam non pirata carina.
Movit et Eoos bellorum fama recessus,
Qua colitur Ganges, toto qui solus in orbe
Ostia nascenti contraria solvere Phoebo
Audet, et adversum fluctus impellit in Eurum:
Hic ubi Pellaeus post Tethyos aequora ductor
Constitit, et magno vinci se fassus ab orbe est.

227. extremae, b. c. d. 228. Cilex, d. non jam, b. 231. *H*ostia, b. c. d. 232. *im*pellit, *im* in membr. erasa a manu sec. b. impell*ere*; sed in margine *vel impellit*, ab alia manu, c. 233. *Thetio*^{s} ab alia manu, sed in margine ab eadem alia manu thetidos, c.

Major minorque sentiunt nodos ferae;
Major Pelasgis, APTA *Sidoniis minor.*

Sed verum est, quod Bersmanni codex suppeditat, ab ipso spretum,

GRATIOR *haud ullis duxit Cynosura carinis.*

227. *Mallos, et externae resonant navalibus Aegae.]* Quo quaeso nomine *externae* magis quam alia loca hic memorata? Nescio unde primum venerit. Codices nostri universi cum Rom. et Ven. EXTREMAE: nempe *Aegae*, Cilicum urbs, in *extremo* maris mediterranei sinu.

230. — *Ganges, toto qui solus in orbe Ostia nascenti contraria solvere Phoebo]* Iterum insurgit Julius Scaliger, [Hypercrit. VI, 6. p. 781.] *Quam sciens fuerit orbis terrarum, his ostendit Lucanus. An solus Ganges? nonne Padus, nonne Ister in Orientem fluunt? Quod si vult dicere, e directo solis orientis, hoc quoque falsum est, Ganges enim in Austrum exit.* In his nihil praeter meram aeruginem reperies. Quid *Padum* et *Istrum* narras? Hoc ut nesciverit auctor? non noverit orientem et occidentem ubique terrarum esse, vicibus pro diverso respectu mutatis? non noverit ubique *nasci* Phoebum et *occidere?* Sed *nascentem* hic *Phoebum*, cum omnibus aliis poetis, pro extremis Asiae finibus orientem versus ponit, ut IV, 72, *fines Zephyri* in Hispania collocat, etsi orbem terrarum non nescius fuit rotundum esse. Quid tuus ille Virgilius, VIII, 686.

Victor ab Aurorae *populis et litore rubro*
Aegyptum, *viresque* orientis *et ultima secum*
Bactra vehit.

Nesciebat Maro *auroram* et *orientem* etiam in Hesperia esse? Jam vero *Gangem in Eurum fluctus impellere*, Lucani aetate crediderunt, etiam qui se geographos professi sunt. Strabo XV. [p. 690. p. 1011. ed. Casaub.] *Fluvii*, ait, *Indici a Caucaso monte orti, alii ad meridiem fe-*

Quaque ferens rapidum diviso gurgite fontem
Vastis Indus aquis mistum non sentit Hydaspen;
Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos,
Et qui tingentes croceo medicamine crinem
Fluxa coloratis adstringunt carbasa gemmis.

235. div*ersa*, d. 236. *I*daspe*m*, b. 237. *h*arundine, c. d,

runtur, ut Indus; alii πρὸς ἕω ἐπιστρέφονται, *ad orientem convertuntur, ut Ganges.* Codex Puteaneus:

> — *et adversum fluctus* ATTOLLIT *in Eurum.*

235. *Quaque ferens rapidum diviso gurgite fontem Vastis Indus aquis mistum non sentit Hydaspen;*] Nova vides correctorum flagitia. Tot fere sunt menda, quot verba. *Fontem ferens* quis mortalium intelligit? fons certe manet, rivus fertur. *Rapidum* amnem, fluvium, flumen, torrentem, ubique lego, *rapidum fontem* quis vel fando audivit? Unicum vero *fontem* toti Indo, qui tamen ingentem fluvium Hydaspen misceri sibi non sentiat, non tanta accessione crescat? Quot veneres, quot virtutes habere debet poema, quod tot maculis deformatum placere tamen potuit? Restituo ei formam nativam,

> *Quaque* PETENS RUBRUM *diviso gurgite* PONTUM,
> *Vastis Indus aquis mistum non sentit Hydaspen.*

Pro *fontem* Bersmanni codex, ipso judice, male habuit PONTUM: id ipsum praefert Colbertinus veterrimus, et a manu secunda alter. Cetera ex conjectura dedimus, quae ipsa se probant. Scio *rapidum pontum* sic satis posse defendi. Val. Flaccus IV, 270.

> —*spumanti qualis in alto*
> *Pleiade capta ratis, trepidi quam sola magistri*
> *Cura tenet*, rapidum *ventis certantibus* aequor
> *Intemerata secat,*

Tibullus I, 2. [40.]

> *Nam fuerit quicumque loquax; is sanguine natum,*
> *Is Venerem e* rapido *sentiet esse* mari.

Sed eo differunt, quod noster perpetuo epitheto, qualia numquam amat, male vocat mare *rapidum*, quod saepe lentum et tranquillum est; ille ex occasione tantum et ἠθικῶς, in tempestate, et in Veneris ira. Et tamen utrobique corrigendum, RABIDUM *aequor*, RABIDO *mari*, ut Virgil. [Aen. V, 802.] *Rabiem coelique marisque;* apud Tibullum sine dubio, quia quarto post versu sequitur,

> *Fulminis haec* rapidi *carmine sistit iter.*

Nec minus apud Flaccum: si, ut Heinsius conjicit, *rapta ratis* ibi legendum, non *capta*. RUBRUM itaque *Pontum*, qui ad Indiam et Taprobanam usque nomen tenet, [Horat. Od. I, 35, 32.]

> *Examen Eois timendum*
> *Partibus* Oceanoque rubro.

Curtius VIII, 9, de Indo et Gange: *Uterque Rubro mari acci-*

Quique suas struxere pyras, vivique calentes
Conscendere rogos. pro, quanta est gloria genti
Injecisse manum fatis, vitaque repletos,
Quod superest, donasse deis! venere feroces
Cappadoces, duri populus nunc cultor Amani,

241. *Conscendere*, in membr. erasa, b. 242. In*j*ecisse, *j* a manu alia in membr. erasa, c. 244. populus, antea popul*um*, quod alia manus correxit, c. *non* cultor, b. c. d. *E*man*n*i, supra scripto *vel a*, b. Aman*n*i, c. d.

pitur. Et paulum infra, *Mare, quo alluitur India, ne colore quidem abhorret a ceteris:* ab Eruthra rege *inditum est nomen.* Sic et Graeci. DIVISO *gurgite,* quia duobus ostiis exit, ut Strabo. PETENS *pontum*, ut passim alii. Virgil. Georg. IV, 522.

— non qui per saxa volutus
Purior electro campum petit amnis.

240. *— vivique calentes Conscendere rogos.]* Vide Strabonem p. 1048.

244. *— duri populus nunc cultor Amani,]* Codices nostri universi cum Rom. et Ven. NON *cultor*, Claudian. I Proserp. 161, de Aetna:

— pars cetera frondet
Arboribus: teritur nullo cultore cacumen.
BENTL.

In aliis *non cultor* legitur, quod GROTIO et OUDENDORPIO placet. Vulgatam tuetur BURMANNUS. Verum, utrumvis sumseris, ridicula semper exiverit sententia et Lucano indigna. SCHOLIASTES nugatur, qui deliris suis somniis viros doctos decepit. AMANUS, inquit, *mons est Cappadocum, quem ideo dicit non coli, sive quia durus est et arari non potest; sive quia isti semper hostibus occupati sunt et semper resistunt inimicis.* Piget ineptiarum! Quomodo enim Cappadox *duri Amani* vel *nunc cultor* vel *non cultor* dicatur, equidem non video, et nescio, cui haec placere possint. De Amano monte frustra solliciti sunt critici, nam tangitur hic memorabilis Judaeorum historia (nullis exoticis scriptoribus tacta, ut putabat SIMSONIUS *in Chron. Cathol. ad A. M.* 3656.) *de Hamano, jussu Artaxerxis Ochi, ex eo, quod domi suae Mardochaeo erexerat, patibulo suspenso, et sollemni Judaeorum in rei gestae memoriam instituto festo.* Legi ea meretur *libro* ESTHER. *Cap.* III. *et* IV. et apud JOSEPH. *Ant. Jud. Lib.* XI. *Cap.* VI. Quare rescribendum minima mutatione,

Venere feroces
Cappadoces, DIRI *et populus*
nunc ULTOR HAMANI.

ut JUDAEOS innuat, *sollemne festum in memoriam liberationis suae agitantes, et tralatitio more* HAMANUM *hodieque caedentes.* Nec mirum, Lucano innotuisse hanc historiam; POMPEJUS quippe *Hierosolymam intravit, et dissidentibus de regno fratribus arbiter factus regnare jussit Hircanum, et Ari-*

stobulum in vinculis Romam duxit, teste FLORO *Lib.* III. *Cap.* V. Qua occasione Pompejus, qui tum et arcanum templi Hierosolymitani penetrale vidit, cum alia multa, tum hanc de Hamano et Mardochaeo historiam cognoscere potuit, quorum fama postea Romae percrebuit. Veram autem esse hanc emendationem patebit ex *Lib.* II. *vs.* 593. ubi *Cappadoces* similiter cum *Judaeis* conjungit et eodem plane ordine iis *Armenios* subjicit:

> CAPPADOCES *mea signa timent, et dedita sacris*
> *Incerti* JUDAEA *Dei, mollisque Sophene,*
> ARMENIOS, *Cilicasque feros Taurosque subegi.*

CLAUDIANUM continuemus *in Cons. Prob. et Olybr. vs.* 23. ubi haec legas,

> *Haud secus ac tacitam Luna regnante per Arcton*
> *Sidereae cedunt acies, cum fratre retuso*
> *Aemulus adversis flagraverit ignibus orbis.*

variant Codices *retruso*, *retuso*, *recusso* exhibentes. HEINSIUS *retuso* vindicat; *recusso* BURMANNO placet. Male, nam legendum *fratre* REFUSO, id est, *toto fratris lumine reflexo*. In plenilunio scilicet luna soli opposita est, et *totum ejus lumen refundit*, unde hic recte *orbis lunae* SOLI *aemulus* dicitur. Sic BOETH. *de Consol. Phil. Lib.* I. *Metr.* V. [5.]

> *Ut nunc pleno lucida cornu,*
> TOTIS FRATRIS OBVIA FLAMMIS,
> *Condat stellas Luna minores.*

fundere et *refundere lumen* et *splendorem* est frequens. *Vid. Prodrom. pag.* 69. LUCANUS hoc eleganter *reddere* vocat *Lib.* I. *vs.* 538.

> *Cornuque coacto*
> *Jam Phoebe* TOTO FRATREM *cum* REDDERET ORBE,
> *Terrarum subita percussa expalluit umbra.*

Reddere fratrem toto orbe et *refundere fratrem orbe aemulo* gemina adeo sunt, ut dubitationi nullus supersit locus. Mox vero *vs.* 36. pro vulgato *si quem Maeotia* ex Medic. quarto legendum,

> *Audiit et, gelido* SI QUIS MAEOTIDA *pascit*
> *Sub Jove.*

De Scythis septemtrionalibus loquitur, qui eleganter *pascere* et *depascere* dicuntur *Maeotida*, dum per totam illam plagam cum pecoribus errant, pascua mutantes; patetque hoc ex oppositione directa,

> *Calido si quis* COMBUSTUS *in axe*
> *Nascentem te, Nile, bibit.*

sic lego. Vulgo male *conjunctus* circumfertur. *Combustus*, id est, *rapido solis ardore tostus*. PROPERTIUS *Lib.* IV. *Eleg.* III. *vs.* 10.

> USTUS *et* Eoo *decolor Indus* EQUO.

ubi vide BROUKHUS.

CLAUDIANUS ibid. *vs.* 66.

> *Vos nulla fatigat*
> *Cura diu majora petens: non anxia mentem*
> *Spes agit, et longo tendit praecordia voto.*

Quid sit illa *cura diu majora petens*, haud facile expediri posse videatur. BARTHIUS ita explicat, *quasi minores res in transitu expedirent, et intenti essent majoris momenti rebus. Cel.* BURMANNUS AMBITIONEM intelligit. Recte, si quid video. Verum illud *diu* nihil facit ad ambitionem, adeoque neque *ad Bacchum*, ut vulgo ajunt. In

Armeniusque tenens volventem saxa Niphatem:

245. Niphate*n*, b.

Codice Barthii erat, *cura Dei majora petit is anxia mentem.* Legendum suspicor,

Vos nulla fatigat
Cura, DEOS *majora petens: non anxia mentem*
Spes agit et longo tendit praecordia voto.

petens Deos majora sive *majora petendi a Diis.* HORATIUS plane eodem modo *Lib.* II. *Od.* XVIII. *vs.* 12.

Nihil supra
DEOS LACESSO, *nec* POTENTEM AMICUM
LARGIORA FLAGITO,
Satis beatus unicis Sabinis.

Illa vero, *longo tendit praecordia voto*, doctissimus GESNERUS non recte cepisse videtur, dicens, TENDIT, *tamquam arcum, qui non semper ferit, quod minatur.* Ignorantia physiologiae erravit vir summus! Beatos hos fratres praedicat poeta, quia *nil sperant aut metuunt.* In SPE et DESIDERIO frequentia *longa suspiria, quae* THORACEM, *inflatis pulmonibus,* DISTENDERE *solent.* Mox vero *vs.* 100. ADMISSIS *equis* legendum, id est, *concitatis.* OVID. *Lib.* II. *Art. Am. vs.* 434.

Adspice, ut in curru modo det fluitantia rector
Lora, modo ADMISSOS *arte retentet equos.*

dein *vs.* 122. rescribendum puto,

Immensaque cornus IN ALTUM
ERIGITUR, *tremulisque ferit splendoribus Hebrum.*

vulgo *in hastam porrigitur*, quod frustra defendit HEINSIUS. BARTHIUS *in actam* conjicit vel *in astra.* Posterius probare visus *Cel.* BURMANNUS, quia *Lib.* II. *de pr. Cons. Stilich. vs.* 372. dixit,

Currumque patris Bellona CRUENTUM,
Ditibus exuviis tendens AD SIDERA *quercum,*
Praecedit.

Sic lego pro *cruentam. Cruentum Martis currum praecedit Bellona*, TROPAEUM ERECTUM *et* ELEVATUM *manu praeferens. Quercus ditibus exuviis* est *tropaeum.* Vid. *ad Lib.* I. *vs.* 136. *Prodrom. pag.* 36. ut ibi alia longe res merito esse videatur. Ast hoc loco a bello quiescit Gradivus, et juxta eum ingens hasta solo erecta defigitur, sive *in altum erigitur.* STAT. *Lib.* XII. *Theb. vs.* 730.

Ut vero aequoreus QUERCUM MARATHONIDA *Theseus*
Extulit, ERECTAE *cujus crudelis in hostes*
UMBRA *cadit*, CAMPUMQUE *trucem* LUX CUSPIDIS IMPLET.

Sed ad Lucanum revertamur.
JEV.

245. *tenens volventem saxa]* NIPHATES ille *saxa volvens* vel *tollens*, sive mons sive fluvius intelligatur, mihi placere non potest. Haesit et hic *Cel.* BURMANNUS, qui de monte intelligens *tollentem* legebat, quia a PISANDRO poeta apud STEPH. BYZANTINUM [p. 594.] Niphates *ἐϋσκόπελος* vocatur. Hoc certe melius utique fuerit, quam *volventem saxa* de fluvio, quod hoc loco ridiculum videatur. *Niphates* mons Armeniam a Parthia (Parthi enim tunc ZEUGMA tenebant) disterminat, adeoque

hic *Parthiam* vel *Parthorum regem* significat apud Lucanum, si quid conjectura valeo. Suadere hoc certe videtur et Horatius *Lib.* II. *Od.* IX, [20.]

> *Et potius nova*
> *Cantemus Augusti tropaea*
> *Caesaris, et* RIGIDUM NIPHATEN,
> *Medumque flumen, gentibus additum*
> *Victis, minores volvere vertices.*

Et Virgilius *Lib.* III. *Georg.* *vs.* 30.

> *Addam urbes Asiae domitas,* PULSUMQUE NIPHATEN.

ubi *vid.* Serv. Et Juvenal. *Sat.* VI. *vs.* 408.

> *Instantem* REGI ARMENIO PARTHOQUE *cometen*
> *Prima videt, famam rumoresque illa recentes*
> *Excipit ad portas: quosdam facit isse* NIPHATEN
> *In populos, magnoque illic cuncta arva teneri*
> *Diluvio etc.*

ubi *jacit* rescribendum. Jacit, id est, *spargit rumorem, Parthos expeditionem suscepisse.* Propert. *Lib.* III. *Eleg.* XXII. *vs.* 14.

> *Non bene de nobis* CRIMINA *ficta* JACIS.

Livius *Lib.* VI. *Cap.* XIV. *Inter quos cum, omisso discrimine,* VERA *an* VANA JACERET, *thesauros Gallici auri occultari a Patribus,* atque ita passim. Niphaten certe fluvium, *saxa volventem*, ego numquam admisero, qui Acheronta *saxa volventem*, nimia et affectata sine exemplo ὑπερβολῇ, ferre nequeam in Seneca *Herc. Fur.* *vs.* 715. et legendum censeam, vel invitis membranis,

> *At* HINC *tumultu rapitur ingenti ferox*
> *Et saxa fluctu* SOLVIT *Acheron, invius*
> *Renavigari.*

rapido fluctu frangit et dissolvit saxa Acheron, non *volvit*. Sic *Neptunus* SOLVIT *montem in Agamemn. vs.* 555. et *pontus* SOLVIT *confinia montis* apud Lucanum *Lib.* II. *vs.* 436. vide, quae notavi *in Prodrom. pag.* 221. Sed, his missis, Lucanum emendemus. Niphates, ut vidimus, *gentibus victis additur* ab Horatio; *pellitur* apud Maronem; apud Juvenalem vero *in populos exire* dicitur. Quare Lucanus, aeque ac illi, per Niphaten intelligere videtur populum, ex illo monte satis dignoscendum, eosque non Armenios, ut quibusdam visum, sed absque dubio Parthos. Arguit hoc Claudianus *III. Cons. Honor. vs.* 72.

> *Armenii Phasin, Parthi liquere Niphaten.*

Hinc olim legebam,

> *Armeniusque* TERENS *volventem* INSANA *Niphaten.*

ut poeta designaret Phraaten, *Parthorum regem, Artaxiam Artavasdis filium in regno Armeniae vindicantem contra ipsos Armenios, qui fratrem ejusdem Tigranen regem petentes Augusti opem imploraverant.* Quo tempore missus ab Augusto Tiberius Tigrani regnum restituit, et Phraaten Armenia decedere jussit, teste Sueton. *in Tiber. Cap.* VIII. Terebat igitur sive *vincebat Armenius Parthum,* INSANA VOLVENTEM, sive *stolida superbia regnum Armeniae vindicantem, seque Romanis opponentem.* Quantos gesserit spiritus Phraates, quantaque superbia Augusto rescripserit, constat ex Dion. Cass. *Lib.* LV. Neque enim statim cessit Parthus aut Armeniam sollicitare destitit,

Aethera tangentes silvas liquere Coastrae.
Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.

246. Coa*t*rae, b. *Ch*oatrae, c. Co*h*atrae, d.

nisi demum sub Caji Caesaris adventum in Mesopotamiam, cum turbatis regni rebus diffisus, ancipiti pressus periculo, Phraates tandem pacem cum Romanis fecit, ea conditione, ut Armenia cederet, quo tempore et signa militaria Crasso ademta a Parthis recepisse videntur Romani. Sueton. *Aug. Cap.* xxi. Ovid. *Lib.* i. *Art. Am. vs.* 177. *et seqq.* Propert. *Lib.* iv. *Eleg.* vi. *vs.* 80. *et* 83. Vide omnino notas doctissimi Oudendorpii ad utrumque Suetonii locum. Atque ita tunc ratio constat, cur *rigidum* Niphaten dixerit Horatius, *qui Armenia cedere noluit* (ut *rigidus* Cato dicitur *Lucano*, quia a proposito se dimoveri non patiebatur) pulsumque cecinerit Maro, quia nempe *Armenia tota depulsus fuit* Phraates. Insana volventem, id est, *stulta superbia* grandia conantem, ut ait Horat. *Lib.* i. *Od.* vi. *vs.* 9. Sic *dira frementem Lib.* x. *Aen. vs.* 572. *vana tumentem Lib.* xi. *vs.* 854. dixit Virgilius. Facilis autem librariorum fuerit lapsus, *vlvnt insna* in *vlvtm sxa* corrumpentium. Ita olim tentaveram hunc locum: sed nunc fere inducor, ut credam reliquisse nobis Lucanum,

Armeniusque tenens solventem claustra *Niphaten.*

tenens sive *coercens* Parthum, *Euphraten transire, et claustra Armeniae* Zeugma (*Latinae pacis iter* vocat Statius *Lib.* iii. *Silv.* ii. [137.]) *rumpere et laxare tentantem.* Fundus hujus emendationis est ipse poeta *Lib.* viii. *vs.* 235. ubi inquit,

Tot meritis obstricta meis, nunc Parthia ruptis
Excedat claustris vetitam per secula ripam,
zeugmaque Pellaeum.

Solvere, rumpere, laxare claustra frequens poetis, nullaque probatione indiget. *Casta* forte in codice vitiose scriptum fuit pro *castra* vel *claustra*, quod cum non caperent librarii, *saxa* substituisse videntur. *Claustra* et *Castra* saepe confundi solent in MSS. vid. Oudendorp. ad lucan. *Lib.* viii. *vs.* 222.

Si vos, o Parthi, peterem cum Caspia claustra,
Et sequerer duros aeterni Martis Alanos,
Passus Achaemeniis late decurrere campis,
In tutam trepidos numquam Babylona coegi.

ubi per Caspia claustra an non Zeugma intelligat poeta, valde dubito. Jev.

246. —*Coastrae.*] Colbertinus vetus cum tribus Bersmanni Choatrae, *Χοάτραι.* Eo ducunt alii codices, qui cohatrae habent cum editione Rom. et Ven. Val. Flaccus vi, 151.

Centoras, et diros magico terrore Choatras.

248. *Umbras mirati nemorum non ire sinistras.*] Hic quoque insultant viri sine dubio praestantissimi, sed nescio cur Lucano iniquiores. Scaliger filius hoc solum arguit, Lucani hic mentem esse, *τοῖς ἀμφισκίοις, populis inter tropicos sitis*, sem-

Tunc furor extremos movit Romanus Olostras,
Carmanosque duces, quorum devexus in Austrum
Aether, non totam mergi tamen aspicit Arcton.

249. *Horestas*, b. *orastes*, c. *Orestas*, d. 250. *jam flexus*, b. c. d. sed in b. supra scriptum est *devexus*, ab alia manu, sine signo.

per *umbras in austrum, sive sinistras cadere.* Scaliger vero pater [in Hypercr. VI, 6, p. 781.] quid non calumniatur? *Nihil sinistrum vel dextrum, nisi animalium ratione: Pythagoran et Aristotelem dextrum mundi et sinistrum, non ad Austrum aut Aquilonem, sed ad Orientem et Occidentem: denique non verisimile esse, venisse ad Thessaliam milites ex intima seu Felice Arabia.* Patrem vero hic facile repellimus, per quem nec Lucano loqui cum populo licet, nec cum poetis rem amplificare. Quod filio dicamus, hoc est: non miratos esse Arabas, non *semper* isse umbras sinistras; sed *tum* dextras isse, *cum* in sua regione irent sinistrae. Atque huc pertinent, quae ad II, 587, diximus, *Umbras nusquam flectente Syene.* Plinius VI, 22. *Claudii principatu legatis ex insula* (Taprobana Romam) *advectis — Septemtriones Vergiliasque apud nos veluti novo coelo mirabantur. — Sed maxime mirum iis erat, umbras suas in nostrum coelum cadere* (non in suum), *solemque a laeva oriri, et in dexteram occidere, potius quam e diverso.*

Ignotum vobis, Arabes —

Apud Hyginum de limitibus p. 174. legitur *invisum.*

249. — *Olostras,*] Quin et nostri omnes cum Rom. et Ven. ORESTAE. *Oretus* Scaliger legit, Prolegomenis in Manilium [p. 13. ed. Argent.].

250. *Carmanosque duces,*] Bellos sane *duces!* Egone ut tales duces jam provecta aetate patiar, qui juvenis non passus sum Parin Alexandrum *ducem* vocari, sed in Epistola ad amicissimum quondam Graevium verba Laodamiae ad verum redegi? Ovid. Heroid. XIII, [43.]

Dux Pari Priamide, damno formose tuorum,
Tam sis hostis iners, quam malus hospes eras.

Quippe ex aperta Homeri imitatione legendum esse vidi, DUSPARI *Priamide* [Ἰλ. γ, 39]:

Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε, γυναιμανὲς, ἠπεροπευτά.

Etiam hic corrigo,

Carmanosque TRUCES.

Cur *truces* dicantur, ex Strabone disces lib. XV. [p. 727. al. p. 1057.] *Nemini*, inquit, *Carmanorum uxorem ducere fas est, nisi hostis occisi caput ad regem tulerit? Rex calvariam inter thesauros reponit, linguam farina oblitam degustat, reliquam ei qui attulit et circumstantibus comedendam dat.* Noster I, 431. *Vangiones Batavique truces.* VII, 231. *Inde truces Galli.* Val. Flaccus VI, 43. *Heniochosque truces.* Juvenalis XV, 125. *Sauromataeque truces.* et sic alii de aliis.

Ibidem. *quorum devexus in Austrum Aether.] in austrum,* hoc est, ultra Cancri tropicum. Sed nostri, praeter unum, cum Romana, JAM FLEXUS: Veneta

Lucet et exigua velox ibi nocte Bootes.

IAM FLEXIT. Pulmanni unus, et alter Bersmanni DEVEXUS; ex Virgilio, credo, Georg. 1, 441. *Libyae devexus in austros. Jam flexus* perinde est ac *paulum flexus.* Codex Regius DEFLEXUS. Colbertinus prior, ab indocto homine scriptus, qui saepe tamen verae lectionis vestigia retinet, *quorum* ITAME *flexus in Austrum Aether.* An olim fuit?

> *— quorum* IT *deflexus in Austrum.*

ut VIII, 365.

> *Quicquid ad Eoos tractus mundumque tepentem*
> Ibitur.

Sic ibi codices boni, non *labitur.*

252. *Lucet et exigua velox ibi nocte Bootes.]* Frustra hoc exagitat vir summus Jos. Scaliger Prolegomenis ad Manilium [p. 13.]. Carmani, ait Noster, ultra Cancri tropicum siti vident Arcton (seu Septem Triones) in oceano mergi, etsi non totam; quae Romae apud nos ex nulla parte mergitur [Virgil. Georg. 1, 246.]:

> *Arctos oceani metuentes aequore tingui.*

Praeterea apud nos sero mergitur Bootes; [*Ὀδυ. ἐ*, 272.] *καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην*: Carmanis tamen citius occidit quam nobis; lucet magis *exigua nocte*, *velox* magis illic ad horizontem descendit, quam hic: idque evenit ob diversam sphaeri positionem. Si haec, ut sunt, vera sunt: quo pertinet tricari et nodum in scirpo quaerere? Versum tamen spurium existimo, non ob sententiam, sed ob verba; quae cum prioribus male cohaerent: *ibi*, nempe in Carmania, at *duces* dixit, non *locum.* BENTL.

Truces rescribit *cel.* BURMANNUS. Recte, ut puto, nam CARMANI illi DUCES nugatorii sunt. Sed in reliquis verbis explicandis GLAREANUS, HORTENSIUS, BERSMANNUS etc. sudant et aestuant, frustra tenebroso huic loco lucem affundere conati. Caeteri omnes tacent, et neque OUDENDORPIUS neque BURMANNUS aut BENTLEJUS quidquam tentarunt, aut mendae suspicionem habuerunt. Corruptus nihilo minus hic locus est, ut non mirer, altas hic viris doctis fuisse tenebras. Quantae etenim stultitiae damnandus non videatur poeta, si cogitare umquam potuerit, ARCTON MERGI, sive *occidere vel totam vel ex parte!* Notum illud VIRGILII *Lib.* 1. *Georg. vs.* 246.

> *Arctos Oceani metuentes aequore tingui.*

Sed non adeo deliravit poeta, qui sciebat, *Arcton numquam occidere.* Audiamus eum *Lib.* VIII. *vs.* 175.

> *miseros fallentia nautas*
> *Sidera non sequimur: sed, qui* NON MERGITUR UNDIS,
> AXIS INOCCIDUUS GEMINA CLARISSIMUS ARCTO,
> *Ille regit puppes. Hic cum mihi* CERTUS *in altum*
> *Surget, et instabit summis minor Ursa ceruchis,*
> *Bosporon et Scythiae curvantem litora pontum*
> *Spectamus; quidquid* DESCENDET *ab arbore summa*
> ARCTOPHYLAX, PROPIORQUE MARI CYNOSURA *feretur,*
> IN SYRIAE PORTUS *tendet ratis. Inde* CANOPOS
> *Excipit* AUSTRALI COELO *contenta* VAGARI.

Adscripsi integrum locum, quia mire ad rem facit, et haec pulcherrime illustrat. CERTUS re-

scripsi pro *semper*, quod nullius pretii est. *Certus* dicitur ille *axis inocciduus, qui miseros nautas non fallit, et ad quem certo iter dirigunt.* VAL. FLACC. *Lib.* I, *vs.* 17.

> *neque enim* TYRIIS *Cynosura* CARINIS
> *Certior, aut Grajis Helice servanda magistris.*

Sic lego. Vulgo male *in Tyrias carinas.* CERTA SIDERA sunt navigantibus, *ad quae tuto iter dirigere possunt.* LUCANUS supra *vs.* 218.

> HARUM *ad bella rates non flexo limite ponti*
> CERTIOR HAUD ULLIS *duxit Cynosura* CARINIS.

Harum rates lego, nempe TYRI et SIDONIS, quae proxime praeceduat. Vulgo male *Has.* Quin igitur illud *mergi* vitiosum sit, ne dubitari quidem potest. *Jungi* habet Cod. Amstelaed. teste OUDENDORPIO. Dein variant Codices, in quibus vel *devexus* vel *deflexus* comparet. Maxima verò pars *jam flexus* exhibet. *Devexus* probant GROTIUS, OUDENDORPIUS et BURMANNUS. BENTLEJUS, quia in Colbertino Cod. invenerat *quorum itame flexus*, rescribit:

> *quorum* IT DEFLEXUS *in Austrum*
> *Aether,*

et simul *versum* 252. tamquam spurium proscribit, sed immerito! *Devexus aether* quin elegans sit, nullus dubito, sed heic loci menti poetae omnino repugnat, qui non vult indicare, *Carmanos plane in Austrum projectos,* (tum enim ipsis non *Arctos*, sed *Canopos*, australe sidus, appareret, ut ex adductis ex *Lib.* VIII. versibus patet) *sed coelum illorum aliquantum in Austrum inclinari dicit.* Quare, revocata plurium Codicum lectione, rescribendum crediderim,

> *Carmanosque truces, quorum* UT JAM FLEXUS *in Austrum*
> *Aether, non totam,* VERTI *tamen aspicit Arcton,*
> *Lucet* AT *exigua velox ibi nocte Bootes.*

UT *jam flexus* rescripsi; particula enim haec excidisse videtur. In Cod. forte fuit scriptum *q̄r ut j̄m f̄lxs.* sensu optimo. *Quorum aether, quamvis quodammodo in Austrum flexus, adeò ut* NON TOTAM *quidem* ARCTON, *partem tamen,* CYNOSURAM nempe sive URSAM MAJOREM, *cum Boote in axe suo vertentem videre queat, sed Bootes, pro ràtione breviorum ibi noctium, illis celeriter circumagi videtur, cum borealibus populis tardus appareat.* Et recte haec de PERIODICA *Arcti sive Bootae conversione* ceperat astronomiae, si quis alius, peritissimus SCALIGER, licet BERSMANNUS capere non potuerit. VERTITUR *Arctos* proprie *in axe suo*, ut OVID. *Lib.* I. *Trist. Eleg.* III. ait:

> VERSAQUE IN *axe suo Parrhasis Arctos erat.*

Sic lego. Vulgo male *ab axe.* LUCAN. *Lib.* II. *vs.* 237.

> *Parrhasis obliquos* HELICE *cum* VERTERET AXES.

Et *Lib. eodem vs.* 722.

> VERSI *jam plaustra* BOOTAE
> *In faciem puri redeunt languentia coeli.*

ubi olim cum OUDENDORPIO probabam *flexi*: quamvis et τὸ *fessi* mihi non adeo sordet, quia addit *languentia plaustra.* Sed *Lib.* IV. *vs.* 522. lego,

> VERSO*que Ursae temone paverent.*

vulgo *flexo.* In VALER. FLACC. *Lib.* VII. *vs.* 457. etiam legendum,

Aethiopumque solum, quod non premeretur ab ulla

extremo se VERTERAT *axe Bootes.*

Probat hoc JUVENAL. *Sat.* V. *vs.* 23.

Sideribus dubiis aut illo tempore, quo SE
Frigida CIRCUMAGUNT *pigri sarraca Bootae.*

circumagunt se, id est, *vertunt se.* PROPERT. *Lib.* III. *Eleg.* III. *vs.* 67.

Cur SERUS VERSARE *boves et plaustra Bootes?*

Neque quidquam ad rem facit locus SENECAE *in Medeae vs.* 314.

Non, quae sequitur FLECTITque *senex*
Arctica tardus plaustra Bootes.

nam *flectit* ibi non notat *periodicam conversionem* Bootae, de qua hic et omnibus adductis locis sermo est; verum respicit SENECA ad nomen BOOTAE, bubulcum significantis, cui cum *ob senectutem*, tum *κυρίως* epitheton *tardus* convenit, adeoque *sidus Bootae* simpliciter describens eum nobis sistit, *bobus junctis arantem*, *aratrum sequentem* et *pressa stiva currus flectentem sive moderantem*, ut cuivis patere potest ex illo VIRGILII *Lib.* I. *Aen. vs.* 174.

Stivaque, quae CURRUS *a tergo* TORQUEAT *imos.*

torqueat currus, id est, *flectat aratrum.* Ast vero, ubi de ortu et occasu Bootae sermo est et de periodica ejus conversione agitur, non FLECTIT sive *gubernat*, sed plane VERTIT *plaustra* sive *cum Cynosura in axe vertitur et disparet.* VELOX vero in Carmania ideo dicitur BOOTES, quia ibi et *tardius oritur* et *citius occidit*, quam in locis borealibus, adeoque *longe minori temporis spatio lucet*, ut egregie evincit JAC. PALMERIUS in sua *pro Lucano Apologia*, ubi Poetam contra iniquam Scaligeri censuram tuetur; atque simul hinc jam constare poterit, BENTLEJUM hunc versum immerito tamquam spurium damnasse. Prolixior hic fui, ut *vertentem in axe suo* ARCTON et LUCANUM ab ineptiis vindicarem. JEV.

253. *Aethiopumque solum, quod non premeretur ab ulla Signiferi regione poli.]* *Hic vero*, inquit Julius Scaliger, [Hyperc. VI, 6, p. 781.] *nequeo satis mirari, quid Lucano venerit in mentem. Duo hic errores; alter ab eruditis solis castigandus, alter vel a pueris astrologorum irridendus. Primo, si extra Signiferum ungula Tauri promineat; Scorpius paene totus prominet. Deinde, si Tauri ungula supra verticem Aethiopum est; erunt et cetera signa, Gemini, Cancer, Leo, quae in eodem parallelo sunt.* Haec fere Scaliger, et facile quidem esset contra stultissimam lectionem plura dicere, quam indefensam reliquit prudens, ut opinor, sciensque Palmerius. Sed satius est revocare et restituere veram, quam falsam et commentitiam arrodere. Minime dubito, quin evincam, sic a Lucano profectum esse,

— nisi poplite lapso
Ultima TRUNCATI *procederet ungula* CAPRI.

Virgil. Aen. VI, 794.

— super et Garamantas et Indos

Proferet imperium: jacet extra sidera tellus
Extra anni solisque vias, ubi caelifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

ubi Servius, Grotio etiam citatus: *Extra anni solisque vias; ut ostenderet duodecim signa, in quibus est circulus* (lege circuitus) *solis. Significat autem Aethiopiam, de qua ait Lucanus, Aethiopumque solum, quod non premeretur ab ulla Signiferi regione poli, nisi poplite lapso Ultima curvati procederet ungula Tauri.* Ita Servii editiones, etiam vetustae: membranas nullas vidi. Si tamen aut Servius, cum haec commentaretur, legebat TAURI; aut Lucanus ita scribebat: non modo in astronomia hospites erant, sed id quod nolo dicere — quippe in Marone sententiam ipsam tenemus: Jacet Aethiopica versus Austrum *extra anni vias*, ultra Zodiaci spatium. Hanc aemulatus est Lucanus: quid de sua Aethiopia Noster? *Jaceret*, inquit, *ultra totam Signiferi regionem; nisi* TAURI *ungula extra Signiferum procedens illam attingeret.* Tauri ungula extra Signiferum? quae a capite et tergo Tauri introrsus in medium Signiferum vergat? Quale vero illud portentum est! Vult suam Aethiopiam *ad Austrum* porrigi, ultra fines Signiferi: unde ergo pertingat ad eam Taurus, qui in borealibus signis est? Insanus, non indoctus dicendus, qui ita scripserit. Sed dum hoc redarguimus, ad ipsum emendationis limen pervenimus. Omnino enim requiritur signum, quo ex duodecim nullum australius est. Is vero est CAPRICORNUS, qui nisi ungulam ad Austrum protenderet, extra totum Zodiacum Aethiopia jaceret. Pingebatur sic olim Capricornus, poplite lapso, et pede protenso; ut videbis in Grotii Aratois, vetere figura, et in Calendario vetere rustico apud Gruterum p. CXXXIII. *Capri truncati*, id vero est, Capricorni, qui dimidiatus tantum Caper est, cetera Pristis. *Truncati* lego pro *curvati*, ut I, 242, omnes ibi quoque Codices *curvataque cuspide pila*, pro *truncata*. Quod si quis hoc abnuerit, et retinuerit *curvati;* constabit tamen reliquae emendationi fides; quia et Capricornus *curvatus* pingitur, ut Manilius [I, 270]

— et angusto Capricornus sidere flexus:

et [II, 220]

Tuque tuo, Capricorne, gelu contractus *in astris.*

Et *Caper* absolute est Capricornus. Manilius II, 656. [ed. Bentl.]

Quattuor aequali caelum discrimine signant,
In quibus articulos anni deus ipse creavit:
Ver Aries, *Cererem* Cancer, *Bacchumque ministrans*
Libra, Caper *brumam genitosque ad frigora menses.*

Sic ibi obiter corrigendum; nunc absurdissime fertur, *genitusque ad frigora Piscis;* sic ut ex quattuor signis quinque fiant. Extant in Catalectis veterum poetarum, Grammaticorum undecim de signis Zodiaci versus: in quibus de Capricorno:

I. *Armatusque arcu Chiron, et corniger* Hircus.
III. *Centaurusque senex Chiron, et cornua* Capri.
IV. *Atque arcu pollens, et salsi gurgitis* Hircus.
V. *Hinc tendens arcum, liquidi* Caper *aequoris inde.*
VII. *Centaurusque biformis adest, pelagique* Capella.
VIII. *Scorpius, atque Sagittifer, aequoreique* Capri *frons.*

Signiferi regione poli, nisi poplite lapso
Ultima curvati procederet ungula Tauri.

254. S*i*gniferi, *i* et punctum ab alia manu, c. laxo; in margine, sed ab alia manu, *vel lapso*, c.

1. *Et qui tela gerit Centaurus, et aequoris* Hircus.

Postremo, licet intra eosdem parallelos sint Sagittarius et Capricornus; placuit tamen veteribus (τοῖς ἀρχαίοις, narrante Gemino cap. 1.), ut Cancrum maxime borealem, ita Capricornum maxime australem ex duodecim signis existimare; sic ut neutrum horum συζυγίαν, sive combinationem cum ullo alio haberet. BENTL.

Locus hic intricatissimus, quem frustra explicare aggressi sunt interpretes, quemque GLAREANUS merito inexplicabilem pronuntiavit. SCHOLIASTES insigniter nugatur, cuius deliriis ludibrium debuerunt summi critici. SERVII locus, a GROTIO adductus, ex *Lib.* VI. *Aen. vs.* 795.

Jacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias,

aliquid lucis affundit. Ita SERVIUS: *Nulla terra est, quae non subiaceat sideribus. Unde perite addit*, EXTRA ANNI SOLISQUE VIAS, *ut ostenderet* XII *signa, in quibus est circulus* (f. *circuitus*) *solis. Significat autem* MAURORUM AETHIOPIAM, *ubi est Atlas. De qua ait Lucanus*, AETHIOPUMQUE SOLUM etc. Optime sane Servius, cuius unius diligentiae, puto et reconditae eruditioni maximam huius suae felicitatis partem, quod integer et paucis maculis deformatus in ora vulgi prodierit, acceptam referre debet Virgilius, uti contra maxima hinc calamitatis caussa Lucano, quod nugatorem et ineptum scholiasten sortitus fuerit. Ast, quaeso, si SERVII sententia vera est, qui fieri iam possit, *ut* TAURUS, *sidus magis boreale, sub quo Scythia et Asia jacet*, UNGULAM *extra zodiacum* PROTENDENS PREMAT *Aethiopiam Maurorum?* Silent interpretes, et neque OUDENDORPIUS neque BURMANNUS hic quidquam absurdi suspicati fuisse videntur. Solus BENTLEJUS mendam latere vidit, et arguta, me Hercules! conjectura rescribendum esse docuit TRUNCATI CAPRI, id est, *Capricorni*, quam emendationem firmat rationibus astronomicis et Manilii loco. Verissime et ex tripode! nam *sub Capricorno* Aethiopia Maurorum. Ast dissimulare nolo, ne sic quidem persanatum locum videri. *Lapsus poples* inepte dictum, et quomodo *flexo poplite procedere* dici possit ungula Capri haud video. Crediderim reliquisse poetam,

nisi poplite LASSO
Ultima TRUNCATI PROCUMBERET *ungula* CAPRI.

LASSO scilicet *poplite ungula Capri* EXTENDITUR *et* PROCUMBIT *ultra Zodiacum in Mauritaniae Aethiopiam.* Eaque τῷ PROCUMBERE significatio est *apud Poetam Lib.* III. *vs.* 713.

SEDIBUS EXPULSI, *postquam cruor omnia rupit*
Vincula, PROCUMBUNT *oculi.*

id est, *prominent extra sedes suas, in genas effusi.* CLAUDIANUS *Cons. Prob. et Olyb. vs.* 226.

Est in Romuleo PROCUMBENS *insula Tibri.*

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus

id est, *prominens.* Atque hoc *lasso popliti* optime congruit; homines enim fessi et longa via fatigati debiles pedes *extendere* solent. LUCRETIUS *Lib.* IV. *vs.* 948.

Et quoniam non est, quasi quod suffulciat artus,
Debile fit corpus; languescunt omnia membra:
Brachia palpebraeque cadunt, POPLITESQUE PROCUMBUNT.

atque haec caussa est, quod FESSI *Bootae languentia plaustra Lib.* II. *vs.* 722. damnare non ausim. Quemadmodum enim ibi *fessi* in *flexi*, ita et hic *lassi* in *lapsi*; et *fessi*, (quae glossa fuisse videtur τȣ̃ *lassi*) sine dubio in *flexi* similiter degeneravit sollemni mutatione. *pēdre* vero et *pēbre* in MSS. vix differunt, ut facile confundere potuerint librarii.

CLAUDIANI interim me miseret laceri et pessime affecti *in Cons. Prob. et Olybr. vs.* 169. ubi nunc vulgo legitur,

Ante dabunt hiemes Nilum, per flumina damae
Errabunt, glacieque niger damnabitur Indus.

Merito illud *hiemes* suspectum fuit *cel.* BURMANNO, qui et excogitatam BARTHIO hypallagen summo iure explodit, atque, ut absurdum evitetur, conjicit *Ante dabunt hiemes messem* vel *fruges*, vel aliquid simile. Mendae igitur manifestum tenemus locum; neque enim, quae illae HIEMES sint, quae *Nilum dabunt*, sagacissimi critici acumen, credo, divinaverit. Non libet diu argutari in re manifesta. Legendum puto,

Ante BIBENT LIGURES *Nilum, per flumina damae*
Errabunt, glacieque niger damnabitur Indus.

Ligures sive *Galli bibent Nilum,* quod ex oppositione *Indorum*, *quos glacie Gallica damnari* vult poeta, satis apparet. Notum proverbium *nive Gallica frigidior*, ut et illud summi poetae *Eclog.* X. *vs.* 47.

Tu procul a patria (nec sit mihi credere tantum)
ALPINAS *ah dura!* NIVES *et* FRIGORA RHENI
Me sine sola vides.

Expressit optimum magistrum, qui in *Eclog.* I. *vs.* 62. ita canit,

Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut ARARIM PARTHUS BIBET *aut* GERMANIA TIGRIM.

LIGURES celebratissimi Galliae populi, ut nulla hic auctoritate opus sit. *bbnt* et *dbnt* facile confunduntur in MSS. Mox vero ibidem *vs.* 255. pro vulgato,

Indigenas fluvios, Italis quicumque suberrant
Montibus, Alpinasque bibunt de more pruinas.

rescripserim libens,

Alpinasque bibunt PLENO ORE *pruinas.*

neque enim illud insulsum *de more* umquam admisero, nisi probatum mihi fuerit, illos fluvios *mutato more* pruinas aliorum montium Italiae, ut Appennini, Gauri, Gargani etc. bibere potuisse. *Pruinas Alpium* nulli, nisi in Alpibus orti, fluvii exceperint. Sed ad LUCANUM redeamus! JEV.

Euphrates, quos non diversis fontibus edit
Persis, et incertum, tellus si misceat amnes,

257. Eufrates, b. c. d. ita semper. 258. incertum *est*, b.

257. *non diversis fontibus edit Persis,*] Intricatissimus hic locus nostram meretur industriam. Aestuant hic viri docti, nec se expediunt. Alii *non diversis* explicant *non procul distantibus;* alii *uno ex fonte* oriri putant Tigrin et Euphraten, decepti male intellecto Boethii loco, de quo mox videbimus. Scholiastes, qui viros doctissimos in errore confirmat, ingenii sui divites hic recludit thesauros. Ita ille: *Duo flumina Tigris et Euphrates uno fonte procedunt, sed Tigris vadens contra Assyrios, Euphrates contra Chaldaeos, Mesopotamiam mediam inter se terram faciunt. Nam μέσος medius et ποταμὸς fluvius apud Graecos dicitur. Quae duo flumina nisi Mesopotamia separaret, incertum esset, utrum Euphrates an Tigris diceretur.* Piget ineptiarum! Si trivialis scholae infimus praeceptor tales promeret observationes, tironibus ludibrium deberet! Locum corruptum esse, ultro patet. *Persis* ridicula est, quippe est contra ipsam poetae τοπογραφίαν, quae proposita emendatione in aprico constituetur. Praeterea falsum est, Persiam *edere* illos fluvios. *Non diversi fontes* pro *non multum distantibus* vel pro *eodem fonte* sine ratione dictum est et sine exemplo. *Tellus* putida ταυτολογίᾳ, nec non sed *sparsus Euphrates*, et at *Tigris*, laborare videntur, ut taceam, quod *tellus miscere flumina* dicatur, quod quid sit, plane ignoro. Quin, ut verum fatear, *magnus Euphrates* inepte caput tollere dicitur cum *rapido Tigride.* Si mihi divinare liceat, crediderim legendum esse,

Quaque cadit torrens *rapido cum Tigride magnus*
Euphrates, quos ut *diversis fontibus* egit
Lapsus; ita *incertum est*, ubi *miscuit* alveus *amnes*,
Quod potius sit nomen aquis. Dispersus *in agros*
Fertilis Euphrates Phariae vice fungitur undae.
At etc.

Proposita emendatione nunc sensum poetae videamus. Ex tota Graecia, Thracia, Asia minori, India, Syria, Arabia, Aethiopia Pompeio auxilia venisse dicit poeta. His nunc Asiam majorem jungit, et Judaeos, Armenios, Carmanos et denique Medos adjicit. In Media enim sive Susiane oriuntur hi duo rapidissimi amnes, *qui, diversis et separatis fontibus per varios terrarum tractus ubi diu fluxerunt, tandem iuxta Babyloniam confluunt; ubi mox diviso flumine divertentes, et Mesopotamiam proprie dictam includentes, tandem iterum conjunguntur, unoque alveo sub Tigridis nomine in sinum Persicum se exonerant.* Vid. Eustath. *ad Dionys. Perieg. vs.* 977. *etc.* Neque alia mens Boethio fuit *Lib.* v. *de Cons. Phil. Metr.* 1. quem locum sic emendo,

Urbis *Achaemeniae* campis, *ubi versa sequentum*
Pectoribus figit spicula pugna fugax:
Tigris et Euphrates uno se fonte resolvunt,
Sed *mox abjunctis dissociantur aquis.*

In campis, inquit, *Babylonis,* urbis Persarum, *Tigris et Euphrates confluunt, sed mox di-*

Quod potius sit nomen aquis. sed sparsus in agros
Fertilis Euphrates Phariae vice fungitur undae

260. Fertiles, d.

vortium faciunt. Nihil verius! Neque enim omnis geographiae adeo imperitus fuit BOETHIUS, ut vano conatu contra testimonium omnium auctorum statueret, *in Persia uno fonte oriri hos duos amnes! In Persia*, inquit, *uno se fonte resolvunt*, vel *in unum fontem*, (utrumque enim eleganter dici ostendimus *in Prodrom. pag.* 202.) id est, *confluunt, uno fonte aquas suas resolvunt et miscent.* Sic *resolvere se luxu* et *in luxum.* CLAUDIAN. *B. Get.* 367.

> *Ac veluti famuli, mendax quos mortis herilis*
> *Nuntius* IN LUXUM *falso rumore* RESOLVIT etc.

CAMPIS URBIS *Achaemeniae* audacter reposui pro SCOPULIS RUPIS *Achaemeniae*, qui risu explodi merentur. *Plana* enim et *campestris regio* PERSIA. Illepidum vero atque invenustum judicaverim poetae caput, quod ita nobis *Parthorum, concitato per scopulos et rupes equo fugientium, Romanorumque eosdem per ardua insequentium* PROELIA ridiculo spectaculo exhiberet! LUCANUM audiamus *Lib.* VIII. vs. 370.

> *Parthus per Medica rura,*
> ARMENIOSQUE *intra campos effusaque plano*
> *Tigridis arva solo nulli superabilis hosti est*
> *Libertate fugae: sed non, ubi terra tumebit,*
> *Aspera conscendet montis juga.*

Armeniosque scripsi pro *Sarmaticosque: Sarmatia* ibi in censum non venit. Longe enim nimis abest. URBIS ACHAEMENIAE, id est, BABYLONIS *campis*, quam uti ACHAEMENIAM hic LUCANUS ab Persarum Rege *Achaemene*, ita *urbem Persarum* per excellentiam vocat suavissimus PROPERTIUS *Lib.* II. *Eleg.* IX. *vs.* 21.

> PERSARUM *statuit Babylona Semiramis* URBEM.

Dicit igitur LUCANUS: *Quin* MEDIA *Pompejo in auxilium venit, ubi magnus Euphrates torrens devolvitur cum rapido Tigride, qui fluvii, quemadmodum diversis fontibus diu separati fluxerunt nomen suum servantes, ita ubi confluunt et in unum fontem se resolvunt, incertum est, Tigris an Euphrates vocari debeat. Euphrates quidem per agros et campos diffunditur, eosque more Nili fertiles reddit. Sed Tigris* etc. Ita, nisi fallor, optime omnia cohaerent. TORRENS CADIT Euphrates sive *magna celeritate et violentia devolvitur.* Ita *torrens Hiberus Lib.* VII. *vs.* 15. *Nilus Lib.* IX. *vs.* 156. *Rhodanus* apud CLAUDIAN. Epigr. 1, 1. Librarius, male intellecta anagnostae voce, *capit* pro *cadit* scripsisse videtur hoc modo *cpt*, inde *caput* factum, quod ridiculo errore (similiter plane, ut supra *v.* 199. fin. ostendi peccasse Arcadicum illud pecus) ineptos tenebriones τὸ *torrens* vel *tollens* in *tollit* mutare coegit. Neque enim ulla ratio hic est, cur stolida superbia hic CAPUT TOLLAT *magnus cum Tigride Euphrates*, neque ea verba pro *oritur ex fonte suo* commode adeo atque eleganter explicari posse credo. Dein rescripsi *quos* UT LAPSUS EGIT, ITA etc. Summo, ni fallor, judicio. Uterque enim fluvius separato

At Tigrim subito tellus absorbet hiatu,

261. Tygrin, b.

fonte diu currit *per totam Mediam*, antequam juxta Babylonem fluat. *Parthia* sive *Persia* hic absurda est; de *Parthis* enim mox *vs*. 265. agit. Quare PERSIS in LAPSUS mutare sustinui. Quam facile vero *Psis* et *Lpsus* initio versuum, extrita priore literula, confundantur, notum criticis. LAPSUS de *cursu fluminis* frequens poetis. CLAUDIAN. *Eidyll*. IV. *vs*. 15. de Nilo,

Inde VAGO LAPSU *Libyam* DISPERSUS *in omnem*
Aethiopum per mille ruit nigrantia regna.

LUCAN. *Lib*. X. *vs*. 317.

Sed cum LAPSUS *abrupta viarum*
Excepere tuos.

Eleganter vero *lapsus* AGERE dicitur *hos fluvios diversis fontibus* sive *hi fontes diversi* LAPSVS SUOS AGERE. Ita *Lib*. X. *vs*. 315. de Nilo,

mox TE *deserta secantem*
Mollis LAPSUS AGIT.

Sic AESTUS *maris undis declivibus se agere* dicitur *Lib*. IV. *vs*. 428. et Bagrada fluvius *se lentus agit* ibid. *vs*. 588. Mox vero *tellurem* in *alveum* audacter mutavi: sequitur enim et tertio abhinc versu *tellus*, et hic eam vocem ex glossa ortam suspicari licet. *albus* in Codice fuit pro *alveus*, cui a sciolo quodam adscripta glossa *i. e. lectus* (uti in Pandectis Graecis ALVEUS aliquoties per κοίτη redditur) tandem textui irrepsit, *lcts ubi msct*, unde postea, ut versui consuleretur, *tellus sibi* et *tellus si misceat* correctum fuisse videtur. ALVEUS *miscet amnes*, quando duo fluvii in unum alveum confluentes aquas suas miscent. *tellus* hic plane otiosa est. Sic *Lib*. X. *vs*. 311.

Rursus multifidas REVOCAT *piger* ALVEUS UNDAS.

dispersus ipsa sententia postulat, et vindicat severa critica, ne duae adversativae coniunctiones inepte concurrant absque ullo sensu et citra necessitatem. Euphrates enim non solum simpliciter *spargitur*, sed *variis brachiis huc illuc* DISPERGITUR *per agros, Nilique vicem praestat fertiles eos reddendo*. *dspſs* in Codice fuit, quod tam *dispersus* quam *sed sparsus* notare potest. Sed manum de tabula. JEV.

261. *At Tigrim subito*] Sermo hic quodammodo ἀνακόλουθος videtur, et vehementer offendit me illud κακόφωνον in *cursus* et *rursus*, ut sic a Lucano profectum haud credam. Sane *tellus* improprie admodum *Tigrin non abnegare undis pelagi* dicitur, et *tegit occultos cursus* proletarium est. Legendum suspicor,

At TIGRIS, *subito* UT *tellus* ABSORPSIT *hiatu*,
OCCULTO PERGIT CURSU, *rursusque renatum*
Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.

ut *Tigris* dicatur *non abnegare suum flumen pelago*, quod vulgata longe elegantius. UT *tellus* ABSORPSIT rescripsi, nam τὸ *ut* propter sequens *tellus* excidisse videtur. PERGIT OCCULTO CURSU, ut VIRGILIUS ait, *occultas agit vias Lib*. III. *Aen*. *vs*. 695. Sic PERGERE *ad Siculos amores* sive *Arethusam* dicitur *Alpheus* CLAUDIANO *Prim. Cons. Stilich*. *vs*. 187.

Occultosque tegit cursus, rursusque renatum
Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.

262. rursumque, c.

Et Alpheus, Geticis angustus acervis,
Tardior ad Siculos etiamnum PERGIT *amores.*

Eleganter vero *Tigris* NON ABNEGARE FLUMEN SUUM *pelago* dicitur, pro *exonerare se in mare*, prouti idem fluvius *quaesitas aquas non quaerentibus* REDDERE dicitur in aureo fragmento, quod ex Libris Τρωϊκῶν NERONIS hic nobis servavit SCHOLIASTES.

Quique pererratam subductus Persida Tigris
Deserit, et longa terrarum TECTUS *hiatu*
REDDIT QUAESITAS *jam* NON QUAERENTIBUS UNDAS.

tectus hiatu terrae lego sive *occultatus*. Vulgo *tractus*. Notandum vero, Neronem hic PERSIDA posuisse pro *regno Parthorum*, quod tunc temporis Mediam, Parthiam et Persiam complectebatur suo ambitu. Non enim in Persia proprie dicta, sed in *Armenia majore hiatu terrae mergitur Tigris, et per 25 millia passuum latens in* SOPHENE *regione rursus emergit*, teste JUSTINO *Lib.* XLII. *Cap.* III. Ut vero hic Tigris *non abnegare* dicitur *undas pelago*, ita simili modo *Nilus antiquo alveo sua flumina reddere* dicitur OVIDIO *Lib.* I. *Met. vs.* 423.

NASONEM interim (commodum enim me hic admonet) curemus occulto morbo languentem *Lib.* I. *Amor. Eleg.* II. vs. 35. ubi ait,

Blanditiae comites tibi erunt, Errorque Furorque,
Assidue partes turba secuta tuas.
His tu militibus superas hominesque Deosque,
Haec tibi si demas commoda, nudus eris.

Vocem *commoda* hic admodum incommodam et huic loco minime congruam recte observavit BURMANNUS. Quare ironice forte capiendum putat, ut *in castris Cupidinis militantes pro praemiis et militiae commodis errorem et furorem consequi dicantur*. FRANCIUS conjecerat *agmina*. Optime! sed nondum sanatus est locus. Quid enim huc faciat illud insulsum *si demas?* Credo, an male callidus Cupido sibi ipse demeret vel *agmina* vel *commoda?* cave credas! Ovidium culpa absolvo, qui non adeo deliravit, sed, nisi fallor, scripsit,

Haec tibi SI DESINT AGMINA, *nudus eris.*

AGMINA COMITUM sunt *cohors imperatoria*, qui eum sequebantur. *Comites Cupidinis* sunt *Blanditiae, Error* et *Furor*. TIBULL. *Lib.* I. *Eleg.* II, I.

Ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas,
*O utinam memores ipse co*HORSQUE *mei!*

Et huc eleganter respexit NASO *Lib.* I. *Trist. Eleg.* V. [29.]

Quae simul intonuit, fugiunt: nec noscitur ulli,
AGMINIBUS COMITUM *qui modo cinctus erat.*

nullus eris volebat hic idem FRANCIUS, male: NUDUS hic est *inermis*, *sine manibus*, *sine copiis*.

JEV.

Inter Caesareas acies, diversaque signa
Pugnaces dubium Parthi tenuere favorem,

265. *favorem*, in membr. erasa, c.

* 265. *Pugnaces dubium Parthi tenuere favorem.]* Egregium vero epitheton: tum *Parthi pugnaces*, cum minime pugnarent; cum a neutris partibus starent, sed belli eventum lente et otiose specularentur. Non ea Lucano incuria, nec artis ignorantia. Dixisset potius *Mendaces Parthi*; ut Horatius Epist. II, 1. [112.]

Invenior Parthis mendacior.

Vel *Fallaces*, ut Numidae et Poeni. Seneca Oedip. 119.

Terga fallacis metuenda Parthi.

Sed quid tergiversamur? Numquam sic de me existimabo, ut me melius quid invenisse putem, quam auctor ipse reliquerit. Scripsit ergo Lucanus,

Inter Caesareas acies, diversaque signa
ANCIPITES *dubium Parthi tenuere favorem.*

ut II, 447.

Tunc urbes Latii dubiae, varioque favore
Ancipites. BENTL.

Epitheton hoc Parthis non convenire judicat BENTLEJUS, atque ideo legit *ancipites* vel *fallaces*. Nollem factum! Vulgata sollicitanda non est. Favet Pompeji partibus Lucanus, qui Parthorum auxilia sollicitare voluit, adeoque eos *pugnaces* fingit. Hoc claret ex oratione Pompeji, Parthorum vires et potentiam extollentis *Lib.* VIII. *vs.* 300. Et sane Parthi satis metuendi erant Romanis, qui clade Crassi vires eorum experti fuerant, unde *animos in Latium orbem attollere* LUCANO *ibid. vs.* 345. et *Latio imminere* dicuntur HORATIO *Lib.* I. *Od.* XII. *vs.* 53. qui hunc eos *feroces* vocat *Lib.* III. *Od.* II. [3.]

Et PARTHOS FEROCES
Vexet eques metuendus hasta.

Verum, quid illud sit, quod poeta, cum dixerit, dubium inter Caesarem et Pompejum favorem tenuisse Parthos, mox subjungat,

Contenti fecisse duos,

fateor lubens, me ignorare. Anne significet hoc, *occiso Crasso, Triumviros redegisse ad duos*, ut *Cel.* BURMANNUS capere videtur, licet obscurius dictum agnoscat? vel cum eodem summo viro legendum fuerit *contenti fecisse* DUO, id est, *signa et acies?* Ut verum fatear, vix ausim. Prius longe nimis quaesitum; posterius a veritate alienum. Non enim Parthi diviserant Romanos, sed Romani Pompejo et Caesare ducibus partes fecerant. Crassus quidem *belli civilis* MORA vocatur a LUCANO *Lib.* I. *vs.* 100. cujus potentiae metu continebantur Pompejus et Caesar, et quo in Parthia caeso discordare coeperunt. Sed Parthis hoc imputari non potest, quasi *studio* et *dedita opera* fecissent, siquidem *praeter opinionem eorum* id accidit, quod patet ex illa poetae exclamatione ibidem *vs.* 107.

PLUS *illa vobis acie*, QUAM CREDITIS, *actum est,*
Arsacidae! bellum victis civile dedistis!

Alia igitur Lucano mens fuit. Reliqui interpretes hic tacent. Si quid conjectura valeo, divinaverim, hic scripsisse Poetam,

Contenti fecisse SUOS.

sive *utrosque demeruisse, sibique amicos et faventes reddidisse.* Parthi non immerito bellum metuebant a Romanis, qui cladem Crassianam vindicaturi fuissent, nisi exortum esset bellum civile. Irritare igitur nolebant Romanos, satisque sibi ducebant, si belli metu liberi eos

demeruissent, sibique amicos et faventes reddidissent. Hoc et arguit DUBIUS FAVOR, *quem inter Caesarem et Pompejum tenuisse* hic dicuntur Parthi, et tota Lucani PHARSALIA, in qua ubique *neutrarum partium*, et neque Pompejo neque Caesari addictos, eos exhibet. Illa pronomina possessiva, *meus*, *tuus*, *suus* cum verbo *facio* eleganter ea significatione construuntur, et *meum*, *tuum*, *suum facere* notat *mihi*, *tibi*, *sibi carum*, *amicum et faventem reddere*, *aliquem officio demereri*. NEPOS *Albibiad. Cap.* III. *Multos enim liberalitate devinxerat; plures etiam opera forensi* SUOS REDDIDERAT. OVIDIUS *Epist. Heroid.* XII. *vs.* 81.

O virgo, miserere mei, miserere meorum!
EFFICE ME *meritis tempus in omne* TUUM.

CATULL. *Carm.* LXV. *vs.* 91.

Unguinis expertem ne siveris esse; TUAM ME
Sed potius largis EFFICE *muneribus.*

LUCANUS *Lib.* III. *vs.* 34.

Abscindis frustra ferro tua foedera; bellum
TE FACIET *civile* MEUM,

id est, *arctissimo caritatis vinculo iterum conjunget: sequar enim te ubique* etc. *Lib.* VIII. *vs.* 114.

Sociosque lares dignare vel una
Nocte; TUUM FAC, *Magne,* LOCUM etc.

ubi *vid. cel. Burmann.* qui ibi recte citat OVIDIUM *Lib.* II. *Art. Am. vs.* 159.

FAC PLEBEM, *mihi crede,* TUAM.

CLAUDIAN. VI. *Cons. Honor. vs.* 512.

Nam quisquis duro cecidit certamine, NUMQUAM
DESINIT ESSE MEUS.

sive *semper mihi carus manet.* LUCANUS *Lib.* V. *vs.* 351.

Quisquis mea signa relinquit,
Nec Pompejanis tradit sua partibus arma,
Hic numquam vult ESSE MEUS.

Parthis Romani fidere nequaquam poterant, qui quasi e specula civilis belli exitum exspectabant, Fortunam et victricia arma sequi soliti. Arguit hoc historia belli civilis, in quo Pompeji partes primum secuti, mox victis partibus Pompejanis Bruto Cassioque auxilia miserunt; quibus iterum superatis, inita cum Labieno societate, Syriam vastarunt, Romanorumque castra oppugnaverunt teste JUSTINO *Lib.* XLII. *Cap.* IV.

Nunc cultissimos ROMANI CALLIMACHI manes demereri me juvat, laceri hactenus et letali vulnere languentis. *Lib.* I. *Eleg.* XVII. *vs.* 17. ubi ait:

Nonne fuit satius dominae pervincere mores
(Quamvis dura, tamen rara puella fuit)
Quam sic ignotis circumdata litora silvis
Cernere et optatos quaerere Tyndaridas?

Quaenam illa *litora* sint, *ignotis sylvis circumdata*, quae *cernere* nolit constantissimus Cynthiae suae amator, mihi haud liquet. Miror certe, non offendisse hic politissimum et de Propertio immortaliter meritum BROUKHUSIUM; nullo siquidem humano ingenio penetrari posse videtur, quomodo navigantes, tempestate pressi, in praesentissimo naufragii periculo, frustra ope Pollucis Castorisque invocata, *litora ignotis silvis circumdata cernere* possint. Sensus poetae, ni fallor, hic fuerit: *Nonne satius fuit ferre fastus durae et protervae dominae, ejusque saevitiam patientia frangere, quam sic tempestate oppressum in praesentissimo naufragii periculo versari, et frustra implorare opem Castorum?* Credo scripsisse Propertium hoc modo,

Contenti fecisse duos: tinxere sagittas

Quam sic INJUSTIS *circumdata* LINTEA FLABRIS
Cernere, et optatos quaerere Tyndaridas.

LINTEA INJUSTIS FLABRIS CIRCUMDATA, id est, *navim iniquis ventis oppressam. Litora* et *silvae* huc nihil faciunt. Ita CIRCUMDATA sive *oppressa ingenti umbra accipitris* dicitur *columba* apud VALER. FLACC. *Lib.* VIII. *vs.* 33. quem locum sic lego,

Ecce autem pavidae virgo de more COLUMBAE,
Quae SUPERURGUENTI CIRCUMDATA PRAEPETIS UMBRA
In quemcumque tremens hominem cadit etc.

vulgo inepte circumfertur *super ingenti.* SUPERURGUENTI una voce, id est, *supervolitanti*, ut loquitur VIRGIL. *Ecl.* VI. *vs.* 81.

Infelix sua tecta SUPERVOLITAVERIT *alis.*

Ita LUCANO restituimus *perurguere Lib.* II. *vs.* 17.

Ferale PERURGUENT
Justitium.

ubi antea *per urbem* erat. *vid. Prodrom. pag.* 154. Ita *tempestas circumstat Italiam* apud CLAUDIAN. *Bell. Get. v.* III. *Injustis flabris* sive *ventis iniquis.* Ut OVID. *Lib.* II. *Amor. Eleg.* XI. *vs.* 25. ait:

Navita sollicitus qua VENTOS *horret* INIQUOS,
Et prope tam letum, quam prope cernit aquam.

Sic *iniqua vada* eadem hac Elegia *vs.* 10. et *injustum salum Lib.* I. *Eleg.* XV. *vs.* 12.

Multos illa dies incomtis moesta capillis
Fleverat, INJUSTO *multa locuta* SALO.

Sic forte apud LUCANUM *Lib.* V. *vs.* 684. legi posset,

INJUSTIS *spargenda dabas tua membra* PROCELLIS.

ubi Codd. vel *invitis* praeferunt vel *invisis:* et similiter legendum crediderim apud CLAUDIAN. *Lib.* I. *in pr. Cons. Stilich. vs.* 174.

Vexillum navale dares? sub puppibus ibat
Ionium; INJUSTIS NEC CINCTA *Ceraunia nimbis,*
Nec juga Leucatae feriens spumantia fluctu
Deterrebat hiems.

vulgo *nullis* vel *nullum succincta.* Ridicule. CINCTA *nimbis Ceraunia*, non *succincta.* INJUSTI NIMBI optime ibi conveniunt HIEMI, sive *tempestati, spumantia fluctu saxa ferienti.* τὸ *in* absorptum ab ultima litera vocis *Ionium* corruptionis caussa. *flbrs* et *flvs* facile confundi potuere. *Flabra* sunt *venti* PROPERTIO. Sic FLABRA *Boreae Lib.* II, 27, 12.

Solus amans novit, quando periturus et a qua
Morte, neque hic BOREAE FLABRA *neque arma timet.*

Meliora offerenti lubens applaudam. JEV.

266. — *tinxere sagittas Errantes Scythiae populi.]* TINXERE codices nostri omnes: sed acutissimus Heinsius in uno reperit UNXERE; quod ille amplectitur ad Silii IX, 12. Virgilii loco fretus, IX, 772.

— *quo non felicior alter*
UNGERE *tela manu, ferrumque armare veneno.*

Frustra. Ovid. Trist. III, 10. [64.]

Pars cadit hamatis misere confixa sagittis:
Nam volucri ferro TINCTILE *virus inest.*

et Pont. IV, [10, 31.]

Hic agri infrondes, hic spicula TINCTA *venenis,*

Haec duo loca rem conficiunt, versu ipso pronuntiante: in ceteris litigare licet. Plin. Hist. XVIII, 1. *Quod animal, excepto homine, tela sua venenis tingit? Nos et sagittas* tingimus, *et ferro ipsi nocentius aliquod da-*

Errantes Scythiae populi, quos gurgite Bactros
Includit gelido, vastisque Hyrcania silvis.

267. bactros, *c* ab alia manu addita est, c. 268. Inclusit, b. *que* posterius additum est, b.

mus. Ubi *ungimus* reponit Heinsius, quia praecesserat *tingit.* Si hoc necesse est; meliore jure prius mutes, *venenis ungit.* Quid ergo tot aliis locis faciet? XVI, 20. *Sunt venena, quae nunc toxica dicimus, quibus sagittae tinguntur.* XXI, 105. *Hoc venenum Dorycnion appellavere, ab eo quod cuspides in praeliis tingerentur illo.* XXVII, 11. *Limeum herba appellatur a Gallis, qua sagittas in venatu tingunt.* XI, 53. de Scythis, ut hic Noster: Sagittas tingunt *viperina sanie et sanguine humano.* XXV, 5. *Galli sagittas in venatu helleboro tingunt.* Quo ex loco Gellius XVII, 16. *Praeterea scriptum legimus, Gallos in venatibus* tingere helleboro sagittas. Periculum, credo, est, ne non hi ad Virgilium, sed ad hos ille exigendus sit. TINGUERE *tela manu, ferrumque armare veneno.* non enim *unguere tela*, sic ut venenum *abstergi* possit; sed *tinguere*, ut perpetuo virus servent, nulla arte eluendum.

267. — *quos gurgite Bactros Includit gelido.]* Solinus XLIX. *Oxi amnis oras Bateni et Oxydracae accolunt: sed praecipuam partem Bactri tenent. Bactris praeterea est proprius amnis* BACTROS; *unde et oppidum, quod accolunt, Bactrum.* Ubi Salmasius: *Altum*, ait, *apud veteres de Bactro amne silentium. Fefellit Solinum Plinius, cujus verba vulgo sic distinguunt: Bactri, quorum oppidum Zariaspe, quod postea Bactrum a flumine appellatum est. Fefellit et Martianum Capellam, cujus verba sic corrigenda sunt: Inde Oxus amnis, qui circa Bactra cum ejusdem nominis oppido fluvioque.* Immo vero aliter corrigenda. Codex Academicus, *Bractanicum ejus nominis.* unde liquido legendum: *Inde Oxus amnis: qui circa Bactriam, cum ejus nominis oppido fluvioque.* Pergit ibi Salmasius Plinii locum et mentem interpunctione illustrare: *Zariaspe (quod postea Bactrum) a flumine appellatum est.* Nempe vult, *a Zariaspe flumine Zariaspen oppidum dictum esse: non a Bactro (quod nullum est) flumine Bactrum oppidum.* Haec, tacito Salmasii nomine, celeberrimus Harduinus in Plinio suo recoxit, et *parenthesi* ait *se verba inclusisse: ne nos, ut Solinum, in fraudem impellerent.* Polyaenus VII, 11. *Persae aquam caelestem pellibus et vasis excipientes διεσώθησαν ἐπὶ τὸν Βάκτρον ποταμὸν, ad Bactrum fluvium evaserunt.* Curtius VII, 4. *Ipsa Bactra, regionis caput, sita sunt sub monte Parapaniso: Bactrus amnis praeterit moenia: is urbi et regioni dedit nomen.* Strabo XI, [p. 516. al. p. 786.] *Πόλεις εἶχον τά τε Βάκτρα, ἥνπερ καὶ Ζαριάσπαν καλοῦσιν, ἣν διαῤῥεῖ ὁμώνυμος ποταμὸς ἐκβάλλων εἰς τὸν Ὦξον.* Vides, quot auctoribus dicam dixerit Salmasius: quia locus hic Lucani divinam ejus memoriam et stupendam diligentiam casu fefellerat. Postea, nisi fallor, licebit Bactro esse flumini; et Solinus cum Martiano salvi dimittentur. dimittetur et risu Harduinus, qui pro thesauro carbones a Salmasio furatus est.

Hinc Lacedaemonii moto gens aspera fraeno
Heniochi, saevisque affinis Sarmata Moschis,
Colchorum qua rura secat ditissima Phasis:
Qua Croeso fatalis Halys, qua vertice lapsus
Rhiphaeo Tanais diversi nomina mundi

270. Meschis, supra scripta *o* ab alia manu, et in margine ab alia . *molchis*, c.

269. *Hinc Lacedaemonii moto gens aspera fraeno Heniochi,*] Non placet MOTO *freno:* nec quemquam memini sic locutum. An DOCTO? Seneca Hippol. 1259.

— *Tortis hic dextrae locus,*
Hic laeva frenis docta *moderandis manus*
Ponenda.

Val. Flaccus I, 121.

— *simul undique cernit*
Delatum nemus, et docta *resonare bipenni*
Litora.

sic ibi codices, sed Gronovius Heinsiusque *ducta.*

273. — *diversi nomina mundi]* Locus hic iniquinatissimus, variisque scatet mendis. Quid enim, cedo, est, quod TANAIS dicitur *nomina imponere ripis diversi mundi? quae nomina?* dein quis umquam *mediae confinia terrae* vel fando audivit? Certe, quae *media* illa *terra* esset, ignorare se fassus est BENTLEJUS, et ideo conjiciebat,

Medio dirimens confinia tractu,

acute quidem, sed non vere. Variant Codd. Alii *diversi*, alii *divisi* exhibent. *Numina* Rott. pr. *nunc hunc, nunc illum* est in septem libris omnibusque fere editionibus, quod recte vindicavit OUDENDORPIUS. Legendum suspicor,

Qua vertice lapsus
Rhipaeo Tanais diversi FLUMINA *mundi*
IMPERTIT *ripis, Asiaeque et terminus idem*
Europae, GEMINAE *dirimens confinia terrae,*
Nunc HUNC, *nunc* ILLUM, *qua flectitur, ampliat orbem.*

Eleganter *Tanais sua flumina* IMPERTIRE dicitur *ripis diversi mundi,* dum GEMINAE *terrae*, id est, *Asiae et Europae confinia dirimit.* IMPERTIT sive *communicat sua flumina ripis utriusque orbis.* Frequens CICERONI, TERENTIO aliisque aurei seculi scriptoribus hoc verbum, hujusque significationis exempla innumera in Lexicis vulgo obvia, quibus recensendis ideo supersedebimus. Ast restituendum quoque hoc elegans verbum LUCANO *Lib.* IV. *vs.* 447.

Nec mora. Complentur moles, avideque petitis
Insula deseritur ratibus, quo tempore primas
IMPERTIT NOCTI *jam lux extrema tenebras.*

Elegans sane haec est *crepusculi vespertini* descriptio, cum *decedens lux primas cum nocte tenebras communicat.* Posset quoque ibi legi,

Quo tempore PRIMIS
IMPERTIT *noctem jam lux extrema* TENEBRIS.

utrumque enim dicitur *impertire nocti tenebras* et *noctem tenebris.* Vulgo nunc male circumfertur *impulit*, *impetit* vel *impedit ad noctem*, nullo plane sensu. GEMINAE porro *terrae confinia* dirimit Tanais, quae

Imposuit ripis, Asiaeque, et terminus idem

absque eo confunderentur: *medius* enim *Tanais facit confiniorum discretionem.* Sic *Lib.* IV. *vs.* 18.

> *Medius* DIRIMIT *tentoria gurges.*

diversi contra Cortium recte vindicat *cel.* BURMANNUS. Ita tandem manum suam agnoscit poeta.

In proxime praecedenti PROPERTII loco *frustra quaesiti Castores* commodum mihi in mentem revocarunt locum CATULLI, culpa et negligentia librariorum similiter corrupti, et a viris doctis frustra tentati *Carm.* LXVII. *vs.* 65. ubi ait:

> *Ac veluti in magno jactatis turbine nautis*
> *Lenius adspirans aura secunda venit,*
> *Jam prece Pollucis, jam Castoris implorata.*
> *Tale fuit nobis Manlius auxilium.*

ACHILLI STATIO non immerito insolens visa fuit haec locutio *implorare precem.* Doctissimus VULPIUS hoc modo explicat, quasi *nautae Dioscuros rogare viderentur, ut ipsi a Jove precibus maris tranquillitatem impetrarent.* Male. Siquidem frustra *Θεοὶ σωτῆρες* audirent DIOSCURI, si precaria navigantes servandi potestate donati forent. VOSSIUS, vir multijugae eruditionis et de CATULLO prae omnibus optime meritus, absurdum hoc a Catullo remotum voluit, atque ex vett. libris legit,

> *Jam prece* POLLUCES, *jam* CASTORAS IMPLORANTE.

Sed frustra, ut mox patebit. Mea quidem sententia procederet haec emendatio, si CASTORES ibi soli adessent absque POLLUCIBUS. Ita enim CASTORES utrosque fratres significarent, ceu patet ex SUETON. *Caes. cap.* x. *Nec dissimularet collega ejus M. Bibulus, evenisse sibi, quod* POLLUCI. *Ut enim* GEMINIS FRATRIBUS AEDES *in foro* CONSTITUTA *tantum* CASTORIS *vocaretur, ita suam Caesarisque munificentiam unius Caesaris dici.* Quid igitur de Catullo fiet? Ne te diu suspensum teneam, erudite lector, ecce tibi levi unius corruptae vocis emendatione ipsissimam poetae manum! Lege,

> *Jam* FACE *Pollucis, jam Castoris implorata.*

FACE i. e. *stella* vel *sidere.* Levis iste librariorum error *fce* in *pce* mutantium! Fundamentum indubitatum firmumque emendationi nostrae praebet VAL. FLACC. *Lib.* I. *vs.* 569.

> *Dixit, et ingenti* FLAMMANTEM NUBILA *sulco*
> *Direxit per inane* FACEM, *quae puppe propinqua*
> *In bifidum discessit iter,* FRATRESQUE *petivit*
> TYNDARIOS, *placida et* MEDIIS IN FRONTIBUS *haesit*
> *Protinus* AMBORUM, LUMENQUE *innoxia fudit*
> *Purpureum,* MISERIS OLIM IMPLORABILE NAUTIS.

En FACEM, *sive stellam, frontibus Dioscurorum haerentem, quam* OLIM *sive postea imploraturos nautas* ait divini oris poeta! FAX de *stellis, sole* et *luna* frequens poetis. Ita *nocturnae* et *noctivagae* FACES LUCRETIO vocantur *stellae*, qui et *roseam solis* FACEM dixit *Lib.* v. *vs.* 974. *Deltoton tribus* FACIBUS apud MANILIUM *Lib.* v. *vs.* 714. *Crescentis Noctilucae* FAX apud HORAT. *Lib.* IV. *Od.* VI. *vs.* 38. Sic *infesta cometae* FAX *ardens jubar ostendit* apud SENEC. *in Octav. vs.* 232.

> *Vidimus coelo jubar*
> *Ardens* COMETAE SPARGERE INFESTAM FACEM.

ita ibi lego. Vulgo, *cometam pandere* circumfertur. *Spargere*

Europae, mediae dirimens confinia terrae,
Nunc hunc, nunc illum, qua flectitur, ampliat orbem.
Quaque fretum torrens Maeotidos egerit undas

276. h*uc*, b. c. *nunc* in membr. erasa, d. ill*uc*, b. c. d. 277. Maeotid*as*, b. c., in c. tamen supra scripta *o* ab alia manu. *egerit*, in membr. erasa, b.

jubar ardens proprie. OVIDIUS *in Fastis:*

Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa SPARGIT *in aede* JUBAR.

atque ita saepius. VALER. FLACC. *Lib.* V. *vs.* 371. loco corruptissimo, quem sic restituo:

Non secus, autumno quam cum GRAVIS *asperat ignes*
Sirius, aut saevo cum FAX *accenditur auro*
LUCTIFERAS ARMATA COMAS, *hebet Arcas et ingens*
Jupiter.

Vulgo nunc ibi legas MAGIS *asperat*, NOX *accenditur*, et CRINITA FACES. Nullo sensu. GRAVIS *Sirius*, id est, *nocens, pestifer.* Sic GRAVE *Saturni sidus* PROPERTIO *Lib.* IV. *Eleg.* I. *vs.* 106. GRAVIS *autumnus*, i. e. *corporibus noxius*, HORAT. *Lib.* II. *Sat.* VI. *vs.* 19. FAX ARMATA COMAS *luctiferas* est *cometa letali et lugubri crine fulgens.* CRINITA enim glossa videtur, qua vir doctus τὸ *armata comas* explicare voluit, quae textui tandem irrepsit. Adde quod *crnta* et *armta* in MSS. vix differant. *Nox* certe hic absurda, siquidem ARCAS, sive *Mercurius*, et JUPITER, *ad cometae fulgorem hebescentes* nocturnum tempus satis arguunt. *Luctiferas* pro *Luciferas* recte vindicavit *Cel.* BURMANNUS. Caeterum uti apud CATULLUM nautae implorant FACEM sive *stellam Castoris et Pollucis*, ita simili modo eosdem Dioscuros, *fratres Helenae, lucida* SIDERA, pro fausto Virgilii sui itinere invocat HOR. *Lib.* I. *Od.* II. JEV.

275. *Europae: mediae dirimens confinia terrae.*] Consule aurem tuam, et mendosa haec esse testabitur. Dixisset utique in hac sententia *Europes*, ut ipse alibi, aliique. Sed quale sodes illud est, MEDIAE *terrae confinia? quae ista terra media?* quippe ipse Tanais *medius* est, et dirimit confinia *utriusque* terrae. Sic IV, 18.

— medius *dirimit tentoria gurges.*

et *collis* ibidem 33.

Qui medius *tutam castris dirimebat Ilerdam.*

In membranis *terrae* est *trae:* inde librariis error: qui sic in viam reducendi sunt;

Europae, MEDIO *dirimens confinia* TRACTU.

Claudian. VI. Honor. 290, de Apennino:

Utraque perpetuo discriminat *aequora* tractu.

Idem Idyll. de Nilo, [8.]

Qui rapido tractu *mediis elatus ab Austris,*
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem.

I. Stilic. de Rheno 198.

Impiger a primo descendens fluminis ortu
Ad bifidos tractus, *et juncta paludibus ora.*

Dionysius Perieg. v. 11.

Εὐρώπην Ἀσίης Τάναϊς διὰ μέσσον ὁρίζει,
Ὅς ῥά θ' ἑλισσόμενος γαίης διὰ Σαυροματαών
ΣΥΡΕΤΑΙ ἐς Σκυθίην τε καὶ ἐς Μαιώτιδα λίμνην.

Tanais volutus TRAHITUR.

277. *Quaque fretum torrens Maeotidos egerit undas Pontus,*

Pontus, et Herculeis aufertur gloria metis,

et Herculeis aufertur gloria metis, Oceanumque negat solas admittere Gades.] Colbertinus alter, Trin. Cantab. aliique cum Veneta, MAEOTIDAS; contra alii numero plures cum Romana, MAEOTIDOS. Valerius Probus p. 1397, *Genitivus*, ait, *singularis os syllaba terminatus, in Graeca declinatione corripitur. Lucanus: Ut Pagasaea ratis peteret cum Phasidos.* (II, 715.) *et in Terentio* (lege *tertio*): *Quaque fretum torrens Maeotidos.* Hinc certissimum est, Probi olim codices habuisse *Maeotidos*. Bersmannus tamen, et eo multo melior Heinsius ad Claudianum, IV. Honor. 188. malunt *Maeotidas undas*. Mihi vero neutrum placet, ut nunc locus fertur. Quis enim orationis exitus? nullus utique praeter istum: *Pontus, fretum torrens, egerit undas seu Maeotidos, sive Maeotidas.* Quis vero ferre potest, *Pontus fretum torrens* per appositionem dici? Quale vero illud, *Pontus egerit undas Maeotidos?* Immo Pontus *accipit*, Maeotis in Pontum *egerit*. Hoc et olim et hodie notissimum: unde eam μητέρα Πόντε, *Ponti matrem* dixerunt. Porro illud quale existimas, *gloria aufertur*, et *negat Gades*, etc. An *gloria neget?* offendit hoc ipsos etiam librarios; unde aequa fere codicum pars cum editione Veneta NEGANT. *Homines* nempe voluerunt, malum malo sanaturi. Quid multis te moramur? Haec certe Lucani non sunt, nescio an ista,

> *Quaque fretum torrens Maeo*TIDAS *egerit undas;*
> ET VETUS *Herculeis aufertur gloria metis;*
> OCEANUSQUE *negat solas* SE *admittere Gades.*

Secutus est eorum, qui multi erant, opinionem, qui Oceanum Scythicum in Maeotida paludem, et inde in Euxinum et Mediterraneum influere putabant. Plinius Hist. II, 67. *Ingens argumentum paludis Maeoticae, sive ea illius Oceani septentrionalis sinus est, ut multos adverto credidisse, sive angusto discreti sinu restagnatio.* Hunc Oceani irrumpentis alveum *fretum torrens* appellat, ut alibi [IX, 156.] *Nilo torrente*, [II, 220.] *sanguine torrente*, et Virgilius [E. VII, 52.] *torrentia flumina. Et vetus*, ubi correctores accesserant, facile mutatum in *Pontus et*: et cum SE a praecedente S absorpta esset, necessario *Oceanus* transibat in *Oceanum*. BENTL.

Hic merito se jactat felix Bentleji audacia, qui vexatissimum hunc locum, in quo frustra sudarunt doctissimi critici, ingeniosissime restituit et elegantissime explicuit, rescribens,

> *Quaque fretum torrens Maeotidas egerit undas,*
> ET VETUS *Herculeis aufertur gloria metis,*
> OCEANUSQUE NEGAT *solas* SE *admittere Gades.*

Capitalis emendatio, quae ipsam nobis Lucani manum sistat, dummodo pro *egerit* legamus INGERIT, quod comparatio Oceani Atlantici per columnas Herculis se insinuantis requirit. Eodem enim modo hic FRETUM TORRENS sive (*borealis*) *Oceani irrumpentis alveus* (ut recte explicat vir summus) *terris* INGERENS *Maeotida*, jure *neget solas esse Gades, quae se recipiant.* Plura non addo. Lectorem ad acutissimi critici notas, quae lectu dignissimae, ablegatum volo.

Nunc emaculatum sistere juvat elegantissimum vereque aureum LAUREAE TULLII, *Ciceronis liberti*, carmen, quo villam domini sui ab ANTISTIO VETERE

restauratam, et calidos fontes, oculis saluberrimos, qui tunc temporis terra primum eruperunt, mellitissimis fertilissimae venae modulis, aeternitati consecravit! Servavit hoc nobis PLINIUS *Lib.* XXXI. *Hist. Nat. Cap.* II. illudque a variis viris doctis editum, varieque tentatum suae ANTHOLOGIAE editioni inseruit *cel.* BURMANNUS SECUNDUS *Tom.* I. *Lib.* II. *Epigr.* CLVI. Hoc vero modo illud legendum, proposita emendatione, rationum pondere demonstratum dabimus. Lego,

Quod tua, Romanae vindex clarissime linguae,
Silva OLIM, *melius surgere jussa, viret:*
Atque Academiae celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu SPLENDIDIORE *Vetus*·
QUODQUE *etiam apparent lymphae non ante repertae,*
Languida quae infuso lumina rore levant:
NIL MIRUM! *Locus ipse sui Ciceronis honori*
Hoc dedit, hac fontes DUM TEPEFECIT *ope:*
Ut, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
HINC FLUERENT, *oculis quae medeantur, aquae.*

Proposita emendatio vel sine ullis rationum ponderibus cordato lectori satis sese commendaverit, quae tamen ne defuisse videantur, providendum fuerit. Sensus totius epigrammatis hic est. *Mirandum non esse, quod Ciceronis* OLIM *villa*, ACADEMIA *dicta*, SPLENDIDIORE *ornatu ab Antistio Vetere repararetur, et silva melius surgeret; nec quod fontes calidi, oculis salubres, ex terra eruperint.* FORTUNAM *enim* LOCI *hoc efficere, quae in honorem Ciceronis sui medicatos hos fontes ex tellure erumpere jusserit, ut lectores in toto orbe terrarum* HINC *petere possent aquas ad medicandos oculos, diuturna ejus librorum lectione fatigatos.* Hinc *quod* et *quodque* rescripsi *vs.* I. *et* 5. ut sic omnia apto cohaererent nexu cum τῷ NIL MIRUM, quod quanto elegantius sit vulgato *nimirum*, mutata paulum distinctione, quilibet deliciarum poeticarum peritus facile videat. *Olim* sensus ipse postulat, ut sit *tua* OLIM *silva, o Cicero!* Illud *solo* vel *loco* absolute positum nihili est, quia certum locum non designat. *Olim* et *nunc* sic eleganter opposita. SPLENDIDIORE CULTU sive *majore et sumtuosiore ornatu. Sub meliore* enim vel *sub potiore* ineptum, quia et *melius* praecessit, et *reparare sub meliore cultu* ne Latinum quidem videtur. Eleganter porro *Fortuna loci* dicitur TEPEFECISSE, sive TINXISSE et IMBUISSE *fontes hac ope* vel *medicatis his viribus;* nam *patefecit fontes hac ope* barbarum! *tepefecit* sive *imbuit* CALIDOS *fontes*, ut *tepefacere flumina caede* dixit CATULLUS *Carm.* LXIII. *vs.* 36.

Alta TEPEFACIET *permixta flumina caede.*

HORAT. *Lib.* III. *Sat.* III. *vs.* 136.

In matris jugulo ferrum TEPEFECIT *acutum.*

HINC FLUERENT denique audacter reposui pro vulgato *sint plures*, quod ridiculum est; neque enim de aliis fontibus medicatis, qui oculis auxilium ferrent, sermo est, neque verbum praesentis temporis *sint* hic locum tueri potest, quia praeterita *dedit* et *tepefecit* praecedunt; linguae quippe genius et natura hoc negat! Quid alii praestiterint, meum non est judicare, qui nullius conatus elevare solitus sum, omni liber invidia et odio. Quare si nostra hic tibi se probaverit in-

Oceanumque negat solas admittere Gades.
Hinc et Sithoniae gentes, auroque ligatas
Substringens Arimaspe comas: hinc fortis Arius,
Longaque Sarmatici solvens jejunia belli
Massagetes quo fugit equo; volucresque Geloni.
Non, cum Memnoniis deducens agmina regnis

280. Si*d*oniae, b. c. d. 281. A*r*maspe, sed in margine ab alia manu *Arismape vel armaspe.* c. Arrius, et in margine, sed sine signo, *anius*, c. 284. Me*n*noniis, b. c. d. deducens, *.de* ab alia manu additum est, d.

dustria, erudite lector, gratare felicitati CLERQUII, cui, utut plurimi immerito obtrectent et male cupiant, mens sana utcumque favet et CRITICA, grataque posteritas pulcherrimum tandem de victa invidia triumphum decernet. IEV.

280. *Hinc et Sithoniae gentes,]* Romana ac Veneta *et Sidoniae*, ut codices bene multi. Pulmanni duo, *Essedones.* Cod. Trin. *Issidoniae:* Colbertinus vetus et Regius ESSEDONIAE. Recte; quod et alii viderunt. Val. Flaccus VI, 750. *Essedoniaeque phalanges.* Recte et *Issedoniae.* Stephanus [p. 426]: *Ἰσσηδόνες, ἔθνος Σκυθικόν. Εὑρίσκεται δὲ παρ᾽ ἄλλοις διὰ τοῦ Ε.* Ista Lucano litera placuit; unde error librariis. vide Heinsium ad Val. Flacci VI, 95.

284. *Non, cum Memnoniis deducens agmina regnis Cyrus, et effusis numerato milite telis Descendit Perses,]* Ex nostris codicibus solus Academicus *Xerxes*, et Harleianus *Xerses.* vide Val. Flaccum V, 498. Diodorus p. 109. *Συμμαχία τοῖς Τρωσὶν ὑπ᾽ Ἀσσυρίων, ἧς ἐστρατήγει Μέμνων ὁ Τιθωνοῦ.* et mox, *Ἀμφισβητοῦσι δὲ οἱ περὶ τὴν Αἴγυπτον ἄνθρωποι, λέγοντες ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις γεγονέναι τὸν Μέμνονα.* Recte. *Cyrus — descendit*, *Perses:* de eodem dictum. *Κῦρος Πέρσης. Descendit.* Nepos in Aristide C. 1. *Nam postquam Xerxes in Graeciam* descendit. BENTL.

Locus hic corruptus et male affectus, prava laborat distinctione, et nihil sani coloris praefert. Interpretes tamen leviter transeunt, quasi nihil hic lectorem morari posset. Videamus, age, quid sit de Lucano! REGNA MEMNONIA nihil aliud notare possunt quam *Aethiopiam*, ubi regnavit *Memnon.* Nam *Susa* vocari *Μεμνόνειον ἄστυ*, nihil ad rem facit. Quare CYRUS et *Memnonia regna* se mutuo evertunt. *Numeratus* porro *effusis telis miles*, sive ea, quam refert SCHOLIASTES, fabula de ridicula illa Persarum, occisorum militum numerum per tela ineundi, consuetudine non multum venustatis aut admirationis aut elegantiae habere videtur. Denique *percutere aequora classibus* quid significet, aut ad mentem auctoris illustrandam faciat, videre nequeo. Quid multa? CYRUS cum illis *Memnoniis regnis* librariorum errore huc male in-

Cyrus, et effusis numerato milite telis
Descendit Perses, fraternique ultor amoris
Aequora cum tantis percussit classibus, unum

286. Xerxes, b. 287. cladibus, c.

trusus videtur, nam *agmina illis regnis deducens* nihil memorabile praestat, et similiter ita *magnus Perses* tantum *descendit*, nec, quorsum descendat, quidve agat, scire nobis licet. De Xerxis, nisi fallor, *in Graeciam cum innumeris copiis descendentis* INTROITU agit hic poeta. Facessat igitur ilicet hinc Cyrus, cui nec tanta umquam copiarum multitudo fuit, quique parva manu validissimos hostium exercitus aggredi et profligare noverat, ut testantur historiae. Xerxen vero in Graeciam descendere jubeamus, si qua ratione efficere potuerimus. Crediderim fere, auctorem nobis reliquisse hoc modo,

Non TOT, IN AONIOS CUM *ducens agmina* FINES
MOVIT; *et effusis* UMBRATO SIDERE *telis*
*Descendit Perses; fraterniv*E *ultor amoris*
PERGAMA CONJUNCTIS PETIIT CUM *classibus, unum*
TUNC *reges habuere ducem: coiere nec umquam*
TOT *variae cultu gentes*, TOT *dissona vulgi*
Ora, QUOT *immensae comites missura ruinae*
Excivit populos etc.

ut sensus sit: *Numquam antea tot reges uno sub duce militarunt, neque cum Xerxes movit in Graeciam, neque cum Agamemnon ad vindicandam Helenam conjurata cum classe Graecorum Trojam petiit. Neque umquam tot diversae cultu gentes, tot diversarum linguarum milites in unum exercitum collecti et congregati fuerunt, quot Fortuna Pompejo coegit, dignas funere inferias.* Iam constat ultro sibi emendationis ratio. *Non tot, in Aonios fines* rescripsi, siquidem ex illo *in aonios* primo *maeonios*, ac tandem *memnonios* factum videtur, quod literarum arguat vicinitas. *Fnis*, quod *fines* notabat, primum in *tris*, dein in *regnis* transiit, quia in Codice *ducens* et *deducens* et *conducens* offenderant, quarto casu in sextum mutato. Illud *tt*, quod exciderat, τὸ *quum* liberalitati eorum extorsit, et caussa fuit, ut mox *vs.* 288. TUNC in TOT depravaverint. *Ducens agmina in* FINES AONIOS est *in* BOEOTIAM, *in* GRAECIAM. OVIDIUS *in Fastis*, [I, 490.]

Passus idem, Tyriis qui quondam pulsus ab oris
Cadmus IN AONIA *constitit exsul* HUMO.

id est, *in* BOEOTIA. MOVIT, id est, *expeditionem suscepit*, quo sensu *movere* et *movere castra* frequens. Erasa prima huius vocis initio versus litera, hoc modo . . *vt*, quid illud *vt* esset, divinantes, illud *ut* esse crediderunt, et hinc propter *regna* illa *Memnonia* inde CYRUS effinxerunt fertiles inventionis. Dein UMBRATO SIDERE lego, id est, SOLE *multitudine sagittarum* TECTO *et oculis erepto.* Notum ex CICERONE *Lib.* I. *Quaest. Tusc. Cap.* XLII. argutum admodum et lepidum Lacedaemonii cujusdam responsum, glorioso Persarum militi datum: cum enim Thraso ille jactabundus dixisset,

Tot reges habuere ducem. coiere nec unquam
Tam variae cultu gentes, tam dissona vulgi
Ora. tot immensae comites mistura ruinae
Excivit populos, et dignas funere Magni
Exequias Fortuna dedit. non corniger Ammon
Mittere Marmaricas cessavit in arma catervas:
Quicquid ab occiduis Libye patet arida Mauris,
Usque Paraetonias Eoa ad littora Syrtes.
Acciperet felix ne non semel omnia Caesar,
Vincendum pariter Pharsalia praestitit orbem.
Ille ubi deseruit trepidantis moenia Romae,

290. missura, b. c. d. 291. *et* in membr. erasa, b. 292. non corniger. *non*, ab alia manu, d. 294. *dedit*, supra scripto *patet* ab alia manu, quae ad marginem quoque *patet* notavit, c. 295. Pare*tho*nias, b. p*h*areton. c. paret*hr*on. d. 296. semel, supra scripto *vel simul*, b.

solem prae jaculorum et sagittarum multitudine non videbitis; IN UMBRA, *inquit*, IGITUR PUGNABIMUS. UMBRARE *solem* est *tegere*. Apposite CLAUDIANUS *Lib.* II. *in Rufin. vs.* 122.

Haud aliter Xerxen toto simul orbe secutus
Narratur rapuisse vagos exercitus omnes,
Et TELIS UMBRASSE DIEM.

LUCAN. *Lib.* II. *vs.* 411.

hunc fabula primum
Populea fluvium ripas UMBRASSE *corona*.

umbrto et *numrto* facile confundi potuere, unde et *sidere* in *milite* migravit. *Numeratio* illa *militum* juxta scholiasten magis *ad* CONTEMTUM, quam *ad terrorem* vel *admirationem* faciat; et passim in proeliis recensendis hoc modo luxuriantur poetae, ut *solem*, *coelum* et *diem nube sagittarum tegi et obumbrari* dicant. Innumeris exemplis hoc probat *cel.* BURMANNUS SECUNDUS *ad Lib.* II. *Anthol. Epigr.* XII. *vs.* 3. Mox, *Pergama conjunctis petiit cum classibus* refinxi, quia alias ille *fraterni amoris* (f. *honoris*) *ultor* quis esset, dubitari merito poterat, et *percutere aequora classibus* insolentior locutio videtur. *Pgma* et *Aeqra* initio versuum, extrita priore litera, facili lapsu confundi possunt. TOT denique et QUOT ipsa sententia, et poetae comparatio aptaque totius loci connexio postulat. *Sidus* pro *sole* vindicavimus ad *Lib.* I. *vs.* 15. *Prodrom.* JEV.

290. — *mistura ruinae*] Omnes quidem veteres nostri cum Rom. et Ven MISSURA, non *mixtura*. Aeneid. II, 86.

Agmine nubiferam rapto superevolat Alpem:
Cumque alii famae populi terrore paverent,
Phocais in dubiis ausa est servare juventus
Non Graia levitate fidem, signataque jura,
Et causas, non fata, sequi. tamen ante furorem
Indomitum, duramque viri deflectere mentem
Pacifico sermone parant, hostemque propinquum
Orant Cecropiae praelata fronde Minervae.

299. rap*ido*; sed in margine ab alia manu *rapto*, c. 300. C*umque*, *C* ab alia manu, b. 302. *Non graia*, in membr. erasa, b. 305. Paci*fero*, b.

Illi me comitem *et consanguinitate propinquum*
Pauper in arma pater primis huc misit *ab annis*.

302. — *fidem, signataque jura*.] Modius olim reponebat *sacrataque jura*. sed non est opus. Propertius III, 19, 5.

Foedera sunt ponenda prius, signataque jura.

Claudian. I, Eutrop. 380.

Germanis responsa dabat, legesque Caucis
Arduus, et flavis signabat jura *Suevis*.

306. *Cecropiae pacata fronde*] Corruptus levi menda hic locus. OLEA pacis signum; notum hoc omnibus. PACATA tamen *frons* an ideo vocari merito potest? minime! *Pacifera* melius audiat. Quare cum praecesserit, *pacifero sermone*, illa *pacata Minervae frons* turpi *ταυτολογίας* vitio laborare videtur. Legendum, ut poeta scripsit,

Orant Cecropiae PRAELATA *fronde Minervae*.

plta et *pcta* vix differunt in MSS.

Pacem orantes OLEAM *manu* PRAEFERRE *solebant*. Plena exemplorum antiquitas. Quare lectorem non diu morabor.

Medicinam interim sentiat PETRONIUS, diu frustra quaesitam, *in elegantissimo* FRAGMENTO *carminis*, quo ineptorum mortalium in arcanis prodendis imprudentiam salse perstringit, quodque a *cel*. BURMANNO SECUNDO, post aliorum curas, insertum legitur *Anthol. Lib*. III. *Epigr*. CXXV. Illud vero sequenti modo constituendum atque emendandum, age, breviter ostendamus:

Nam citius flammas mortales ore tenebunt,
Quam commissa tegant. Quidquid DEPONIS IN AUREM,
Effluit et subitis rumoribus oppida pulsat.
Nec satis est vulgasse fidem, SED LATIUS *exit*
Proditionis opus, famamque onerare laborat.
Sic SIBI VISA TEGENS TACITAE SECRETA MAGISTER
MANDAT *humo, regisque latentes* INFODIT *aures.*
Excepit VIX TECTA *sonos, calamique loquaces*
SPIRAVERE *Midam, qualem narraverat index.*

Semper in externis populo communia vestro
Massiliam bellis testatur fata tulisse,
Comprensa est Latiis quaecunque annalibus aetas.

307. externis, *s* in membr. erasa, b. 308. Mass*a*liam, c. 309. Com*press*a, b. c. d.; sed in b. ab eadem manu in compre*n*sa correctum est; et in c. pro glossa, ut videtur, suprascriptum est, *derepta*.

deponis in aurem lego, quia sermo est de *secretis*, quae fidei alicuius, *tutum* veluti *depositum*, committimus. Unde Horatius apposite *Lib.* I. *Od.* XXVII. [18.] ait,

quidquid habes, *age*,
Depone tutis auribus!

quem locum recte huc citavit *cel.* Burmannus. Sed latius pro vulgato *simulatius*, quod nauci est. Latius hic est *auctum in majus*, quod probant sequentia illa,

famamque onerare laborat.

Mox visa sibi *secreta* tegit (ironice scilicet, more vulgi inepti, qui nihil celare potest) tonsor, *et* infodit *tacitae humo, ejusque fidei mandat, indicta silentii lege.* Tegens *sibi visa secreta*, id est, *prodere non audens*, *sed tacere tamen non potens*, ut Naso loquitur, more hominum, secreta pectore non continentium, sed obviis quibusque tacite insusurrantium. Probat emendationem et sensus epigrammatis, et Persius *Sat.* I. *vs.* 119.

Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? nusquam?
Heic tamen infodiam. *Vidi, vidi ipse*, *libelle!*
Auriculas asini Mida rex habet!

Magister hic est tonsor, *resecare Midae capillos solitus*, teste Ovid. XI. *Met.* *vs.* 183. Ita enim loquitur Juvenal. *Sat.* VI. *vs.* 26.

Conventum tamen et pactum et sponsalia nostra
Tempestate paras: jamque a tonsore magistro
Pecteris, et digito pignus fortasse dedisti.

magister et *ferens* erat in Cod. P. Danielis, teste Burmanno: vulgata *verens avidus reserare minister* merito sordet. Denique *vix tecta* rescripsi, ut sensus sit: *Vix* tecta sive *regesta terra excepit sonos*, *tutum quasi depositum*, quin *calami loquaces statim sibilarent et spirarent Midae aures asininas. Terra* enim redundat, quia *humus* praecessit. Vix *tecta excepit sonos*, et *calami spiravere*, pro *quin spiraverint*. Eleganter! Statius *Lib.* I. *Silv.* II. [229.]

Vixdum *emissa dies*, et *jam socialia praesto*
Omina! jam festa fervet domus utraque pompa!

Spirare proprie de *calamis*, *vento motis*. Sic *a follium*, *magno strepitu flatum emittentium*, *similitudine* eleganter dixit Juvenalis *Sat.* VII. *vs.* 111.

Tunc immensa cavi spirant mendacia folles.

Melius divinanti ultro assurgam. Vel vinci in hoc stadio gloriosum, dummodo cum utilitate publica! Jev..

309. —*Latiis quaecunque an-*

Et nunc, ignoto si quos petis orbe triumphos,
Accipe devotas externa in proelia dextras.
At si funestas acies, si dira paratis

312. si d*i*ra, correcta *i* ex *e*, d; in b ab alia manu supra *i* legitur *u*.

nalibus aetas] Justinus XLIII, 5. *Massilienses cum Romanis prope ab initio conditae urbis foedus summa fide custodierunt.*

311. *Accipe devotas externa in proelia dextras.] Externis bellis*, quarto ante versu, et secundo post *Proelia dira* habemus. Posterius hoc recte opinor: nam et VII, 689. *Fuge proelia dira.* Ergo hic aut scripsit, aut potuisset scribere,

> *Accipe devotas* CONCESSA *in* MUNIA *dextras.*

Accipe in omnia licita obsequia atque officia: modo nihil nefandum sit, quale hoc bellum civile. BENTL.

Mendosus locus. *Externa* enim illa *proelia* hic ridicula videntur, quia quivis facile hoc intelligit, quum IGNOTO ORBE *triumphi peti* dicantur. Praeterea mox *dira proelia* inepta *ταυτολογίᾳ* sequuntur. Sensit hoc, et mendum recte subodoratus fuit *cel.* BENTLEJUS, sed emendatio, quam profert, longius a vestigiis vulgatae scripturae recedit et castiori Latinitati refragari videtur. Legit enim,

> *Accipe devotas* CONCESSA *in* MUNIA *dextras.*

concessa illa *munia* paucis, credo, placebunt. Melius utique sequenti versu *dira funera* scripsisset. Sed non opus. *Aeterna* est in Cod. Thuan. Optime. Legendum censeo,

> *Accipe devotas* AETERNA IN FOEDERA *dextras.*

id est, *in aeternam belli societatem.* Fidem enim suam hic jactant Massilienses, dicuntque, se *in* EXTERNIS *bellis semper* COMMUNIA *cum Romanis fata tulisse, ut fidos socios*, et hinc, si contra *externum* et *ignotum* hostem arma sumat Caesar, *aeternam* ipsi *belli societatem* contra communem hostem offerunt. Sin vero civile bellum moveat, neutrarum se partium fore, et utrisque LATEBRAS et *secretum perfugium* praestituros. Quare lego,

> *At, si funestas acies, si dira paratis*
> *Proelia discordes*, LATEBRAS *civilibus armis*
> *Secretumque damus.*

lacrimae enim ineptae sunt. Orant enim, ut a Caesare et Pompejo ipsis haec gratia fiat, ut ne bello civili se immiscere cogantur, quo Massilia habeatur pro ASYLO, ubi *inermes convenire et de pacis conditionibus agere* possint. Probant, quae sequuntur *vs.* 330.

> *Terribiles aquilas infestaque signa relinquas*
> *Urbe procul, nostrisque velis te credere muris,*
> *Excludique sinas, admisso Caesare, bellum.*
> *Sic* LOCUS EXCEPTUS SCELERI *Magnoque tibique*
> TUTUS, *ut invictae fatum si consulat Urbi,*
> *Foedera si placeant, sit* QUO VENIATIS INERMES.

Latebrae hic sunt, *tutum a bel-*

Proelia discordes, lacrymas civilibus armis
Secretumque damus. tractentur vulnera nulla

314. Secretu*mque*, *mque* manu alia. d. *nulla*, suprascripto *vel nostra*, b.

lis civilibus perfugium et quasi inviolabile asylum. Ita *Lib.* v. *vs.* 743. Lesbos *tuta bellorum latebra* dicitur Corneliae:

Cedendum est bellis, quorum tibi TUTA LATEBRA
Lesbos erit.

Ita omnes aestus virorum doctorum facile componuntur, et manum ipse suam agnoscit poeta.

Catullus miser vicem a me postulat, lacer et deploratus, *Carm.* LXVI. *vs.* 5. ubi nunc editum legitur,

Quamque ferunt rursum voto servisse maligno,
Postquam es porrecto facta marita sene.

Quomodo hic *voto maligno servisse* dicatur janua, plane videre nequeo, neque Vulpii mihi explicatio placere potest: et *januam* MARITAM sive *maritalem* eo, quo vir doctus putat, sensu nusquam pictam vel scriptam vidisse me memini. Legendum credo,

Quamque ferunt rursum FATO SERVIRE *maligno,*
Postquam es PROJECTAE *facta* MINISTRA LUPAE.

fato maligno servire dicitur janua, quia misera et infelix illa dehonestatur moribus turpibus infamis dominae, et *turpem servitutem servit. Fato maligno*, id est, *iniquo* et *infelici* serviebat janua. Ovid. *in Fastis* [IV, 73.]:

FATIS *agitatus* INIQUIS
Et scelus et patrias fugit Halesus opes.

De Balbo, illarum aedium domino, mihi certe aeque ac reliquis interpretibus ignoto, hic vehementer dubito; utque poeta hic *malignum fatum* nobis sistit, credo, eumdem quoque *vs.* 3. dedisse,

Janua, quam FATO *dicunt servisse* BENIGNO.

Non enim, credo, tam audax et temerarius fuisset Catullus, ut nomen veteris quondam domini in infami carmine proderet, seque palam injuriarum reum faceret. Nam mihi quidem vero simile videtur, hoc carmen, aeque ac illud Propertii *Lib.* I. *Eleg.* XVI. ipsis foribus inscriptum fuisse vel affixum pependisse. Et haec caussa esse videtur, quod hodie ignoramus, in cuius infamiam haec carmina ab auctoribus scripta sint, quod tunc temporis sine dubio lippis et tonsoribus notum erat. Pulchra itaque oppositio est inter *fatum benignum* tempore prioris domini, et *malignum* sub propudiosa et adultera domina, qualis oppositio itidem locum obtinet in janua Propertii prioribus decem versibus. Mox *facta es* MINISTRA LUPAE PROJECTAE rescripsi, id est, *postquam prostituti pudoris dominae et adulterae famula facta es; postquam infamem lupam dominam sortita es.* Claret hoc ex *vs.* 23. *et* 41. In Cod. fuit *ſpe*, unde, ignorantia librariorum, monstra lectionum *sepe*, *senex*, *soror* ortum traxerunt. Projecta lupa est *infamis et contemta adultera*, sive *meretrix prostituti pudoris.* Sic *projectus pudor* Ovidio *Lib.* VI. *Met. vs.* 545.

Sacra manu. si coelicolis furor arma dedisset,
Aut si terrigenae tentarent astra gigantes,
Non tamen auderet pietas humana vel armis

315. manu; supra; scripto *vel?*, b.

ipsa PUDORE
PROJECTO *tua facta loquar.*

MINISTRA *facta es*, id est, *famulari coepisti.* Sic MINISTRAM VOLUPTATUM eleganter *virtutem Epicureorum* vocat SENECA de *Benef. Lib.* IV. *Cap.* II. Ceterum hic mihi in mentem venit alterius loci apud CATULLUM, itidem corrupti et mendosi, in *Carm.* XLV. *vs.* 8. ubi vulgo nunc legas,

Haec ut dixit, Amor, sinister ante,
Dextram sternuit approbationem.

Ita VOSSIUS, probante VULPIO. Mihi, ut verum fatear, non placet *sinister ante Amor.* In Codd. quibusdam, Vossio teste, legitur *sinistrante ante.* Quid longis ambagibus opus? Legendum,

Haec ut dixit, Amor MINISTRO AMANTI
Dextram sternuit approbationem.

et eodem modo *versu* 17. itidem *ministrae amanti.* Probat emendationem, quod ACME dicit *vs.* 13.

Sic inquit, mea vita, Septimille,
Huic UNI DOMINO *usque* SERVIAMUS.

DOMINUS est *Amor*, cui ambo amantes *aeternum* SERVITIUM jurant, quod *dextro sternutamento approbat Amor.* Et hinc, credo, mos ille ductus videtur, quod amantes se mutuo *ministros* et *ministras* appellitare consueverint. JEV.

315. *si coelicolis furor arma dedisset,*] Insolentior merito locutio haec videri potest; quis enim, aut unde hic FUROR, *qui coelicolis arma dedisset*, vix apparet. Haec, credo, caussa fuit, cur *cl.* WITHOF. *in Encaen. Crit. pag.* 195. legeret,

Si COELICOLAS *furor* INTERADESSET.

De Deorum contra Jovem rebellione, et Gigantibus, coelum oppugnare tentantibus, agit poeta. Quare legendum suspicor,

Si COELICOLUM *furor arma* PARARET,
Aut si terrigenae tentarent astra Gigantes,
Non tamen auderet pietas humana vel armis
Vel votis prodesse Jovi.

coelicolum furor pararet arma, CONTRA JOVEM nempe, quod et aliquando ausi fuerunt, sed irrito conatu. Ita structura verborum multo planior fuerit. *pararet arma, tentarent astra*, apto utique et concinno nexu. *Dare* et *parare* in Codd. facile confunduntur. Ita *Lib.* IV. *vs.* 468. legendum,

Vultejus tacitas sensit sub gurgite fraudes,
(Dux erat ille ratis) frustra qui vincula ferro
Rumpere conatus, poscit spe proelia nulla,
Incertus qua terga PARET, *qua pectora bello.*

undique enim se classe Cilicum et Illyriorum cinctum videbat, et nesciebat, quomodo se et a fronte et a tergo contra hostes defenderet. Vulgo male *terga daret.* JEV.

Vel votis prodesse Jovi: sortisque deorum
Ignarum mortale genus, per fulmina tantum
Sciret adhuc coelo solum regnare Tonantem.

318. proesse, c.

320. *solum regnare Tonantem*] Menda hic latet, viris doctis non animadversa. Quid enim? Nonne Jupiter semper solus in coelo regnavit? Et quae haec loquendi stribligo *per fulmina* TANTUM *sciret* SOLUM *Jovem regnare?* Clamat ultro ipse poeta, se reliquisse nobis hoc modo,

per fulmina tantum
Sciret, adhuc COELI SOLIO *regnare Tonantem.*

in solio coeli, id est, *in throno coelesti*, *in regno coeli.* Vide, quae notavimus ad *Lib.* II. *vs.* 230. *Prodrom. p.* 196.

CLAUDIANI denuo miserebimur, corrupti leviter *Cons. Prob. et Olybr. vs.* 146.

Ipsa meo fovi gremio: cunabula parvis
Ipsa dedi, cum matris onus Lucina beatum
Solveret, et magnos PROPERARENT *sidera partus.*

Ita legendum. Vulgo male *proferrent. Sidera* enim *partus* non *proferunt*, sed *properant* sive *maturant. Proferre partus* contrarium notaret. PROPERT. *Lib.* II. *Eleg.* XXI. *vs.* 27.

Quod si forte tibi PROPERARINT *fata quietem.*

---

pprnt et *pfrrnt* facile confundi possunt in MSS. Mox vero *vs.* 252. legendum,

jam sponte per agros
Sudent irriguae spirantia balsama VIRGAE.

nam VENAE illae *irriguae*, *balsama sudantes* mihi neutiquam probantur. *Ex* ARBORE siquidem *fluit balsamum.* STATIUS *Lib.* III. *Silv.* II. *vs.* 140.

Candida felices sudent opobalsama VIRGAE.

Continuemus CLAUDIANUM, dum vacat, cothurnatumque fertilioris venae poetam sordibus atque situ, quantum fieri potest, liberemus. Pessime affectus est locus elegantissimus *Lib.* I. *in Rufin. vs.* 204. ubi vulgo ita legitur:

Haec mihi paupertas augustior: haec mihi tecta
Culminibus maiora tuis. Tibi quaerit inanes
Luxuries nocitura cibos. Mihi donat inemtas
Terra dapes. Rapiunt Tyrios tibi vellera fucos,
Et picturatae saturantur murice vestes.
Hic radiant flores etc.

Laudat hic poeta honestam Curiorum, Serrani Fabriciique paupertatem, eamque maximis ambitiosorum hominum divitiis et splendidae luxuriae anteponit, justamque hinc illinc utriusque vitae comparationem instituit. Ast vero, si rem aequa judicii lance trutinemus, in hac comparatione poetae nostro quis locus fuerit? neque enim tam ineptus mihi videatur CLAUDIANUS, ut se cum Curiis et Fabriciis collatum velit. Quare illud,

MIHI *donat inemtas*
Terra dapes,

manifesto vitiosum deprehenditur, siquidem illud MIHI locum

Adde quod innumerae concurrunt undique gentes,
Nec sic horret iners scelerum contagia mundus,
Ut gladiis egeant civilia bella coactis.

suum hic tueri nequeat. INANES illi *cibi*, ut fatear, stomacho meo nauseam pariunt. Dein vero, quaeso, quaenam haec perversae oppositionis ratio, TIBI *vellera rapiunt fucos*, et HIC *radiant flores?* Ast librariorum haec culpa! Dedit enim poeta,

Haec mihi paupertas augustior! haec mihi tecta
Culminibus maiora tuis! tibi quaerit IN UNDIS
Luxuries nocitura cibos: HIS *donat inemtas*
Terra dapes. Rapiunt Tyrios tibi vellera fucos,
Et picturatae saturantur murice vestes:
HIS *radiant flores et prati viva voluptas*
Ingenio variata suo. Fulgentibus ILLINC
Surgunt strata toris: HINC *mollis panditur herba,*
Sollicitum curis non abruptura soporem.
Turba salutantum latas ibi perstrepit aedes;
Hic CANTUS AVIUM ET *labentis murmura rivi.*

IN UNDIS *quaerunt cibos luxuriosi: pauperibus inemtas dapes ministrat* TELLUS. Sic justa fuerit oppositio. INANES *cibi* nihil ad rem. IN UNDIS QUAERIT, sive *in pelago magno labore et sumtu inquiri et parari jubet.* LUCAN. *Lib.* IV. *vs.* 373.

O prodiga rerum
Luxuries, numquam PARCO *contenta paratu,*
Et QUAESITORUM COELO PELAGOQUE *ciborum*
Ambitiosa fames et lautae gloria mensae!

Ita lego. PARCO *paratu*, id est, *modico, exiguo. vid. ad Lib.* I. *vs.* 213. *Prodrom. pag.* 56. *Coelo pelagoque*, ut innuat *peregrinas aves et pisces*, quibus insaniebant delicatuli Apicii nepotes. *Coelo* erat in Rott. sec. vulgo *terra pelagoque.* Ceterum in CLAUDIANO, pro vulgato MIHI *donat*, rescripsi HIS: nam in Put. et Leid. pr. legitur HIC sollemni librariorum errore, ut supra monitum p. 269. ILLINC vero et HINC habet Med. sec. aliique. Copula vero ultimo versu necessario requirebatur, unde transpositis vocibus eam inserui. Atque ita, nisi fallor, majore elegantia enitescit poeta. De hac vero Romanorum in coenis luxuria, qua peregrinas aves et pisces insano pretio coemere, et pro corrupto seculi gustu mensis imponere solebant, elegantissimum exstat PETRONII *Epigramma*, quod post SCALIGERI, aliorumque, quin et magni patrui curas suae *Anthologiae* editioni inseruit *cel.* P. BURMANNUS SECUNDUS *Lib.* III. *Epigr.* CXXXIV. Illud hic, uti a nobis emendatum est, proponere operae pretium videtur. Ita vero illud lego:

Ales Phasiasis petita Colchis,
Et pictis SAMIA ASPERATA GEMMIS,
Atque Afrae volucres placent palato,
Quod non sunt faciles: at albus anser
Plebejum sapit. Ultimis ab oris
Attractus scarus, ET, PIATA SYRTIS
Quidquid naufragio dedit, PROBATUR.

Sit mens ista quidem cunctis, ut vestra recusent

Mullus jam gravis est. Amica VINCET
Uxorem. Rosa CINNAMO INVIDEBIT.
Quidquid QUAERITUR, *optimum videtur!*

SAMIA *avis* est pavo, ales JUNONIS, *in insula Samo religiosissime cultae.* Notum illud est PERSII *Sat.* VI. *vs.* 11.

Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides, quintus PAVONE *ex* PYTHAGORAEO.

Samius enim Pythagoras. ASPERATA *pictis* GEMMIS, id est, *gemmatis oculis distincta et ornata*, sive, ut PHAEDRUS ait *Lib.* III. *Fab.* XVIII., *quae pictis plumis gemmeam caudam explicat.* Nam vulgatum illud *enotata* vel *innovata* nauci est. In Codice fuit *Et pctiSam asprta gmis*, unde portentosa illa lectio *pictis anas enotata pennis* originem traxit. *Asperare* est *ornare, distinguere, figurare;* frequens CLAUDIANO est hoc sensu. Sic III. *Cons. Hon. vs.* 193.

Brontes innumeris EXASPERAT *aegida signis.*

Et *de* IV. *Cons. Hon. vs.* 585.

ASPERAT *Indus*
Velamenta lapis.

adeoque jam nulla hic versuum transpositione opus fuerit. PIATA *naufragio Syrtis* illa, LATINO PACATO memorata, FAMOSA NAUFRAGIIS MARIA explicat. *Vincet et rosa* CINNAMO INVIDEBIT scripsi, ut sensus poetae sit: *Cum tam corrupto gustu sint Romani, futurum, ut amica justae uxori, et cinnamomi acutus odor suavissimo et purissimo rosae odori praeferatur. Nam quod* CARUM *est, optimum putant.* Reliqua facilia et se sponte probant. JEV.

324. *Sit mens ista quidem cunctis, ut vestra recusent Fata,]* Male haec intelliguntur. Non dicit, utinam sit ista mens; sed *si* sit, *modo* sit. Si gentes externae ea mente sint, ut discordiis vestris immiscere se nolint, sed soli Romani bellum hoc peragant, *cui* non languebit dextra, viso exadversum fratre vel parente? Per quattuor ergo hos versus continuatur oratio; non, ut vulgo, in secundo clauditur. BENTL.

Locus hic difficillimus sensusque intricatissimus, ut facile patet ex dubio SCHOLIASTAE et virorum doctorum haec interpretantium aestu. Si quis enim hic varias interpretum explicationes legat, ex incerto multo incertiorem factum se sentiet, atque elegantiam Lucani et Massiliensium oratoris eloquentiam desiderabit. Variant etiam Codd. *facta* pro *fata* erat in Hamb. quart. *alii* pro *aliis* Bersmann. Vossian. duo *comitetur.* In oblongo illo Codice manifesta litura erat, quae parvulis literis ita impleta esse videbatur *ct 'su vra*, ut ex alio Cod. ita suppletum appareret. Ut fatear, spissae mihi videntur hic tenebrae: neque enim, quid sit RECUSARE FATA *Caesaris,* videre possum, nec, cur ALIUS *miles non committat* vel *comitetur haec proelia,* concipio. SCHOLIASTES, vereor, ne nugis suis hic doctissimos interpretes iterum deceperit. Sic enim ad ista, *sit mens ista*] *Δεικτικῶς dicit. Sensus est: Utinam ista voluntas, quae in nobis est, sit in cunctis, scilicet ut recusent vestra fata et nolint bellare.* Mox ad illa, *nec haec alius*] *Sensus hic est: Absit, ut civili bello*

Fata, nec haec alius committat proelia miles.

miles intersit, *nisi Romanus*, *qui*, *viso patre vel fratre*, *subsistat: nam adventitius*, *nemine suorum viso*, *Romanum sanguinem fundere gestiet*. • Tandem ad illa, *Finis adest rerum*] *A contrario facit declamationem*. SI COMMITTITIS, *i. e. si vultis eos dimicare*, *quibus fas non est*, *i. e. non licet*, *sc. nobis*, *finis adest rerum*, *id est*, *civilium bellorum*. *Aliter: Si non committitis arma*, *quibus fas est*, *i. e. externis gentibus*, *quibus fas est contra Romanos dimicare*. Ast vero, cui homini cordato placere queat haec inepta cornicatio? An *finis adest rerum* significabit *finis erit bellorum civilium? committere arma illis*, *quibus fas est*, erit *permittere externis jus contra Romanos bellandi?* ubi hoc pictum vel scriptum? *comitetur proelia* legunt OUDENDORPIUS, CORTIUS et WITHOF. *in Encaen. Crit.* qui et pro *rerum* rescribi jubet REMUR. BENTLEJUS corrigit *Finis adest* REBUS. RES pro *bello civili* capit OUDENDORPIUS, Scholiastae ultimam explicationem secutus, sed sine ulla, credo, auctoritate. Quid multa? Corruptum locum esse, nemo dubitaverit. Si quis enim totam orationis seriem attendat, aliud quid sibi hic voluisse Lucanum, facile sentiat. Credo, a manu poetae hoc modo relictum fuisse,

> *Sit mens ista quidem cunctis!* JAM *vestra recusent*
> VOTA, *neque haec* LATIUS COMITETUR *proelia miles*,
> *Cui* MOX *conspecto languebit dextra parente*,
> *Telaque diversi prohibebunt spargere fratres*.
> *Finis adest rerum*, NISI SI *committitis illis*
> *Arma*, *quibus fas est*.

ut sensus poetae sit: *O utinam omnes ita animati essent*, *uti nos*, *bellumque civile aversarentur! Tunc omnes ilicet vestra vota recusarent*, *et a bello discederent*, *neque ullus Italiae civis huic bello se immisceret*, *quippe cui statim conspecto parente vel fratre pietas tela manu excuteret*. *Finis totius Reip. adest*, *nisi si arma convertatis in hostes externos*, *cum quibus solis bellum gerere licet*. JAM RECUSENT VOTA *vestra*, id est, *nolint bellum gerere*, *quod vobis in votis est*. Posset et legi,

> JAM *vestra* RELINQUANT
> CASTRA vel SIGNA.

Fta, *Fcta*, *v̄ta*, *c̄stra* initio versuum facile confunduntur. LATIUS *miles* pro *Italo*, ut *dux Latius Lib.* IX. *vs.* 546. *Latius orbis Lib.* I. *vs.* 22. *et* VIII, 345. *Latia plebs Lib.* X. *vs.* 403. *Latius sanguis Lib.* VII. *vs.* 537.

> *nec* LATIO *ditentur sanguine fontes*.

ubi similiter illud in *alio* corruptum fuerat. vid. *Prodrom. pag.* 147. MOX vero, sublata interrogationis nota, rescripsi, id est, *statim*, *simulac parentem vel fratrem aspexisset*. Dein *nisi si* correxi, pro *si non;* prior enim syllaba τῦ *nisi* absorpta fuisse videtur ab ultima litera vocis *rerum*, unde ad fulciendum versum *non* et *nunc* (quod Voss. tert. habet) infertum fuisse videtur. *Committitis arma illis* vero hoc sensu a LUCANO hic sumitur, ut *committere certamen*, *bellum cum hoste* dixit Livius, et CAESAR *Lib.* I. *B. Gall. Cap.* XVI. *cum equitatu Helvetiorum proelium committunt*. Ita, nisi fallor, melius cohaerebit legati Massiliensium

oratio, et clara ex his tenebris lux resurget.

Optimo MANILIO jam vicem referamus, cultissimumque astronomiae poeticae conditorem hic illic spurcissimis librariorum ineptiis et sordibus expurgatum sistamus, dum temporum iniquitas plenos in eum commentarios dare prohibet. Locus mendosus est *Lib.* I. *vs.* 162.

Quoque magis puras humor secessit in auras,
Et siccata magis strinxerunt aequora terrae,
Adjacuitque cavis fluidum convallibus aequor,
Emersere fretis montes, orbisque per undas
Exsiluit, vasto clausus tamen undique ponto:
Idcircoque manet stabilis, quia totus ab illo
Tantumdem refugit mundus, fecitque cadendo
Undique, ne caderet. Medium totius et imum est.

Siccata aequora quomodo *terras*, vel *terrae siccata aequora stringere* possint, equidem concipere nequeo, et sic inepta ταυτολογίᾳ *adjacens convallibus* AEQUOR repeti mihi videtur. Praeterea doceri velim, qui fieri possit, ut *mundus cadendo undique faciat, ne cadat orbis?* siquidem hoc Sphingis aenigma ne solverit quidem Oedipus. Denique cum praecesserit ORBIS, horribilis soloecismus hic fuerit, quod subjungitur MEDIUM *totius et* IMUM EST, ut taceam inconcinnam verborum structuram nullo satis idoneo sensu. En rationes, erudite lector, quae jubent suspectum mendae agere locum! Accipe nunc facilem et certam emendationem. Lego,

Quoque PRIUS *puras humor secessit in auras,*
Et siccata magis strinxerunt CORPORA *terrae,*
Adjacuitque cavis fluidum convallibus aequor,
Emersere fretis montes, orbisque per undas
EMICUIT, *vasto clausus tamen undique ponto:*
Idcircoque manet stabilis, quia totus ab illo
Tantumdem refugit mundus, fecitque, CAVENDO
Undique, ne caderet, medium totius et IMUM.

PRIUS, id est, *citius*; nam *magis* mox sequitur. STRINXERUNT CORPORA SICCATA TERRAE lego, hoc sensu scilicet: *quo magis* TERRAE CORPUS *siccatum et constrictum fuit. Humor enim solvit, siccitas terram constringit.* CORPUS proprie ipsam *terrae* SUBSTANTIAM notat, unde LUCRETIO *Lib.* II. *vs.* 1113. TERRENO CORPORE *terra crescere* dicitur. STRUXERUNT *aequora* TERRAS legit STOEBERUS, qui et temerata prosodiae ratione (quod vel LUCRETII, quem adducit, locus monere eum potuisset) FLUIDUM rescribit, utque BENTLEJO obloquatur, spurium manifesto versum male tuetur. Melius utique fuerit premere tales observationes, quam prava ambitione ad famam grassari. Neque enim his conatibus Bentleji meritis quidquam detrahi possit. Nam quod *Lib.* I. *vs.* 139. *quatuor elementa* dicantur STRUERE sive *componere globum mundi*, longe alia res est, cum *mundus ex elementis componatur;* sed si *siccatum aequor* STRUAT *terras*, quaenam compositionis hic ratio fuerit, plane ignoro. EMICUIT rescripsi pro vulgato *exsiluit*. Nullo saltu hic opus, nulla celeritate. *Decurrentibus* enim *aquis sensim detegitur et* EMICAT, sive *aequore se efferre incipit*

Telaque diversi prohibebunt spargere fratres.
Finis adest rerum, si non committitis illis
Arma, quibus fas est. nobis haec summa precandi,
Terribiles aquilas infestaque signa relinquas
Urbe procul, nostrisque velis te credere muris,
Excludique sinas admisso Caesare bellum.
Sit locus exceptus sceleri, Magnoque, tibique

329. haec nobis, c. d. sed in d *nobis* est ab alia manu. 331. cre*d*ere, *d* in membr. erasa, d.

tellus. EMICARE, SURGERE, EXIRE *ex aquis, quibus tecta fuit, proprie dicitur tellus.* OVID. *Lib.* 1. *Met. vs.* 344.

Flumina subsidunt, colles EXIRE *videntur.*
SURGIT *humus;* CRESCUNT SOLA *decrescentibus undis.*

EMICARE enim est *surgere, prodire.* Sic EMICARE sive *prodire ex sepulchro* dicitur *umbra* apud SENEC. *in Troad. vs.* 180. et *Dircaea cohors* EMICUISSE sive *surrexisse* dicitur *semine Cadmi* apud LUCAN. *Lib.* IV. *vs.* 550. cui et restituendum postliminio elegans hoc verbum *Lib.* VI. *vs.* 351.

melius mansura sub undis
Emathis, aequorei regnum Pharsalos Achillis
EMICUIT, *prima* RHOETEAQUE *litora pinu*
Quae tetigit Phylace.

vulgo ibi male, *Eminet, et prima Rhoeteia l. pinu.* CATULLUS similiter RHOETEO *litore* dixit *Carm.* LXIV. *vs.* 7. CAVENDO denique emendavi, summo, ni fallor, jure. MUNDUS *sive coelum, tantumdem undique recedendo ab orbe terrarum, ita* CAVIT, *seu providit, ne caderet; quia ita ipsum undique aequaliter premit* (unde mox *vs.* 173. LIBRATO PONDERE *pendere* dicitur) atque hoc modo FECIT EUM (ita enim mutata distinctione, vitiosa generis enallage nullo excusationis colore eget).

MEDIUM TOTIUS ET IMUM.

siquidem illud *est* ab inepta correctoris manu profluxit. JEV.

328. — *si non committitis illis Arma, quibus fas est.*] Id est his, qui putant sibi licere bellum gerere civile: sine quibus necessario bellum civile interibit. GROTIUS. Recte. Sic VII, 314.

Quique suos cives, quod signa adversa tulerunt,
Non credit fecisse nefas.

et IV, 699.

Infidusque novis ducibus dubiusque priori,
Fas utrumque putat.

Ceterum illud leviter mutes, FINIS adest REBUS; non *rerum.* LIVIUS II, 9. *Adesse finem regnis, rei inter deos hominesque pulcherrimae.* et II, 15. *Eam esse voluntatem omnium, ut, qui libertati erit in ea urbe finis, idem urbi sit.* Gellius XIX, 9. *Ubi eduliis finis fuit.* Porro, cum *rebus* vel *rerum* hic audis, cave *res hujus belli* accipias, sed universim *res humanas.* Quintilianus Declam. XI, 6, *Actum est de rebus humanis, si de*

Tutus, ut invictae Fatum si consulat Urbi,
Foedera si placeant, sit quo veniatis inermes:
Vel, cum tanta vocent discrimina Martis Iberi,
Quid rapidum deflectis iter? non pondera rerum,
Nec momenta sumus: nunquam felicibus armis
Usa manus patriae primis a sedibus exul,
Et post tralatas exustae Phocidos arces,
Moenibus exiguis alieno in littore tuti,
Illustrat quos sola fides. si claudere muros
Obsidione paras, et vi perfringere portas,
Excepisse faces tectis, et tela parati,

334. *et* invict. b. d. 336. Vel, *si*, c. *H*iberi, b. c. d. ita semper. 338. N*on* mom. b. c. 340. tra*ns*lat. b. c. tra*ns*la*t*'as, d. 343. p*rest*ringere, c.

criminibus nostris tantumdem mendaciis licet.

334. — *ut invictae Fatum si consulat Urbi*,] Alibi hoc epitheton equidem et ferrem et laudarem: ut Livius, *Beatam urbem Romanam et* INVICTAM *et aeternam illa concordia fore.* Sed in his discordiis belloque plusquam civili sane alieno hic tempore *invictae.* Quid autem opus, ut Fatum ei consulat, provideat, prospiciat, si tum cum maxime *invicta* est? periculum certe est, ne a se saltem vincatur, ne suis ipsa viribus ruat. Scripsit sine dubio poeta,

Ut INVITAE *Fatum si consulat urbi.*

Urbi scilicet in se armatae Fato fovente opus erat, ut vel invita servaretur: non civium certe virtute et fide, sed solius Fati munere.

337. — *non pondera*] Depravatus insigniter hic locus est. Nam Massilienses inepte prorsus dicuntur *nec* PONDERA, *nec* MOMENTA esse. Longe enim aliud est *pondus;* aliud *momentum.* Proposita emendatione hoc patebit. FELICIA porro illa *arma* satis infeliciter heic loci intrusa mihi videntur, et forte a SCHOLIASTE, qui hic ridicule philosophatur, dicens: *Terret Caesarem juventus, ne vellet sibi infelices jungere.* Haud vidi magis. EXUSTA *Phocis* a Burmanno recte explosa. Sed neque *exhausta* mihi placet. Denique illa, *tuti*, *quos sola illustrat fides*, inconcinna prorsus et languida apparent, ut a Lucano sic profecta credere nequeam. Legendum suspicor,

NAM IN PONDERE *rerum*
Nec momenta sumus. Numquam HAEC CIVILIBUS *armis*
Usa manus, patriae primis SIC *sedibus exsul;*
Et post translatas INFAUSTAE *Phocidos* ARAS

Undarum raptos aversis fontibus haustus

Moenibus exiguis alieno in litore TUTOS
Illustrat NOS *sola fides.*

Nam in pondere lego, hoc sensu: *In* PONDERE *rerum Romanarum nos ne* MOMENTA *quidem sumus; sive nullum momentum habere videmur, ut pari pondere libratum hinc inde lancem inclinare valeamus.* MOMENTUM enim *minimum ponderis, quod solet adhiberi ad aequandam vel inclinandam libram. Paribus ponderibus* sub Caesare et Pompejo *libratus* videbatur orbis Romanus; Massilienses ne *unius* quidem *momenti* erant. Sic *Lib.* IV. *vs.* 819.

MOMENTUMQUE *fuit mutatus Curio* RERUM.

Curio a libertatis studio deflectens, mutata morum vitaeque ratione, MAGNUM MOMENTUM attulit *ad inclinandum Reip. statum.* Sic MAXIMA FATI MOMENTA, sive *quae fata Ducum et Reip. inclinare possent, Lib.* IV. *vs.* 3. Sic *momentum rerum* cum alterutrius *partis ruina* conjungit *Lib.* VII. *vs.* 117.

Prima velim caput hoc funesti lancea belli,
Si sine MOMENTO RERUM PARTISQUE RUINA
Casurum est, feriat.

Porro HAEC *manus* rescripsi, δεικτικῶς. MASSILIENSES nempe, qui, tantum aberrat, ut BELLO CIVILI (*civilibus* enim dedit Poeta, non *felicibus*) *umquam uti voluerint*, ut potius AD VITANDA CIVILIA BELLA *patriam antiquam olim reliquerint, in voluntariam exilium profecti.* Sic *exsul*, id est, *hoc modo; propter bella civilia.* Nam *pm.Sc* fuit, unde illud *primis e* fluxit, quod octo Codd. habent. Arguit hoc HORAT. *Epod.* XIX. *vs.* 17.

Nulla sit hac potior sententia, PHOCAEORUM
Velut profugit exsecrata CIVITAS
Agros atque lares patrios, habitandaque fana
Apris reliquit et rapacibus lupis.

mox *aras infaustae Phocidos;* dura enim et insolens locutio videatur, si *exhaustae urbis arces transtulisse* dicantur. *Aras deorum* PENATIUM transferebant, qui in novam urbem migrabant. *Vid.* VIRGIL. *Lib.* II. *Aen. vs.* 293. *etc.* Dixit quidem OVID. *Epist.* VII. *Heroid. vs.* 151.

ILION *in Tyriam* TRANSFER *felicius urbem.*

sed per *Ilion* ibi *Trojanos*, sive *imperium Trojanorum* intelligit. Si nihilominus tueri *arces* quis velit, per me licet. INFAUSTAE *Phocidos*, id est, *infelicis, miserae propter bella civilia.* Denique *nos tutos* dedi, quod vulgata longe elegantius videtur, et sensum planiorem efficit. Illud enim pronomen *quos* omnem Massiliensium legati fiduciam et *παῤῥησίαν* infringit et tollit, et, nisi admissa fuerit haec emendatio, tum illa vox *tuti* nihil habet, quo referatur, et sensu plane destituta erit.

MANILII, medicam manum postulantis, denuo meminisse juvat *Lib.* I. *vs.* 525. ubi de Cometis haec habentur:

Quod nisi vicinos agerent occasibus ortus,
Et tam parva forent accensis tempora flammis,
Alter nocte dies esset, coelumque rediret

Quaerere, et effossam sitientes lambere terram:

346. effossam, c.

Immersum, et somno totum deprehenderet orbem.

Pessime haec corrupta apparent. Nullus interpretum vulgatae scripturae controversiam movit. Verum mihi Oedipo non solum opus esse hic videtur ad Sphingis hujus aenigma solvendum, sed et haruspice ad monstrum hoc horribile expiandum. *Alterum nocte diem* quis, quaeso, audivit umquam? Quomodo vero *coelum* vel *immersum* vel *immensum redeat?* et *cui rei immersum?* Denique quo pacto *coelum totum orbem deprenderet somno*, cum per rerum naturam fieri nequeat, ut toto pariter orbe nox sit et dormiatur? Abstergamus itaque cultissimo poetae hanc maculam, eique mentem manumque suam felici omine restituamus! Lego,

> ALTUS *nocte dies esset;* COELOQUE *rediret,*
> *Immersum et somno* TITAN *deprehenderet orbem.*

ALTUS *dies*, id est, *alta lux*, *clarus dies*. LUCANUS *Lib.* II. *vs.* 719.

> *Jam Phoebum urgere monebat*
> *Non idem Eoi color aetheris,* ALTAQUE MUNDO
> LUX *rubet et flammas propioribus eripit astris.*

ut ibi emendavimus, cum antea vulgo inepte legeretur *albaque nondum*. *Vid. Prodrom. pag.* 261. Dein TITAN *rediret* COELO sive *in coelum*, et *orbem*, *quem paulo ante reliquerat*, *somno immersum opprimeret atque deprehenderet*. *ttn* et *ttm* vix differunt in MSS. unde facilis confusio. Eleganter vero SOL *orbem somno immersum et occupatum* DEPREHENSURUS dicitur, *si media nocte coelo rediret*. *Opprimere* hoc vocat LUCANUS *Lib.* V. *vs.* 701.

> *Talia jactantes, discussa nocte, serenus*
> OPPRESSIT *cum sole dies.*

Hic tamen lector observet, velim, in Manilio ineptas luxuriantis ingenii delicias. Quoniam enim per hanc hypothesin *altum nocte diem* finxerat, necessario quoque SOLEM ad obeunda solita munia *coelo redeuntem* sistere debuit. Quantum vero haec παρακινδυνευτικὰ a sublimi illa, simplici tamen, MARONIS majestate recedunt!

CLAUDIANUM vero hic neglectum transire religio mihi fuerit leviter corruptum *Lib.* I. *in Rufin. vs.* 165.

> *Illecebris capitur, nimiumque elatus avaro*
> *Pascitur intuitu. Sic rex ad prima tumebat*
> *Maeonius, pulchro cum verteret omnia tactu.*

Vitiosum est illud *ad prima tumebat*. Nullus enim hic superbiae locus. *Ad quae prima* autem? Nemo facile dixerit. *Ruebat* et *timebat* habent Codices. *Pulchro tactu* tolerari potest, BURMANNO judice, qui tamen mallet *stulto tactu*. Quid dubitamus vero rescribere, quod poeta a se profectum esse ultro clamet?

> *Sic rex ad* PULCHRA STUPEBAT
> *Maeonius*, PRIMO *cum verteret omnia tactu.*

Admiratione defixus stupebat Midas ad insolitam rerum pulchritudinem, quas primo tactu in aurum vertebat. Transpositis incuria librariorum, uti a properantibus fieri solet, vocibus τὸ *stupebat* in *tumebat* depravatum fuit, quia *nimium elatus* praecedit. STUPEBAT *ad pulchra*. Sic VALER. FLACC. *Lib.* IV. *vs.* 711.

Et desit si larga Ceres, tunc horrida cerni,
Foedaque contingi maculato carpere morsu.
Nec pavet hic populus pro libertate subire,
Obsessum Poeno gessit quod marte Saguntum.
Pectoribus rapti matrum, frustraque trahentes
Ubera sicca fame medios mittentur in ignes,
Uxor et a caro poscet sibi fata marito.
Vulnera miscebunt fratres, bellumque coacti
Hoc potius civile gerent. Sic Graia juventus

347. cern*es*, b. d. 348. *corpora*, in membr. erasa, b. *tangere*, sed ad marginem man. alia ∴ *corpora*, c. quod d. in textu habet. 350. qd, d in membr. erasa, b. 351. matr. rapti. c.

Tum freta, quae longis fuerant impervia seclis,
AD SUBITAM STUPUERE RATEM. *primo* vero *tactu* est, *simulac tetigisset*. JEV.

347. *Et desit si larga Ceres, tunc horrida cerni, Foedaque contingi maculato carpere morsu.*] Colbertini duo, Trin. Cantab. recentiores quoque plerique, cum majore parte eorum, quos Bersmannus Pulmannusque viderunt, et editione Rom. ATTINGERE. Contra Puteaneus, Harleianus, cum Veneta CORPORA. Regius secundus CORPORE. Apparet, alterutrum horum a correctore, non a scriba esse. Utrum vero sit, his indiciis scire licet. Veteres isti duo ab indoctis librariis scripti sunt, qui vel Latine nesciebant: hos nihil offendebant duo ista simul venientia, CONTINGI et ATTINGERE. Quod cum jure nasutioribus displicuisset, illi *corpora* interpolabant. Ex quo tamen, ut videtur, commentitio vir magnus nova interpolatione CARPERE substituit. Atqui nimis delicatum est id vocabulum in re tam atroci. Recte se habet *attingere*, et in illo haeret mendum: quod vide en sustulerim,

— *tunc horrida cerni*
Foedaque VEL FINGI, *maculato* ATTINGERE *morsu.*

Nisi sententiam jam erigi sentis, opera omnis in explicando posita peribit: Quae non modo cerni, sed fingi et imaginari sine horrore non possunt. Ceterum illud quale est, *si desit larga Ceres?* Quid tum, si *parca* sit et *rara;* sat bene in ista inopia sustentari potest. Scripsit, ni fallor, poeta,

Et desit si FORTE *Ceres.*

Si panis et penus deficiet, coria, animalia foeda, carnes denique humanas comedemus.

350. *Obsessum Poeno gessit quod marte Saguntum.*] Veteres quattuor Trin. et alius recentior QUAE, non *quod*. Et sic scholiastes Juvenalis ad XV, 93. Recte. Multa enim mala Saguntini tulerunt, non unum quiddam.

355. *Sic Graja juventus*] Nullus interpretum, quod scio, locum hunc mendae suspectum postulavit, utut manifesto mendo-

sum. Quaenam enim, quaeso, haec ineptae orationis series est: *Sic finierat sermonem juventus: quum* TANDEM *ira ducis, quae se jam antea turbato vultu manifestaverat, testata est voce dolorem suum.* Si rem recte reputo, longe aliud quid voluit hic sibi poeta et aptiore connexione usus fuit. Nam HOC *bellum civile* est longe ineptissimum, quia pronomen illud, quo rem praesentem denotare solemus, hic male cum verbo futuri temporis conjungitur; nondum enim erat *illud bellum.* Ne longis utar ambagibus, en ipsam poetae manum:

Vulnera miscebunt fratres, bellumque coacti
SIC *potius civile gerent!* VIX *Graja juventus*
Finierat, CUM *turbato jam prodita vultu*
Ira ducis TACITUM *testata est vocé dolorem.*

Ita omnia plana erunt, apteque cohaerebunt. SIC *gerent bellum civile, eo modo; mutuis* nempe *vulneribus in se saevientes.* VIX *Graja etc. cum,* eleganter! hoc sensu: *Vix finem dicendi fecerat orator, cum statim indignabundus ora solvit et pressum corde dolorem minacibus verbis egerit Caesar.* VIRGIL. *Lib.* I. *Aen. vs.* 590.

VIX *ea fatus erat,* CUM *circumfusa repente*
Scindit se nubes, et in aera purgat apertum.

eodem modo *vix et jam* dixit STATIUS *Lib.* I. *Silv.* II. [229.]

VIXDUM *emissa dies,* ET JAM *socialia praesto*
Omina!

TACITUM vero *dolorem,* id est, *tectum, occultum, quem in tacito corde sentiebat ex hac Massiliensium, portas sibi claudentium, audacia.* Ita *dolor alto sensu abditus* apud CLAUDIANUM *Lib.* II. *in Rufin. vs.* 284.

SENSU DOLOR *haeret* IN ALTO
ABDITUS, *et tacitas vindictae praestruit iras.*

VALER. FLACC. *Lib.* III. *Arg. vs.* 371.

Ipse etiam Aesonides (quamquam tristissima rerum
Castiganda duci, vultuque premenda sereno)
Dulcibus indulget lacrimis, APERITQUE DOLOREM.

ubi Jason *lacrymis,* quemadmodum hic Caesar *verbis*, APERIT et TESTATUR *pressum corde dolorem.* Nam vulgata *tandem* menti poetae plane repugnat, qui iratum Caesarem Massiliensibus statim respondentem et minaci oratione excidium urbis denuntiantem inducit. Caussa depravationis hujus loci fuisse videtur confusio vocularum *sic* et *vix.* Cum enim librarii SIC *Graja* invenissent in Codd., illud prius *sic* in HOC, et *tacitum* in *tandem* supina negligentia et inaudita audacia permutare non dubitaverunt.

Optimo rursus MANILIO medicinam faciamus a librariis pessime habito *Lib.* II. *Astron. vs.* 76. ubi dicit auctor:

Ne staret summa per omnes
Par semper partes aequo digesta parente,
Ut neque deficerent undae, nec cederet orbis,
Nec coelum justo majusve minusve volaret.

Quid huc illud *aequo parente* faciat, videre nequeo. Cum enim supra *vs.* 67. dixerit,

Quod nisi cognatis membris contexta maneret
Machina, et imposito pareret tota MAGISTRO.

Finierat: cum turbato jam prodita vultu
Ira ducis, tandem testata est voce dolorem.

357. *est* in c. ab alia manu supra v. *testata* scriptum est sine signo.

et mox *vs.* 81. universi DOMINUM inculcet auctor, *aequo parente* certe hic opus esse non videtur. Mendosa igitur haec fuerint. Facilis vero emendatio erit, mentique poetae congrua exibit sententia, si legerimus,

aequo digesta PARATU.

id est, *in justum ordinem aequali undique ornatu et apparatu disposita.* *Ornatum* enim et *cultum* designat haec vox. LUCAN. *Lib.* IV. *vs.* 374.

O prodiga rerum
Luxuries, numquam PARCO *contenta* PARATU!

parco, id est, *exiguo et modico.* Saepe hae voces confusae. *vid. Prodrom. pag.* 56. OVID. *Epist. Her.* XVI. *vs.* 191.

Hanc faciem LARGIS *sine fine* PARATIBUS *uti*,
Deliciisque decet luxuriare novis.

STOEBERUS divae criticae non bene litat, qui ex Codd. Lips. et Parisino, et Vett. Editt. vitiosas lectiones, et ob id a summo Bentlejo merito explosas producere satagit, illaudabili contradicendi libidine. Ast exiguo successu aut fructu. Nam mala merx se ipsam damnat contemtu et dominum dispendio!

Nunc cultissimum NASONEM spurcissimis interpolatoriae manus ineptiis liberare juvat, quem turpiter inquinavit sinistra liberalitas *Epist.* VI. *Heroid. initio:*

Litora Thessaliae reduci tetigisse carina
Diceris, auratae vellere dives ovis.
Gratulor incolumi, quantum sinis. Hoc tamen ipsum
Debueram scripto certior esse tuo.
[Nam ne pacta tibi praeter mea regna redires,
Cum cuperes, ventos non habuisse potes.]
Quamlibet adverso signetur epistola vento,
Hypsipyle missa digna salute fui.

Tertium illud distichon a mala manu intrusum, quod miror non observatum HEINSIO et BURMANNO. Quaenam enim haec spurcities sermonis, *ne redires praeter* vel *propter mea regna tibi pacta?* et quam putidum illud *potes non habuisse ventos?* Sequens enim distichon mangonium illud explodit, ubi poeta *adversum ventum* aperte memorat, cum nugator ille nobis illud suum *potes non habuisse ventos* ita supplendum reliquerit, *sc.* FELICES vel SECUNDOS. Res oppido sponte patet. *Gratulor tibi felicem reditum*, ait Hypsipyle, *quantum permittis. Verum ex literis tuis cognoscere hoc debui. Utut enim vento adverso tenereris, scribenda fuit epistola, et salutem mihi dictam oportuit.* JEV.

356. — *turbato jam prodita vultu*] Laudat hunc locum inter alios Bentl. ad Horat. Serm. II, 5, 204. quibus confirmet, vultu saepe *prodi* secretos animi affectus. WER.

Vana movet Graios nostri fiducia cursus.
Quamvis Hesperium mundi properemus ad axem,
Massiliam delere vacat. gaudete cohortes;
Obvia praebentur fatorum munere bella.
Ventus ut amittit vires, nisi robora densae
Occurrant silvae, spatio diffusus inani;
Utque perit magnus nullis obstantibus ignis,
Sic hostes mihi deesse nocet: damnumque putamus

358. cursus n. f. Graios, b. 359. *in* axem, b. 360. *juvat*, c. 362. *ni*, b. robor*e*, c. 363. Occur*ran*t, *an* in membr. erasa, b. di*f*usus, d. 364. *perit* ab eadem manu posterius additum est, b.

362. — *nisi robora densae Occurrant silvae,]* Variant hic codices: hi cum Puteaneo *robora densae;* alii, ut Harleianus, Trin. cum Romana, *robore denso;* alii denique cum Colbertinis duobus, Arundeliano et Veneta, *robore densae.* Quaevis ex his lectio ferri potest, sed placet postrema. Silius III, 442.

> *Jamque per et colles et* densos abiete lucos.

Aeneid. X, 178.

> *Mille rapit* densos acie *atque horrentibus hastis.*

Val. Flaccus III, 484.

> — — *quosque dabat* densa trabe *Mysia montes.*

Infra quidem *v.* 444.

> — *propulsaque* robore denso
> *Sustinuit se silva cadens.*

Sed ibi alia constructio est: non, ut hic, *silvae robore denso*, sed *silva cadens sustinuit se robore denso.* Porro et OCCURRUNT lege cum Cant. Trin. Caiano, Bersmannique codice, quia mox omnes veteres, et novi plerique REBELLANT; non *occurrant, rebellent.*

365. — *damnumque putamus Armorum, nisi, qui vinci potuere, rebellent.]* *Damnum armorum* quid aliud esse potest, nisi cum *arma perduntur*, amittantur? ut Horatius I, Ep. XVI, 67. *Perdidit arma, locum virtutis deseruit*, ubi nos, si vacat, videbis. Respuit vero hanc sententiam locus ipse. Quid quod versu proximo rursus habemus *dimissis degener* ARMIS? Aut fallor, aut scripsit auctor,

> — *damnumque putamus*
> NOSTRORUM, *nisi qui vinci potuere rebellant.*

Nostri absolute, pro *nostri milites*, apud Livium aliosque historicos passim habes. Ergo *damnum nostrorum militum putamus;* quippe quibus os sublinitur, si urbes non rebellent, et spoliis praedaque circumducun-

tur. Propinquae admodum sunt literae, *arorum*, *nrorum*.

BENTL.

Fraudis hic, quod miror, nulla interpretibus suspicio suborta fuit, cum et hic Lucanum invenustis depravati gustus deliciis ditaverit male sedulus interpolator, quod MAGNUS ille IGNIS cum insulso suo adjutorio *nullis obstantibus* facile evicerit. Nulla igitur mora in me fuerit, quin statim *nullo obstante pereat* hic inficeti versificatoris inficetior fetus, quippe seriem orationis turbat, quae alias elegantissima est,

Ventus ut amittit vires, nisi robora densae
Occurrant silvae, spatio diffusus inani;
Sic hostes mihi deesse nocet, damnumque putamus
Armorum, nisi, qui vinci potuere, rebellent.

Simplex haec comparatio multo venustior! ceterum nescio, quid BENTLEJUM moverit, ut rescribere hic maluerit *damnum* NOSTRORUM, quasi *damnum armorum* nihil aliud significare posset, nisi cum *arma perduntur*. DAMNUM ARMORUM hic notat *damnum gloriosae militiae et victoriarum* et intelligendum *armorum felicium*, ut *Lib.* IV. *vs.* 359. de Caesaris armis loquitur Afranius:

neque enim FELICIBUS AR-MIS
Misceri damnata decet, partemque TRIUMPHI
Victos ferre tui.

Nisi forte nobis dederit poeta,

damnumque putamus
LAURORUM, *nisi, qui vinci potuere, rebellent.*

id quod mihi vero simile videtur, quoniam certa fiducia sibi VICTORIAM de *rebellibus* spondet. LAURUS enim *victoriam* designat. vid. *Prodrom. pag.* 82. quo loco *laurus* et *currus* confundi docui. CLAUDIANUS IV. *Cons. Honor. vs.* 24. loco corruptissimo, quem ita lego:

Cui MOX *Arctoa* PREMENTI
Classica Massylas adnexuit Africa LAUROS.

Vulgo inepte *post Afrctoa frementi* legitur. PREMENTI CLASSICA ARCTOA fuerit, credo, *motus Britanniarum compescenti*. Ut *claustris* PREMERE *bella Janus* dicitur eidem CLAUDIANO VI. *Cons. Hon. vs.* 638. ut sic Britannico triumpho victoriam de Africa subiungat poeta. Iudicent eruditi.

MANILIO, remedium postulanti, non denegabimus: justam siquidem caussam oratum venit. *Lib.* II. *vs.* 471. haec vulgo legas:

Idcirco adversis nonnumquam est gratia signis,
Et bellum sociata gerunt, alienaque sede
Inter se generant conjunctos omne per aevum,
Utrique aut sorti pugnant fugiuntque vicissim.

Quid sibi velint haec contorta adeo, nemo facile dixerit. *Alienaque sede* quin corruptum sit, nemo dubitaverit, quippe nec satis Latinum, neque ullus sensus subest. Quid notet *utrique sorti pugnare*, doceri cupio. Frustra enim hactenus quaesivi. Audiamus STOEBERUM! Is vero rescribi jubet hoc modo,

conjunctos omne per aevum
Utrique ET *sorti* (:) *pugnant fugiuntque vicissim.*

i. e. generant tales, qui semper tam NATURA *quam* SEXU *sunt conjuncti*. Piget ineptiarum! Tu, si me audias, erudite lector, lege hoc modo,

Armorum, nisi, qui vinci potuere, rebellent.
Sed si solus eam dimissis degener armis,
Tunc mihi tecta patent. jam non excludere tantum,

366. potuere, *er* in membr. erasa ab alia manu, quae in margine quoque *potuere* notavit, c. rebell*ant*, b. c. d. 368. Tu*m*, d. tecta, *te* in membr. erasa, b.

Idcirco adversis nonnumquam est gratia signis,
QUAE *bellum sociata* FERUNT; ADVERSAQUE SAEPE
Inter se generant conjunctos omne per aevum,
ORTIQUE EX SOCIIS *pugnant, fugiunt*VE *vicissim.*

claro atque manifesto sensu: *Fit interdum* (inquit poeta), *ut signa quaedam, quando adversa et opposita sunt, amorem generent; quae eadem, quando conjuncta et sociata sunt, bella atque odium producant; atque ita saepe videmus, sub adversis et oppositis illis signis oriri homines aeterno amore et perpetuo amicitiae vinculo per totam vitam conjunctos: ex iisdem contra conjunctis et sociatis oriri homines aeterno odio inter se certantes vel a se mutuo abhorrentes.* Nihil verius! QUAE FERUNT *bellum* scripsi pro *Et ferunt.* Non enim de *pugna signorum inter se* agit Manilius, sed de EFFECTIBUS *eorum*, quos praestant in hominum generatione, prouti sunt in *oppositione* vel *conjunctione*, vel in *diversis aspectibus*, uti loquuntur astrologorum filii, ut patet ex *vs.* 468. Huc trahi possunt pessimae lenae verba apud OVID. *Lib.* I. *Amor. Eleg.* VIII.

Stella tibi OPPOSITI *nocuit contraria* MARTIS:
Mars abiit, SIGNO *nunc Venus apta* TUO.

Ita enim ibi cum Heinsio rescripserim libens. Vulgo *suo.* TUO SIGNO, nempe *sub quo generata et nata es,* et *Venus apta* ibi *conjuncta* et *sociata* explicari debet. ADVERSAQUE SAEPE lego. *Aliena sede signa* nauci sunt. Quemadmodum vero hic *sede* et *saepe*, ita eodem modo *caede* et *saepe* confusa vidimus ad *Lib.* I. *vs.* 255. *Prodrom. pag.* 88. Explicat hic, quod ante dixerat, saepe ADVERSA SIGNA *amorem*, eademque CONJUNCTA *odium* et *dissidium* parere, unde ratio sponte patet, cur vi ἀντιθέσεως rescribendum conjectaverim *Ortique ex sociis*, pro inepto *utrique aut sorti.* Posset tamen illud ALIENAQUE tolerari, si legeretur *alienaque* PACIS pro *inimica*, *hostilia.* Sic enim locutus LUCRETIUS *Lib.* VI. *vs.* 68. diverso licet sensu. *Fugiuntve* vero, conjunctione copulativa in disjunctivam mutata, ideo, quia non semper *odium* et *bellum*, sed quandoque etiam simplicem aversationem et ἀντιπάθειαν efficiunt.

NASONI age denuo turpissimas interpolatoris sordes abstergamus, quibus deformata est cultissima ejus musa *Epist. Heroid.* IX. *vs.* 35.

Ipsa domo vidua votis operata pudicis
Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat.
[Inter serpentes, aprosque avidosque leones

Inclusisse volunt. at enim contagia belli
Dira fugant. dabitis poenas pro pace petita:
Et nihil esse meo discetis tutius aevo,
Quam duce me bellum. Sic postquam fatus, ad urbem

Jactor et esuros terna per ora canes.]
Me pecudum fibrae, simulacraque inania somni,
Ominaque arcana nocte petita movent.

Spurium distichon attento se lectori facile prodiderit. Quid enim, quaeso, *serpentes*, *apri*, *leones*, et, ridiculi prorsus, CANES illi, *esuri per terna ora*, commune habeant cum votis castissimae Deianirae, quemve locum inveniant inter *fibras pecudum*, *somnia* atque *omina? Canes esuri per terna ora* Cerberum notabunt? et quid *esuri sunt* denique illi canes? et quomodo *jactatur inter eos* castissima matrona? Nugae! Ad corvos abeat hic turpis institor cum illepido hoc mercimonio! De LEONE NEMEAEO infra agit *vs.* 61. de APRO ERYMANTHIO *vs.* 87. de CERBERO *et* HYDRA LERNAEA *vs.* 93 *et* 95. Plura non addam. Poeta rem probat. JEV.

369. —*at enim contagia*] Menda subest. Quomodo enim hic Massilienses dici possint *fugare* sive *a se expellere dira belli contagia*, ut SCHOLIASTES explicat, videre nequeo, dum bellum deprecantur et neutrarum partium esse exoptant: utque hoc jam aliquo modo tolerari possit, quomodo haec indignabundo Caesari conveniat oratio, vix capio. *Diffugiunt* erat in Turrian. Amstelaedamensis Codex, ut testatur OUDENDORPIUS, exhibet *sed enim*, quod mihi valde probatur. Ut sic *ironica concessione* utens poeta illud SED geminaverit, atque acri sarcasmo augere voluerit Caesaris indignationem. Quare legendum crediderim,

SED ENIM *contagia belli*
Dira PUTANT! *dabitis poenas etc.*

Sed nempe putant, dirum et detestabile esse bello civili se immiscere! Respondet enim ad illa, quae dixerat legatus, Massilienses numquam manus polluisse bellis civilibus, quippe qui ideo patriam reliquerant, ut bella civilia fugerent, et, si cogere eos vellet Caesar, se potius Saguntinorum more extrema passuros atque ausuros etc. *Sed enim* PUTANT, inquit, *sacrilegum et detestabile esse bellum civile gerere! Faxo brevi aliter sentiatis, atque ipsa experientia edocti jam sciatis, nihil melius esse, quam, me duce, bella civilia gerere!* PUTARE hic est *falso opinari* ex mente Caesaris, atque illud hic opponitur τῷ DISCERE sive *ipso eventu experiri*, *experientia cognoscere*. Sic eodem sensu *Lib.* v. *vs.* 258.

Seque PUTAT *solum bellorum*
injusta gravari.

et *supra vs.* 365.

damnumque PUTAMUS
Laurorum, nisi, qui vinci potuere, rebellent.

JEV.

Haud trepidam convertit iter: tum moenia clausa
Conspicit; et densa juvenum vallata corona.
Haud procul a muris tumulus surgentis in altum

373. Hau*t*, ut semper, c. tu*nc*, b. c. d.

373. — *tum moenia clausa Conspicit;*] Iterum pro *tum* vel *tunc* reponendum est CUM: vide ad III, 9. sic supra 356.

Finierat: CUM *turbato jam prodita vultu*
Ira ducis.

375. *Haud procul a muris tumulus surgentis in altum Telluris,*] Ecce tibi hic SURGENTIS, et quinto post versu in re pari CONSURGIT. Non adeo siccus jejunusque erat, ut variare verbum nequiret. Sine dubio mendosum alterutrum est; et codex quidem Trin. cum altero, et Bersmanni codice, et editione Veneta CONSCENDIT pro CONSURGIT. Hoc a correctore quodam fluxit, cui vox repetita displicebat. Sed falsus est conjecturae: *conscendit* enim *in arcem* nihil nisi animatum, miles, dux, non *pars urbis* sive *telluris.* Prior ista vox *surgentis* in mendo cubat, sic corrigenda,

Haud procul a muris tumulus CRESCENTIS *in altum*
Telluris.

Noster IV, 11.

Colle tumet modico, lenique EXCREVIT IN ALTUM
Pingue solum tumulo.

Claudianus II, Proserp. 98, de Ennaei campi pulchritudine,

Nec sic innumeros arcu mutante colores
Incipiens redimitur hiems, cum tramite flexo
Semita discretis interviret humida nimbis.
Forma loci superat flores: curvata tumore
Parvo planities et mollibus edita clivis
CREVERAT IN COLLEM.

Ubi plures versiculos descripsi, ut elegantem lectionem jam deperditam cultissimo poetae restituam. Quid enim in Iride faciunt *nimbi* illi *discreti*? Repone sine dubio,

Semita discretis interviret humida LIMBIS.

BENTL.

Age in desperato hoc loco, quid vires ingenii possint, periclitemur! Corruptus est orationis contextus, quod tamen nemo animadvertit. Quid enim? an *tumulus terrae* tandem fuerit RUPES *tutis aptissima castris?* Quis fando umquam talia audivit? Adde, quod mox de *duobus collibus*, quos aggere vasto committere voluit Caesar, mentionem faciat poeta *vs.* 382. Sana haec et ab auctoris manu ita profluxisse quis credat? OUDENDORPIUS pro *celsam* CONSURGIT *in arcem* ex quibusdam libris malit rescribere *conscendit*, quia nempe *surgentis* praecessit, sed merito hoc displicuit BURMANNO. Eodem modo BENTLEJUS, quia *consurgit* mox sequitur, hic pro *surgentis* rescribit *crescentis*, sed infelici conatu. Idem vero optime PATULUM *campum* rescribit, quod *diffuso vertici* melius convenit quam *parvum*, ut vulgo inepte legitur. Quid multa? Levi duarum vocum immutatione rescribendum censeo,

Haud procul a muris tumulus TURGENTIS *in altum*
Telluris PATULUM *diffuso vertice campum*
Explicat. HINC *patiens longo munimine cingi*
Visa Duci rupes tutisque aptissima castris.

Vult poeta, *Caesarem, ad urbem progressum cum exercitu,* TUMULUM TERRAE *sive collem conscendisse, ut locum accommodum castris dispiceret; atque* HINC, *id est, ex hoc colle* RUPEM *castris ponendis idoneam conspexisse.* Et tunc subjungit, *Caesarem voluisse hanc* RUPEM *et* COLLEM *illum* (quos *colles diversos* jam recte vocat) *vasto aggere conjungere.* Dein vero situm sive τοπογραφίαν urbis exhibet, cum dicit, *urbem in parem colli altitudinem consurgere: inter rupem vero collemque, quasi in convalle, jacere longam camporum planitiem.* TURGENTIS *in altum* rescripsi facili et verissima conjectura. TURGERE *in altum* recte dicitur *tellus, quae se in tumulum levat.* Probat LUCANUS *Lib.* VI. *vs.* 109.

nondum TURGENTIBUS ALTAM
IN SEGETEM *culmis.*

quae lectio ibi neutiquam sollicitari debet. Nam *culmis nondum turgentibus in altam segetem* est *nondum maturis:* siquidem maturo frumento *tument* et *turgent* aristae sive culmi, atque ad justam altitudinem assurgunt. Sic *humus* dicitur *turgere in herbas* CLAUDIANO *Lib.* II. *de R. P. vs.* 91. et hinc dubito, an apud eumdem *Lib.* II. *in Eutrop. vs.* III. rescribendum sit,

Asperius nihil est humili, dum TURGET *in altum.*

id est, *dum ultra modum et meritum ad summam fortunam subito elevatur cum superbia.* Nam in Jun. erat *tendit*, ut forte in Cod. fuerit *tḡt*, quod in *surgit* et *tendit* tandem mutarunt. Certe *surgere in altum* dicitur de illis, quae *sensim ad justam magnitudinem excrescunt*, ut *Lib.* III. *Cap.* XII. de imperio Romano dicit FLORUS: sed *turgere in altum* notat *subito intumescere, et elevari nimia potentia cum tumore et fastu:* quod eleganter exprimit *in Cons. Prob. et Olybr. vs.* 40.

virtutibus ille
Fortunam domuit, numquamque LEVANTIBUS ALTE
INTUMUIT REBUS.

Nunc infelicis CATULLI misereamur, atque Chironium ulcus, quo diu sine ulla sanationis spe decubuit, tandem medicemur. Latet illud carcinoma in *Carm.* LI. *vs.* 8.

nam simul te,
Lesbia, adspexi, nihil est super mi
. . . .
Lingua sed torpet.

ita VOSSIUS et VULPIUS hunc locum lacerum et toto Adonio mutilatum ex veteribus libris ediderunt. PARTHENIUS ita hunc locum suppleverat ex ingenio,

nihil est super mi,
QUOD LOQUAR AMENS:
Lingua sed torpet.

sed merito reprehensus a VULPIO. Cum vero doctissimus VULPIUS in duobus chartaceis libris bibliothecae Saibantium Nobilium Veronensium, a Galeardo Brixianae ecclesiae Canonico collatis, exstare dicat

NIHIL EST SUPREMA
Voce locuta,

quid moramur CATULLO vitam dare et sanitatem? Credo, a poetae manu ita haec profluxisse:

nam simul te

Lesbia, adspexi, nihil est super mi IN
FAUCE LOQUELAE:
Lingua sed torpet.

ut sit, *nihil vocis mihi superest in fauce.* Notum illud MARONIS *Lib.* III. *Aen. vs.* 48.

Obstupui, steteruntque comae et VOX FAUCIBUS HAESIT.

LUCAN. *Lib.* III. *vs.* 738.

vox FAUCES *nulla* SOLUTAS
Prosequitur.

In Cod. forte fuit *foce lqule*, et male legentis anagnostae verba male excipiens librarius dedit *voce loqute*, unde menda illa nata. *au* et *o* in MSS. hinc toties confusa. Vid. supra ad v. 103. Ita vero optime a poeta exprimitur illud, quod Sappho in sua oda, quam totam CATULLUS hic vertit, dixerat:

Ὡς ἴδον σ', ὡς ΒΡΟΓΧΟΣ
ἐμοὶ μὲν αὐδᾶς
Οὐδὲν ἔθ' ἼΚΕ.

Ita lego. Ut sit βρόγχος μὲν ἐμοὶ οὐδὲν αὐδῆς ἀνῆκε, *fauces mihi nihil vocis emiserunt; nihil loquelae superfuit mihi in faucibus.* Βρόγχος summa asperae arteriae pars, aeri ad vocem transitum praebens, sic eleganter dicitur ἵεσθαι αὐδὴν sive *transmittere vocem.* In Sappho vero illud ὡς ἴδον σ', ὡς βρόγχος etc. elegans et venustum, ut apud suavissimum THEOCRITUM *Eidyll.* II. *vs.* 82.

ὩΣ ἴδον, ὩΣ ἐμάνην, ὩΣ
μευ περὶ θυμὸς ἰάφθη
Δειλαίας.

quam elegantiam in *Pharmaceutria* sua expressit optimus VIRGILIUS *vs.* 41. *Doctissimus* enim VOSSIUS, dum decimam illam Musarum nimis Doricam effingere satagit, in hoc odario nimium sibi permisisse, et severae criticae non adeo litasse videtur.

MANILIO iterum vacemus, eique succurramus leviter corrupto *Lib.* II. *vs.* 497.

At Leo cum Geminis aciem conjungit, et aurem
Centauro gemino, Capricorni diligit astrum.

Sic edidit BENTLEIUS, cum antea legeretur,

Centauro, Geminos Capricorni diligit astrum.

quod recte falsum pronunciat, siquidem non amat GEMINOS, sed LEONEM. Ast vero demiror vehementer, quod acutissimus criticus, qui sola toties unius vocis repetitione offensus auctores sollicitare solebat, hic ipse suam non damnaverit emendationem! Nam *Geminis* praecedit, quod GEMINO *Centauro* locum nullum dare videtur. STOEBERUS hic maluit cum SCALIGERO errare, quam BENTLEJO non obloqui. GEMINUS *Centaurus* mihi non probatur, non solum, quia eadem vox praecedit, sed, quia CENTAURUS, utut *biformis* sit, sive, uti LUCRETIUS ait *Lib.* V. *vs.* 877.

DUPLICI NATURA *et* CORPORE BINO,

GEMINUS vocari non potest, cum unus sit, quem propterea geminare non licet ex genio et natura linguae Romanae. Ne diu suspensum te teneam, erudite lector, en tibi ipsam poetae manum!

At Leo cum Geminis aciem conjungit, et aurem
Centauro HAEMONIO, *Capricorni diligit astrum.*

HAEMONIUS *Centaurus* est *Chiron, inter sidera fulgens.* vid. LUCAN. *Lib.* VI. *vs.* 393. Ita et infra rescribendum *vs.* 552.

Telluris, parvum diffuso vertice campum
Explicat: haec patiens longo munimine cingi
Visa duci rupes, tutisque aptissima castris.
Proxima pars urbis celsam consurgit in arcem
Par tumulo, mediisque sedent convallibus arva:
Tunc res immenso placuit statura labore,
Aggere diversos vasto committere colles:
Sed prius ut totam, qua terra cingitur, urbem
Clauderet, a summis perduxit ad aequora castris
Longum Caesar opus, fontesque et pabula campi
Amplexus fossa, densas tollentia pinnas
Cespitibus, crudaque extruxit brachia terra.
Jam satis hoc Graiae memorandum contigit urbi.
Aeternumque decus, quod non impulsa, nec ipso

376. parvo diffus*um*, d. 378. rup*is*, d. tuti*s* aptiss. c. 379. con*scend*it, suprascripto *vel surgit*, b. 382. divers*o* vast*os*, d. 386. pīnas, ~ ab alia manu, c. 389. ne*que*, c. d.

Erigone CANCRUM TIMET, HAEMONIUMQUE *sub arcu Centaurum et Pisces, et te, Capricorne, rigentem.*

vulgo ibi male legas *Cancrumque timet geminumque*, nam ita copulae sine necessitate multiplicantur. JEV.

376. — *parvum diffuso vertice campum Explicat:]* Mirum hoc quidem, campum *parvum* esse, verticem vero tumuli *diffusum*. Offendit hoc olim lectores; unde factum, ut Putpaneus, Harleianus, Pulmannique unus, PARVO DIFFUSUM; alter DIFFUSUS. Sed hae sunt hariolorum conjecturae. Dedit auctor,

Telluris, PATULUM *diffuso vertice campum.*

Sic alibi IV, 19.

Explicat hinc tellus campos effusa patentes.

et IV, 743.

— *dum colle relicto* Effusam patulis *aciem committeret* arvis.

Claudian. I, Proserp. 220.

Et Cereris prolem patulis *illudere* campis.

Explicat, ut VI, 477.

— *submisso vertice montes* Explicuere *jugum.*

378. — *tutisque aptissima castris.]* Deest conjunctio QUE in codice Regio et altero Bersmanni. Repone igitur, distinctione mutata:

390 Strata metu, tenuit flagrantis in omnia belli

— *haec, patiens longo munimine cingi,*
Visa duci rupes tutis aptissima castris.

Haec rupes visa castris aptissima; quippe quae *patiens* erat *cingi munimine.* [Mox 382. perperam veterrimi quattuor DIVERSO VASTOS pro *diversos vasto,* ut ceteri.] Sed minus placet illud LONGO *munimine:* aptior sane castris fuisset, si *facili.* Ne addam *longum opus*, quod idem est ac *longum munimen*, rursus haberi v. 385, crediderim ab auctore fuisse:

— *haec patiens* SUBITO *munimine cingi.*

ut VI, 53. de ingenti illo munimine ad Dyrrachium:

Assyriis quantum populis telluris Eoae
Sufficit in regnum, subitum *belliquе tumultu*
Raptum claudit opus.

et I, 517.

Et subitus *rapti munimine cespitis* agger.

et IV, 29.

— subita *circumdedit agmina fossa.*

Facit huc, quod v. 381. infertur,

Tunc res immenso placuit statura labore.

Opponitur quippe priori, *hoc immenso labore stetit*, illud modico.

390. — *flagrantis in omnia belli] Bellum flagrans in omnia* quo sensu Latine dici possit, mihi ostendi velim. BURMANNI explicatio, hoc modo interpretantis, *ut tenuisse Massilia dicatur cursum Caesaris flagrantis in omnia belli*, mihi non placet, quippe sic inepte repeti videatur illud, quod subjungit,

raptisque a Caesare cunctis
Vincitur una mora.

et praeterea illud *flagrare in omnia belli* tersis se auribus probare vix possit, cum idoneum sensum non habeat. Non enim de cursu Caesaris agitur, ast de praecipiti cursu belli, quem Massiliensium virtus et constantia retardavit. Mendam recte vidit, et elegantissima conjectura STAGNANTIS reponi voluit *ill.* HEINSIUS, id est, *exundantis*, *restagnantis*, metaphora a FLUVIIS desumta, *qui aquis aucti super ripas effunduntur, vicinosque agros late inundant.* Optime et velut ex tripode! Unum tamen adhuc obstat, quominus plene sanatus videatur locus, nempe, quod hoc bellum non possit dici *stagnare in* OMNIA. Utut vero satis gravis haec videatur objectio, facilis tamen propositi aenigmatis solutio fuerit, et poetae manus sua apte restituta, si levicula immutatione legamus,

tenuit STAGNANTIS *in* OBVIA *belli*
Praecipitem cursum.

id est, *obvia quaeque mergentis atque inundantis.* Sic *Lib.* II. *vs.* 417.

Non minor hic Nilo, si non per plana jacentis
Aegypti IN LIBYCAS *Nilus* STAGNARET ARENAS.

ita ibi legendum. Vulgo *Aegypti Libycas*, omissa praepositione, quae ab ultima litera vocis *Aegypti* absorpta fuit. Nam quod *cl.* OUDENDORPIUS ibi putat; *plana jacentis Aegypti* per epexegesin vocari *Libycas are-*

Praecipitem cursum: raptisque a Caesare cunctis,

nas, in eo fallitur. NILUS *per plana jacentis Aegypti effusus* ibi etiam *restagnare* dicitur *in arenas Libyae.* Quamvis enim non ignorem, STAGNARE cum quarto casu active saepe efferri, non tamen ideo, puto, debet altera constructio aeque bona ubique exsulare. Ita enim *flumina* RESTAGNANT VALLO pro *in vallum* dixit *Lib.* IV. *vs.* 89.

ALTO RESTAGNANT *flumina* VALLO.

IN OBVIA vero *stagnat bellum* sive *obvia quaeque mergit*, MORE FLUMINIS, *obvia inundantis.* Simili metaphora *ignis* OBVIAS *silvas populari incendio* dicitur FLORO *Lib.* II. *Cap.* 11. Passim vero hae voces *obvia* et *omnia* confusae. Sic apud CLAUDIAN. VI. *Cons. Honor. vs.* 468.

stricto prosternens OBVIA *ferro.*

in OXON. Cod. erat *omnia.* Et sic ubique fere.

Hic vero sistere juvat elegantissimum veteris poetae epigramma, quod primum ab HEINSIO evulgatum ad CLAUDIAN. *Lib.* III. *de R. P. vs.* 333. novae *Anthologiae* suae inseruit *cel.* BURMANNUS *Secundus*, *Lib.* I. *Epigr.* LXXXV. quod ita lego:

Diffugiens pontum silvas Galatea peragrat,
Custodem ut pecoris cernere possit, ABIT:
Et teneros gressus infigit sentibus ASPRIS,
Nec tamen alta pedum vulnera sentit amor.
Ipsa Cupidineae cedunt elementa pharetrae,
CYPRIDOS *et mediis flamma suburit aquis!*

ABIT lego pro *Acin.* ACIS ultro claret ex nomine GALATEAE, HUNC *sibi amatum pastorem cernere cupientis.* Ut jam poetae nulla temeratae legis metricae dica scribi possit. ABIT, *ut videat Acin.* TENEROS vero *gressus infigit sentibus* ASPRIS, pulcherrima antithesi, quam vel *alta pedum vulnera* confirment. *Aspris sentibus* auctoritate MARONIS *Lib.* II. *Aen. vs.* 479.

Improvisum ASPRIS *veluti qui* SENTIBUS *anguem*
Pressit humi nitens.

Ardens amor nihil facit ad *alta vulnera pedum!* Denique CYPRIDOS ET rescripsi pro *cujus et in*, quod, ut languidum et insipidum, librariorum negligentiae puto adscribendum. In Cod. forte fuit *Cpds et.* CUPIDINIS illud esse putarunt et glossam τȣ̃ CUJUS *i. e. Cupidinis.* Ut metro igitur consuleretur, praepositio *in* inserta fuit. Eodem fere stupore, quo apud OVIDIUM eos CONCUBITU im *jamque diu* depravasse ostendimus supra ad v. 104. fin. CYPRIDOS FLAMMA est *fax Veneris.* VENEREM enim FACE *armatam* nemo mirari debet, cui et EURIPIDES *in Medea vs.* 635. et suavissimus MOSCHUS *Idyll.* II. *vs.* 70. et MANILIUS *Lib.* II. *vs.* 926. ARCUM et SAGITTAS tribuere non dubitarunt. FACEM *Veneri* ecce dat cultissimus PROPERTIUS *Lib.* IV. *Eleg.* III. *vs.* 50.

Hanc VENUS, *ut vivat*, VENTILAT IPSA FACEM!

et VAL. FLACC. *Lib.* II. *vs.* 369.

usque NOVOS DIVAE MELIORIS AD IGNES
Urbe sedent laeti Minyae, viduisque vacantes
Indulgent thalamis.

Vincitur una mora. quantum est quod fata tenentur!

Quodque virum toti properans imponere mundo

393. inponere, c. d. ita fere semper *n* pro *m* ante *p*.

id est, *ad* NOVAM FACEM *placatae Veneris*, quae jam *propitia facta* STYGIAM PINUM IDALIA FACE *damnaverat. vid. vs.* 196. JEV.

392. — *quantum est, quo fata*] Ita *cel.* BURMANNUS, ut *quantum* sit *quantillum*. Alii Codd. *quod* repraesentant, uti et versu sequente, in quo OUDENDORPIUS pro *virum* prius *jugum* conjecerat, licet postea damnaverit. BENTLEJUS contra UNUM rescribi volebat, ut *toti mundo* opponeretur. Sed frustra, cum jam UNA praecesserit, quae ejusdem vocis repetitio summum virum deterrere debuit, quippe qua toties offensus fuit. Illud VIRUM tamen est vitiosum, ut statim patebit. SCHOLIASTES solus hic forte verum vidit, qui ad illa *quantum est, quod* etc. sic ait: *Cum admiratione accipitur dictum, i. e.* MULTUM EST HOC! Ita viam mihi sternit ad veram emendationem optimamque hujus loci explicationem. Legendum etenim,

Quantum est, QUOD *fata tenentur!*
QUOD DOMINUM *toti properans imponere mundo*
Hos perdit Fortuna dies!

Exclamatio haec poetae est, insano libertatis amore flagrantis et insatiabile tyrannidis odium hic denuo manifestare volentis. Massilia obstat Fortunae, Romanis tyrannidem paranti! *Quantum* (inquit) *lucri hoc est civibus, libertatis amantibus,* QUOD FATA *hic moras inveniunt, et* FORTUNA, *Caesarem* DOMINUM *toti mundo imponere volens, in hujus urbis obsidione aliquot dies perdere cogitur.* Res ultro patet. In Codice erat *QuoDmnm.* Hoc primo in *quod unum*, mox a correctore in *quodque unum* mutatum fuit, ne versus claudicaret. Probat emendationem VIRGILII locus ab OUDENDORPIO citatus *Lib.* VI. *Aen. vs.* 621.

Prodidit hic auro patriam DOMINUMQUE POTENTEM
IMPOSUIT.

unde mirum sane, nihil subodoratum fuisse virum doctissimum, cujus conjectura IUGUM, ut vera non fuerit, proxime tamen ad poetae mentem accessit. Nihil verius hac emendatione. Sic LUCANUS *Lib.* VI. *vs.* 262.

Infelix, quanta DOMINUM *virtute parasti!*

id est, *tyrannum* sive *tyrannidem*, ut recte cepit et SALLUSTII et DIONIS locis ibi probat unicum sui seculi, et novercae heu! nimis patriae decus GROTIUS. et *Lib.* VII. *vs.* 646.

Si DOMINUM *Fortuna dabas, et bella dedisses!*

ita et *eod. Libro vs.* 373. DOMINI *metuens* dicitur *Roma*. Vid. quae dixi ad *Lib.* I. *vs.* 670. *Prodrom. pag.* 52. JEV.

393. *Quodque virum toti properans imponere mundo*] Vel ex

Hos perdit Fortuna dies! tunc omnia late
Procumbunt nemora, et spoliantur robore silvae:
Ut, cum terra levis mediam virgultaque molem
Suspendant, structa laterum compage ligatam

394. *nunc*, d. 395. nemora sine *et*, d.

ipsius antitheti ratione, liquido constat corrigendum esse,

Quodque UNUM *toti properans imponere mundo.*

Sic x, 27, de Alexandro Magno,

— terras tot *posse sub* uno *Esse viro.*

397. *—structa laterum compage ligatam Arctet humum, pressus ne cedat turribus agger.*] Quid sodes *arctet humum*, nisi ipse *agger?* is solus hic est nominativus. Deinde *pressus ne cedat turribus* non sapit Lucani compositionem. Tu lege et distingue:

— structa laterum compage ligatam
Arctet humum pressus, NEC *cedat turribus agger.*

Pressus, non superne a turribus; sed a lateribus per roborum compagem. BENTL.

BENTLEJUS dicit, *hunc aggerem non* SUPERNE *pressum fuisse turribus, verum* A LATERIBUS *per roborum compagem:* unde mutata distinctione legit,

structa laterum compage ligatam
Artet humum pressus, NEC *cedat turribus agger.*

male. Nam quomodo *agger compage laterum pressus turribus non cedat turribus?* Sphingis aenigmate obscurius hoc mihi videtur. *Suspendunt* habent quatuor Codd. *nec cedat* erat in Thuan. et S. Germ. Supra *vs.* 385, ubi *de consilio Caesaris* DUCENDI AGGERIS loquitur, ait poeta,

Sed prius ut totam, qua terra cingitur, urbem
Clauderet, a summis perduxit ad aequora castris
Longum Caesar opus; fontesque et pabula campi
Amplexus fossa, densas tollentia pinnas
Cespitibus crudaque exstruxit brachia terra.

ubi SCHOLIASTES ad illa *tollentia pinnas: Ordo est: Tollentia brachia densas pinnas cespitibus exstruxit et cruda terra. Nam* PINNA *munimenti genus est.* CRUDA, *id est solo, sine calce et reliquis impensis.* Miserum poetam, qui tam ligneum nactus fuisti commentatorem! *Brachia illa densas pinnas tollentia, quae terra et cespitibus exstruxit Caesar*, est ipse AGGER, *qui* FOSSA DUCTA *ab utraque urbis parte, qua terra accessus dabatur, a Caesare usque ad ipsum mare ductus fuit, et* VALLIS *sive sudibus permunitus.* Videmus hic jam AGGEREM *ductum ex cespitibus, quem ut firmum jam et validum redderet ad* TURRES *et* PROPUGNACULA *sustinenda, silvas excidi jubet Caesar.* Quomodo vero FOSSA DUCATUR atque AGGER ERIGATUR, optime docet VEGETIUS *Lib.* III. *de Re Milit. Cap.* VIII. MILITES, inquit, *scutis ac sarcinis suis in orbem circa propria signa dispositis, cincti gladio* FOSSAM APERIUNT,

Arctet humum, pressus ne cedat turribus agger.
Lucus erat longo nunquam violatus ab aevo,
Obscurum cingens connexis aera ramis,

398. ar*t*et, b. ar*c*et, c. d. sed in c alia manus *c* in *t* correxit, alia *ce* supra *t* scripsit. 400. co*n*exis, b. d.

latam aut novem aut undecim aut tredecim pedibus: vel, si major adversariorum vis metuitur, pedibus decem et septem vel novem, imparem enim numerum observari moris est: tum SEPIBUS DUCTIS *vel* INTERPOSITIS STIPITIBUS *ramisque arborum,* NE TERRA FACILE ELABATUR, AGGER ERIGITUR. SUPER QUEM *ad similitudinem muri et* PINNAE *et* PROPUGNACULA COMPONUNTUR. Haec LUCANUM pulchre illustrant! Habemus hic *fossam ductam* sive *apertam; aggerem erectum, sepibus ligneis* vel *stipitibus arborumque ramis compactum;* et *pinnas eidem* et *propugnacula imposita.* Quare legendum suspicor,

Ut, DUM *terra levis mediam virgultaque molem*
SUSPENDUNT, STRICTA *laterum compage ligatam*
Artet humum, pressus NEC *cedat turribus, agger.*

Hoc nempe sensu: *Silvae exciduntur, ut suppetat materia ad firmandum aggerem: ut, dum* AGGER MEDIUS SUSPENDITUR, *id est, erigitur cespitibus et virgultis, a lateribus* STRICTA COMPAGE *comprimat et colliget humum aggestam, nec impositis turribus cedat, terra dilabente.* STRICTA *compage laterum* lego, id est, *valide constricta* SEPIBUS LIGNEIS, ut VEGETIUS loquitur. STRINGERE *latera aggeris compage* eleganter pro *adstringere, firmare.* Sic *stringere fidem vinculo juris jurandi* dixit CICERO *Lib.* III. *de Off. Cap.* XXX. *Claudere portas compagibus* apud VIRGILIUM *Lib.* I. *Aen. vs.* 298.

dirae ferro et COMPAGIBUS ARTIS
CLAUDENTUR BELLI PORTAE.

Stringere compagem igitur est *constringere, jungere,* cujus contrarium est SOLVERE *et* RUMPERE *compagem.* LUCAN. *Lib.* III. *vs.* 491 *et* 597. Sic *vitta* STRINGIT sive *conjungit comas Lib.* V. *vs.* 143. et *stringens uterum membrana Lib.* IX. *vs.* 773. DUM SUSPENDUNT sensus ipse postulabat. *Cum* et *dum* saepe permutata. *Suspendunt* et *nec cedat* est ex MSS. STRUCTO *aggere, compages laterum* non STRUI, sed CONSTRINGI *et* FIRMARI debuit. Nemo, credo, dubitaverit. IEV.

400. *Obscurum cingens connexis aera ramis,]* Quid hoc locutionis est? *Lucus* CINGENS *obscurum aera et gelidas umbras?* Immo faciens. Repone,

Obscurum EFFICIENS *connexis aera ramis.*

ut I, 140.

— nudosque per aera ramos
Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram.

Cingens efficiens, pares in utroque sunt litterarum ductus.
BENTL.

Locus hic menda laborat. Rogat *cel.* BURMANNUS, quomodo

Et gelidas alte summotis solibus umbras.
Hunc non ruricolae Panes, nemorumque potentes
Sylvani Nymphaeque tenent, sed barbara ritu
Sacra deum, structae sacris feralibus arae;
Omnis et humanis lustrata cruoribus arbos.

404. *diris altaribus*, b. d. sacris, sed in margine *vel diris*, c. 405. Omnis*que*, b. c. d. arbo*r*, b. c. d.

silva possit CINGERE *aera ramis suis*, adeoque cum obscurior haec ipsi videretur locutio, putabat vel *condens* vel *jungens* rescribendum esse. BENTLEJUS *efficiens* legit. Sed *silva ramis suis obscurum aera efficiens* nemini, puto, placebit. Olim quoque conjecturam vel *cogens* vel *cohibens*, quemadmodum haec verba confusa vidimus supra *vs.* 69. Nunc vero credo, minima mutatione legendum,

Lucus erat longo numquam violatus ab aevo,
Obscurum INCINGENS *connexis aera ramis*
Et gelidas, LATE *submotis solibus, umbras.*

INCINGENS *obscurum aera et gelidas umbras ramis connexis,* id est, *corona veluti includens;* nam hoc CONNEXI RAMI arguunt, qui coronam facere videntur. Sic *incingere tempora lauro* est *quasi includere laurea corona* apud OVIDIUM *Lib.* XIV. *Metam. vs.* 727.

Et Paeana voca, nitidaque INCINGERE *lauro.*

CATULLUS *Carm.* LXIII. *vs.* 258.

Pars sese tortis serpentibus INCINGEBANT.

late scripsi, pro vulgato *alte.* Quia enim CONNEXIS *coronae instar* RAMIS obscurum aera includebat lucus, *longe lateque* solis radii inde excludebantur, et hinc *umbrae gelidae* necessitas. τὸ *in absorptum fuerat* ab ultima litera vocis praecedentis. JEV.

403. — *sed barbara ritu Sacra deum, structae sacris feralibus arae;*] Omnes ubique codices cum Rom. et Ven. *structae* DIRIS ALTARIBUS *arae*; praeter unicum Bersmanni, qui habet SACRIS FERALIBUS: primus hoc et solus in textum adscivit Grotius. Offenderat nempe correctorem aliquem, *altaribus arae*, ut pote idem bis dictum; unde interpolationem suam transtulit ex VI, 432,

Moverat et tristes SACRIS FERALIBUS *aras.*

Huic nimium credulus vir magnus, dum unum vitium evitare studet, majore se irretivit. Quale enim est, in eodem versiculo, *sacra* et *sacris?* Hoc certe ferri non potest, utcumque exeant cetera. Sed sana est antiqua lectio, *structae diris altaribus arae.* Duo enim ista saepe conjunguntur. Virgil. Eclog. v, 65.

— *en quattuor* aras,
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.

Prudentius Peri Steph. x, 49.

Altaris aram *funditus; essumdare.*

Quintilian. Declam. XII, 26, Quod *aris altaria* non imposuimus, etc. Calpurnius De-

Si qua fidem meruit Superos mirata vetustas,

406. Super$_{os}$mer.; *meruit* in membr. erasa ab alia manu et in margine a manu eadem, qua Codex. c. mirata, superne scriptum est *venerata* sine signo. c.

clam. XXVI. *Ubi denique me feriet? Hic* inter aras et altaria, *ubi publica vota suscepi?* Statius Silv. III, 3, 23.

— *date serta per* aras
Festaque pallentes hilarent altaria *lucos.*

Ex his locis, ubi *altaris aram funditus pessum dare*, et *aris altaria imponere* dicitur, videbis recte haec accepisse Servium ad Eclog. v, 65, ubi, *alii*, inquit, *dicunt altaria*, *eminentia ararum, et ipsa libumina:* arae igitur sunt bases et fundamenta altarium.

406. *Si qua fidem meruit Superos mirata vetustas,*] *Si qua vetustas?* Hoccine tam diu et tam patienter? *Quot* quaeso sunt vetustates? Repone certissime,

SIQUE *fidem meruit.*

BENTL.

Pro *Si qua* reponit BENTLEJUS *Sique*, rogitans, *quot numero vetustates sint?* Ridicule profecto, ne quid gravius dicam! *Si qua vetustas* hic eleganter ponitur pro *Si qui vetusti populi:* nam illud *Sique* nullo, credo, colore defendi potest. Ast vero (quod propius poetam spectat) quid hic inter *barbara ignotorum Deorum simulacra* et *structas sacris feralibus aras*, *humanoque sanguine lustratas arbores*, quaeso, faciant vel SUPERI vel *mirata Superos vetustas?* Dixerint, quibus Sphinx est domi! Ego non capio. Mendosum, credo, locum sanaveris, legendo,

Si qua fidem meruit LUCOS *mirata vetustas.*

hoc sensu: *Si qui antiqui scriptores vel populi* MIRA *de sacratis Deorum lucis* NARRANDO *fidem mereri videantur.* MIRATA *lucos* dicitur *vetustas, quae lucos sacratos et miracula eorum magna laude depraedicavit.* MIRARI enim saepe notat *laudare*, *sectari*, *depraedicare.* HORAT. *Lib.* III. *Od.* XXIX.

Omitte MIRARI *beatae*
Fumum et opes, strepitumque Romae.

PROPERT. *Lib.* I. *Eleg.* VII. *vs.* 21.

Tunc me non humilem MIRABERE *saepe poetam,*
Tunc ego Romanis praeferar ingeniis.

Tunc laudabis me et depraedicabis poetam sublimem, et me praeferes vatibus Romanis. Posset etiam simpliciter ita capi: *si credibile sit*, *veteres olim justas ob caussas sacratos lucos admiratos fuisse.*

MANILIO denuo vacemus, eique fomenta quaedam adhibeamus aegro et tantum non languenti *Lib.* II. *vs.* 581.

Idcirco nihil ex semet Natura creavit
Pectore amicitiae majus nec rarius umquam.
Unus erat Pylades; unus, qui mollet Orestes
Ipse mori. Lis una fuit per secula mortis,
[Alter quod raperet fatum, non cederet alter.]

Et duo, qui potuere sequi vix noxia poenis,
Optavitque reum sponsor non posse reverti,
Sponsorique reus timuit, ne solveret ipsum.

Corruptus et interpolatus videtur hic locus, variisque mendis scatet. Primo illud *ex semet* quid sibi velit, haud facile dictu. An ideo *ex semet creasse* dicatur *Natura*, ut intelligamus, *eam*, SINE VIRO, *ceu quondam Martem Juno peperisse dicitur, amicitiam procreasse?* An vero, ut ne credamus, *ex* PRAEVIA *aliqua* MATERIA *eam produxisse amicitiam?* Et quid, quaeso, est PECTUS *amicitiae*? utut STOEBERUS ineptam illam lectionem tueri velit, rejecta conjectura BURMANNI, qui PIGNORE malebat. Scio equidem, THESEA et PIRITHOUM recte posse dici *duo* PECTORA *rarae amicitiae;* neque me, vel optimum BURMANNUM latere potuerunt illa OVIDII, STATII et MARTIALIS loca; sed, *Natura nihil majus creavit pectore amicitiae*, recte dici negavit BURMANNUS, cui consentire non dubitabit, quisquis umquam laurum momorderit. LIS vel LAUS *una mortis per secula* adeo monstrosa, ut haruspicem spectet. Versus, qui sequitur, *Alter, quod raperet* etc. spurius et a mala manu intrusus videtur. *Vix noxia poenis* aperte mendosum. Nam aeque mihi STOEBERI displicet explicatio atque emendatio BENTLEJI, corrigentis,

Et duo, qui potuere sequi VESTIGIA, TUM CUM

quae se ipsa damnat, et quam propterea merito explodit STOEBERUS. Tentemus age hoc in desperato loco qualemcumque medicinam, laudis non minus quam veniae securi, dummodo quaesitae utilitatis publicae nobis constet conscientia. Forte dedit poeta, hoc modo,

Idcirco nihil IN SEMET *Natura creavit*
FOEDERE *amicitiae majus nec rarius umquam.*
Unus erat Pylades; unus, qui mallet Orestes
Ipse mori. LAUS RARA PIAE *per secula* MENTIS.
[Alter quod raperet fatum, non cederet alter]
Et duo, qui VOLUERE *sequi,* CEU NOXIA, POENAM;
Optavitque reum sponsor non posse reverti,
Sponsorique reus timuit, ne solveret ipsum.

IN SEMET, id est, *in se* vel *per se nihil amicitia majus produxit Natura:* Sic et JUVENAL. *Sat.* III. *vs.* 152.

NIL HABET *infelix paupertas* DURIUS IN SE,
Quam quod ridiculos homines facit.

FOEDUS *amicitiae*, generosi instar vini, non indiget hedera suspensa. LAUS RARA PIAE MENTIS *per secula* scripsi pro vulgato *lis una mortis fuit.* RARA *laus* PIAE MENTIS, id est, *pietatis et veri amoris per omnia secula:* ubi enim inveniatur umquam talis amicus, qui pro amico non dubitet mori? *Lis mortis* Latinum non est: *laus mortis* ridiculum; non enim mortui fuere. Quae caussa est, cur damnare cogar illud *raperet fatum* et totum manifesto spurium versum. Nam jam dixerat, eos *maluisse mori.* Apage igitur hanc ineptam *ταυτολογίαν!* Denique lego, VOLUERE *sequi*, CEU NOXIA, POENAM. Summo jure, ni fallor. NOXIA est *animal, quod nocuit, quod a* DOMINO, *damnum datum resarcire nolente*, NOXAE *sive* POENAE DARI *debebat antiquo jure Romano.* Hoc casu eleganter dicitur NOXIA SEQUI POENAM. Summa igitur et exquisita elegantia Damon et Phintias, ULTRONEAE quasi

Illis et volucres metuunt insistere ramis,
Et lustris recubare ferae: nec ventus in illas
Incubuit silvas, excussaque nubibus atris
Fulgura: non ullis frondem praebentibus auris,
Arboribus suus horror inest. tum plurima nigris

410. Ful*mina*, c. praebentibus, infra additum est *rapientibus*, sine signo, c. 411. tu*nc*, b. d.

NOXIAE, *poenam sequi* VOLUISSE dicuntur a poeta. Res in jure Romano notissima. Consulendi commentatores ad Titulos *de Noxalibus Actionibus*. Scientiam juris civ. jactare nolo. JEV.

407. *Illis et volucres metuunt insistere ramis,*] *Illis ramis*, et versu sequente *illas silvas?* Numquam sic dedisset Lucanus. Repone,

ILLIC *et volucres metuunt* INSIDERE *ramis,*
Et lustris recubare ferae.

Illic codex Regius habet, et Pulmanni Bersmannique editiones. *Insidere*, codex Harleianus recentior.

411. *Arboribus suus horror inest.*] Utitur ad I, 69. Aeneidos Servius, ut probet horrorem ad religionem pertinere. Idem ad Aen. II. *connexa sunt metus et religio.* GROTIUS. Aeneid. I, 69. *Horrentique atrum nemus imminet umbra:* ubi Servius: *Horror plerumque ad odium pertinet; plerumque* (lege *nonnumquam*) *ad venerationem, ut hoc loco: sic Lucanus, Arboribus suus horror inest.* Sed nec Servius neque Grotius recte hic Lucanum accipit. Horror nihil aliud hic est, nisi tremor foliorum: sed locus a mendo laborat. Lege,

— *Non ullis frondem* QUATIENTIBUS *auris,*
Arboribus suus horror inest.

Suus horror, suus tremor inest, non ab auris, sed a numine. *Frondem praebentibus*, quasi pecori pabulum praebendum esset, ridiculum hic loci est. Colbertinus veterrimus *praeventibus*. *Horror foliorum*, ut Horat. Carm. I, 23. [5.]

Nam seu mobilibus vepris inhorruit
Ad ventum foliis.

SUUS *horror*, non ab aura excitatus. Ovid. Metam. IX, 545. de loto:

— *vidi guttas a flore cruentas*
Decidere, *et* tremulo ramos horrore *moveri*.

Seneca Oedip. 575.

Duxere rimas robora et totum nemus,
Concussit horror.

Metam. VII, 629.

Intremuit, *ramisque sonum* sine flamine *motis*
Alta dedit quercus.

Auctor de Nuce, [175.]
Saepe meas vento frondes tremuisse *putastis:*
Et metus in nobis causa tremoris *erat.*

Suus, id est proprius. Seneca Thyest. 678, de simili silva:

— *nec dies sedat metum:*
Nox propria *luco est*, *et superstitio inferum*
In luce media regnat.

BENTL.

Fontibus unda cadit, simulacraque moesta deorum
Arte carent, caesisque extant informia truncis.

Bentl. ad Horat. Epod. 5, 55. utitur h. l. et aliis, quibus demonstret, *formidolosus* perpetuum silvarum epitheton esse. WEB.

Locus hic ab interpretibus varie tentatus, qui omnes in diversa abeunt, et neque sibi neque aliis satisfacere videntur. *Cl.* OUDENDORPIUS sibi vix constat, variis indulgens conjecturis, et nunc *rapientibus* probare videtur, nunc conjicit *quatientibus*, *motantibus* vel *agitantibus:* tandem cum ORVILLIO vulgatam tuetur, vel, ut planior sit sensus, eum eodem legit,

non ULLI *frondem praebentibus* AURAE.

Cel. BURMANNUS similiter aestuat, et primo conjicit:

non ullis frondem LAEDENTIBUS *auris:*

mox *agitantibus* cum OUDENDORPIO praefert: dein OMNIBONI et SULPITII explicationem expendit, et ex Richel. Codice timide profert, *non nullis auris*, quamvis nemini hoc placiturum credat. BENTLEJUS *τὸ praebentibus* tamquam ineptum damnat, quasi sic *folia pecori praeberentur*, et *quatientibus* rescribi jubet. Vides aestum virorum doctorum, erudite lector! Ast ego, ut verum fatear, frustra hic sollicitos esse crediderim criticos summos de FOLIIS *arborum* VENTO *motis*, de quibus hic non cogitavit poeta, qui hanc sententiam refellit, cum jam dixerit,

nec VENTUS *in illas Incubuit silvas.*

Aurae igitur nihil ad Bacchum! Hoc primum! Sed jam aliud sollicitum me habet, quod mendae suspectum merito reddit locum, nempe PLURIMA illa *unda*, quae *nigris fontibus cadit*. Interpretes tacent et parum curare videntur. Ego vero PLURIMAM illam *undam* hinc facessere jubeam lubens, quia non venusta adeo aut elegans. SUUS quoque *horror* merito displicet; non enim video, qui ALIENUS HORROR *arbori inesse* dici queat. *Horror* etiam hic longe aliud significat ex mente auctoris, atque eruditi putant. Oedipus quidem non sum: tentare tamen juvat, an felicius hic mihi cedat conjectura. Legendum suspicor,

non ullis frondem PRAEDANTIBUS HORIS
Arboribus VETUS *horror inest. Tum* LURIDA *nigris*
Fontibus unda cadit.

VETERI, inquit, SITU HORRENT *et squalent arbores, quas nullae* ANNI TEMPESTATES *frondibus spoliant, adeoque veteres et squalidas comas retinent. Tum nigri fontes* PALLIDAM *et* DECOLOREM *aquam fundunt.* HORIS PRAEDANTIBUS lego sive *spoliantibus*. Recte enim BERSMANNUS vidit, RAPIENTIBUS glossam fuisse *τῷ praedantibus*. Facilis admodum lapsus librariorum *pdntbs* in *pbntbs* mutantium. HORAE vero et *aurae* saepius confusae. *vid. ad Lib.* 1. *vs.* 579. *Prodrom. pag.* 123. HORAE *anni tempestates.* CLAUDIAN. *Cons. Prob. et Olyb. vs.* 278.

te variis scribent in floribus HORAE.

VETUS *horror* est *foedus situs et squalor longi temporis, qui*, ut mox subjungit, *spectantes* ATTONITOS *reddebat.* Sic *squalentia* FOEDO SITU *sceptra* Plutoni tribuit CLAUDIAN. *Lib.* 1. *de R. P. vs.* 80.

Ipse situs, putrique facit jam robore pallor
Attonitos: non vulgatis sacrata figuris
Numina sic metuunt: tantum terroribus addit,
Quos timeant, non nosse deos. jam fama ferebat

Ipse RUDI *fultus* SOLIO, NIGRAQUE *verendus*
MAJESTATE *sedet*, SQUALENT *immania* FOEDO
SCEPTRA SITU: *sublime caput moestissima nubes*
Asperat, et dirae riget inclementia formae.
Terrorem dolor augebat!

HORRERE SITU ita dicuntur *campi*, quando *inculti et squalidi jacent*, apud eumdem CLAUDIAN. *Lib.* III. *de R. P. vs.* 57. et *campus longis annis* HORRIDUS dicitur VALER. FLACC. *Lib.* VII. *vs.* 62. VETUS igitur hic *arborum* HORROR *venerabilem terrorem* illis incutiebat! LUCI, *quo* VETUSTIORES, *eo venerabiliores!* Idem CLAUDIAN. *Lib.* I. *de laud. Stilich. vs.* 229.

LUCOSQUE VETUSTA
RELIGIONE *truces*, *et* ROBORA NUMINIS INSTAR.

SENEC. *Oed. vs.* 530.

Est procul ab urbe LUCUS ILICIBUS NIGER.

et mox [534.] subjicit,

CURVOSQUE *tendit* QUERCUS *et* PUTRES SITU
ANNOSA RAMOS: *hujus* ABRUPIT LATUS
EDAX VETUSTAS: *illa jam fessa cadens*
RADICE, *fulta pendet aliena trabe.*

LURIDA *unda* rescripsi, id est, *pallida, livida, decolor.* Ita LURIDUS *livor Lib.* I. *vs.* 620.

tum pallida tetris
Viscera tincta notis, gelidoque infecta VENENO
LURIDUS *adsperso variabat sanguine livor.*

ubi et vulgo antea PLURIMUS legebatur. *Vid. Prodrom. pag.* 132. Apud VIRGILIUM quoque *Lib.* II. *Aen. vs.* 368. rescribendum,

crudelis ubique
Luctus, ubique pavor et LURIDA *mortis imago.*

ubi et vulgo *plurima. Lurida* sive *pallida imago mortis.* Hinc patet, falli summum BENTLEJUM, qui *vs.* 314. pro *pallor* rescribi voluit PAEDOR, quasi PALLORI cum PUTRI *robore* non bene conveniret. *Pallor* enim notat *lividum, luridum* et *informem colorem.* Unde et *pallere* pro *colorem mutare* dixit cultissimus PROPERTIUS *Lib.* I. *El.* XV. *vs.* 39.

Quis te cogebat MULTOS PALLERE COLORES?

PUTRIA enim *ligna* turpi situ PALLENT. Satis testatur hoc experientia! JEV.

414. *Ipse situs, putrique facit jam robore pallor Attonitos:]* Si *pallor* in simulacris attonitos spectantes facit, quid fiet, ubi signa deorum e marmore Pario sunt? Cum *situm* legis et *putre robur*, nonne illico tibi succurrit, sic a poeta datum esse,

Ipse situs, putrique facit jam robore PAEDOR.

Paedor, sordes, illuvies, squalor. Noster II, 73.

— mox vincula ferri
Exedere senem, longusque in carcere paedor.

417. *Quos timeant, non nosse deos.]* Nemo interpretum men-

Saepe cavas motu terrae mugire cavernas,
Et procumbentes iterum consurgere taxos,
Et non ardentis fulgere incendia silvae,
Roboraque amplexos circumfluxisse dracones.
Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed cessere deis. medio cum Phoebus in axe est,
Aut coelum nox atra tenet, pavet ipse sacerdos

418. mug*ir*e, inter *i* et *r* aliquid erasum est, c. 419. proc*o*mbentes, ita fere semper, b. 421. circumfl*e*xisse, b. d. sed *e* in membr. erasa, b. circumf*uls*isse, supra scripto *fluxisse* sine signo, c. 422. populi cultu, c. 423. d*i*is, b.

dam hic subodoratus fuit, quod tamen valde miror. Cedo enim, quid sit *non nosse Deos, quos timent?* et quomodo, quaeso, hoc aliqnid terroribus addere possit? Non enim hic de ara, *Θεῷ ἀγνώστῳ* posita, agitur. Ridicule profecto dicuntur *non nosse Deos, quos timent.* Omnis apud gentiles Deorum cultus in adorandis Numinum simulacris positus erat. In iis quasi praesentes venerabantur Deos, propiusque divinam majestatem adorabant. Ubi simulacra, arae et altaria non essent, ibi nullus erat Deorum cultus aut metus. *Praesentia numinis, in simulacro cogniti,* METUM *et* VENERATIONEM *excitabat, sed minime incutiebat* TERROREM. Hoc est, quod dicit Auctor,

> *non* VULGATIS SACRATA FIGURIS
> NUMINA *sic metuunt!*

Non adeo metuunt vulgata numinum simulacra, et NOTAS IMAGINES, quam haec *Deorum sibi ignotorum* SIMULACRA INFORMIA, SINE ARTE *ex caesis arborum truncis dolata.* Constabat illis haec esse simulacra numinum; SIGNA enim CULTUS DIVINI videbant *lustratas humano sanguine arbores:* sed nesciebant, quinam hi Dii essent, quorum simulacra videbant. Praesentia igitur numinum, in his simulacris visorum, venerationem iis injiciebat, sed terror crescebat, quod *insuetas* et *horrendas imagines* viderent. Quare legendum erit,

> *tantum terroribus addit,*
> *Quos* VIDEANT, *non nosse Deos.*

Probat scholiastes, qui ad illa NON NOSSE sic scribit: *Ut et hoc ipsum terrorem addat, quia timent, et, quos timent, nesciunt, cum hos Deos magis debeamus timere, quos scimus et* QUORUM CERTUM NOVIMUS VULTUM. Quamvis ex ipsis hisce scholiastae verbis, eum quoque in vero horum verborum sensu explicando haesisse, sic satis constare posse videatur.

JEV.

Ibid. *jam fama ferebat*] Ita vulgo. Sed in Thuan. pr. *nam* legitur, quod verum puto. Dicit enim auctum fuisse illorum terrorem, CUM *quia* VIDEBANT

Accessus, dominumque timet deprehendere luci.
Hanc jubet immisso silvam procumbere ferro:

426. imm*en*so, c.

horrenda simulacra Deorum sibi ignotorum, TUM *quia mira de eo luco vago rumore jactabantur.* Quare CAUSSALIS *conjunctio* hic jure in locum suum revocanda videtur. Sequentia enim insoliti timoris caussam manifesto produnt, et magnam partem adumbrata videntur ex SENECA *in Thyest. vs.* 668.

Hic nocte coeca gemere ferales Deos,
Fama est: catenis lucus excussis sonat,
Ululantque manes. Quidquid audire est metus,
Illic videtur. Errat antiquis vetus
Emissa bustis turba et insultant loco
Majora notis monstra. Quin TUTA *solet*
Micare flamma silva, et excelsae trabes
Ardent sine igne. Saepe latratu nemus
Trino remugit etc.

ubi TUTA *flamma* legendum, id est, *quae silvam non consumit*, quod mox explicatur per *ardere sine igne*, quod optime illustrat *incendia silvae non ardentis* apud LUCANUM. Vulgo *tota* circumfertur. Caeterum illa, *cultu propiore frequentant*, *cel.* BURMANNUS male capere videtur de ADORATIONE. Nam indicare vult poeta, LUCUM *illum adeo terribilem visum fuisse propter monstra memorata, ut populi illum* ACCOLERE *non auderent; adeoque omnes eum desererent et Diis solis habitandum relinquerent.* FREQUENTARE CULTU PROPIORE hic notat *prope accolere, prope habitare*, quod patet ex eo, quod *Deis cessisse locum* dicantur. Sic CONVENTU FREQUENTARE *domum* pro *saepe in domo convenire* dixit CATULLUS *Carm.* LXIII. *vs.* 32.

domum CONVENTU *tota* FREQUENTAT
Thessalia.

Recte igitur se habet vulgata distinctio, nec mutanda.

Hic emendare juvat duo elegantissima epigrammata, quae ex Catalectis Petronianis in nova sua Anthologiae editione promit *cel.* PETRUS BURMANNUS SECUNDUS *Lib.* I. *Epigr.* LXXXVI. *et* LXXXVII. Primum ita se habet:

De Galatea in vase.
Fulget et in patinis ludit pulcherrima Nais,
Prandentum inflammans ora decore suo.
Congrua non tardus diffundat jura minister,
Ut lateat positis tecta libido cibis.

Sensus huius epigrammatis aenigmati similis videtur, cui solvendo novo Oedipo opus sit. Vitiosa inscriptio *cel.* BURMANNUM decepit, qui hinc putavit, *nudam natasse hanc Nympham in vase vini pleno*, *ad Epigr.* LXXXVIII. *In* PATINIS *fulget et ludit Galatea.* Nam si in *vase vini pleno* nataret, quomodo *ora prandentum inflammaret*, videre nequeo. Vitiosum igitur est illud IN VASE. IN PATINIS *ludit*; CIBUS igitur fuerit necesse est, quod vel inde pateat, quod coquus *jura congrua* NON TARDE, id est, *cito diffundere jubeatur*,

Nam vicina operi, belloque intacta priori
Inter nudatos stabat densissima montes.

427. intacta, *a* in membr. erasa, man. alia, b. priore c. d.

et quod *prandentum ora* INFLAMMARE sive *irritare* dicatur, quippe qui EDERE Galateam quam SPECTARE mallent. Ast ex quali cibo fuerit igitur haec Galatea? Respondeo, EX PISCE, in minutal primum conciso, et dein in formam Nymphae marinae compacto. Arguat hanc veritatem, quod *Epigr.* LXXXVII. VADIS *olim ludere sueta*, et LXXXVIII. IN MEDIO *generata* SALO dicatur. *Ex pisce marino* haec Nympha fuisse videtur. Rescribendum igitur DE GALATEA EX PISCE. Nunc epigramma videamus, cuius ultimus versus corruptissimus est. Nam quomodo, *coquo diffundente jura*, *positis cibis* TECTA LIBIDO LATEAT, nemo dixerit. Ex iis, quae dicta a me sunt, facile patet, illud *lateat* corruptum esse. GALATEA *delicata* pulchro aspectu *irritabat* sive *inflammabat ora convivarum*, qui irritato gustu ex pulchritudine formae *gustare* quam *spectare* malebant; unde jubetur coquus *jura diffundere congrua* huic cibo, ut *tectam illam libidinem* explere possint. Legendum igitur fuerit,

Ut SATIET POSITI *tecta libido* CIBI,

id est, ut *tecta illa edendi libido*, *quae ex aspectu formae nata irritabat gulam convivarum*, *satietur* sive *expleatur*, *et convivas saturet*. TECTA LIBIDO *cibi positi* est, *qua tacite delicatum hunc cibum appetebant*.

Alterum epigramma, similiter pessime corruptum, sic se habet:

Ludere sueta vadis, privato Nympha natatu
Exornat mensas membra venusta movens.
Comtas nolo dapes: vacuum mihi pone boletar,
Quod placet aspiciam, renuo quod saturat.

COMTAE illae *dapes* non placent mihi, neque etiam *comere dapes* admodum elegans est, quod STATIO male obtrusisse videtur GRONOVIUS *Lib.* IV. *Silv.* VI. nam quomodo *Herculis aerea imago* COMERE dici possit *convivia Syllae*, non capio; quare ibi vulgatum *ornabat* tamdiu praeferam, donec exemplum idoneum ejusmodi locutionis ex veteri scriptore prolatum fuerit. *Boletar* quin mendosum sit, nullus dubito, cum illud vocabulum, a *boleto* deductum, necessario primam porrectam habeat, quae hic inepte corripi videtur. Ultimus porro versus plane insulsus et ridiculus est, quoniam idoneus ex mente auctoris inde sensus elici non potest. In Codice voces confusae fuisse videntur, ut fuerit corrupte scriptum hoc modo,

Adspiciam renuo quod placeat saturat.

nam *placeat* erat in schedis Salmasii. Quid multa? Legendum puto,

DOCTAS *nolo dapes:* VALIDAM *mihi pone* POLENTAM:
ADSPECTU NUDO *quod* PLACET, HAUD *saturat.*

doctas dapes, id est, *exquisita arte structas*, ut DOCTA PALATA

Sed fortes tremuere manus, motique verenda
Majestate luci, si robora sacra ferirent,
In sua credebant redituras membra secures.
Implicitas magno Caesar terrore cohortes

429. tre*mu*ere, *mu* in membr. erasa, b. 430. loci, b. c. 432. terrore, *e* correcta est, d. c*ho*ortes, ut semper, c.

Columellae *Lib.* viii. [16, 4.] *quae de cibis optime judicare possunt. Validam polentam* lego, nam *vacuum boletar* se ipsum damnat. Polenta erat cibus tenuiorum *ex farina hordei paratus, qui saturabat maxime*, unde *validam polentam* dicit. Eodem modo Persius *Sat.* iii. *vs.* 55. grandem *polentam* vocat,

> *quibus et detonsa juventus*
> *Invigilat, siliquis et* grandi *pasta* polenta.

ubi *vid.* Casaub. *poltam* vero et *boltar* facile confundi potuere. Dein *adspectu* nudo scripsi, id est, *solo adspectu.* Ut sensus sit: *Non amo illas dapes artificiosas; ponito mihi potius grandem polentam, quae saturare possit et compescere latrantem stomachum. Nam quidquid solo adspectu voluptatem adfert, satiare non solet. Nudo aspectu.* Sic Lucan. *Lib.* ix. *vs.* 594.

> *Si successu* nuda *remoto*
> *Inspicitur* Virtus.

id est, *sola virtus. Placet aut* scriptum fuit, quod in *placeat* abiisse videtur.

Jev.

429. *Sed fortes tremuere manus, motique verenda Majestate luci,]* Non nimis belle procedit oratio, *manus tremuere*, et *moti.* Quinam isti, qui moti erant? *Milites*, opinor: quod post *manus* casu recto dure et invito subintelligitur. Codex Academicus pro varia lectione tenuere: id recte, et totam sententiam aperit, quae hujusmodi est:

> *Sed* sontes tenuere *manus, motique verenda*
> *Majestate loci.*

Jussi milites lucum excidere, *manus tenebant. Tenuere* id est continuere. Noster ii, 292.

> — *Compressas* tenuisse *manus.*

et iv. 289.

> — *si conscius ensis adacti*
> *Stat victor,* tenuitque manum.

Fortes manus, si vera lectio est, non ad virtutem pertinet, sed ad robur. Ovid. Fast. iv, 302, de iis qui fune navem trahebant:

> *Quisquis adest operi, plusquam pro parte laborat,*
> *Adjuvat et* fortes *voce sonante* manus.

Scripsisse tamen credo poetam sontes *manus*, quod bipennibus armatae essent, licet nondum arbores violaverint.

432. *Implicitas magno Caesar terrore cohortes Ut vidit,]* Veteres nostri omnes et plerique alii cum Rom. et Ven. torpo-

Ut vidit, primus raptam librare bipennem
Ausus, et aeriam ferro proscindere quercum,
Effatur merso violata in robora ferro:
Jam ne quis vestrum dubitet subvertere silvam,
Credite me fecisse nefas. Tunc paruit omnis
Imperiis non sublato secura pavore
Turba, sed expensa Superorum et Caesaris ira.
Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex,

433. *vi*brare, b. d. sed *vi* in membr. erasa b. 434. *aeriam*, in membr. erasa, b. 435. E*t* fatus, *t* ab alia manu, b. 436. subvertere, supra scriptum est *vel succidere*, b. 437. Tu*m*, d. 439. Super*umque*, superne addito *orum*, man. alia, c.

RE; unus tantum et alter TERRORE. Priscianus p. 863. *Explico composita penultimam A vel I habent in supino; unde Lucanus in* III, *Implicitas magno Caesar* TORPORE *cohortes.* Sic etiam ibi habet codex egregius Cantab. Certe longe elegantius est *torpore* quam *terrore.* Torpebant milites, cunctabantur, stabant ut attoniti. Noster III, 741.

Ut torpore *senex caruit*, *viresque cruentus*
Coepit habere dolor.

Claudianus II, Eutrop. 591.

Quis novus hic torpor, *socii? quonam usque sedemus?*

et 155.

Sic eat: in nostro quoniam jam milite robur
Torpuit.

Implicitas torpore, ut Noster V, 434.

— *alto* torpore ligata.

433. *primus raptam librare bipennem*] Sic ex Pulmanni Bersmannique codicibus pars major cum Veneta, LIBRARE. Contra ex nostris Colbertinus alter, Puteaneus, Harleianus, Trin. Cantab. cum aliis et Romana VIBRARE. Passim haec duo a librariis confunduntur.

434. *Ausus, et aeriam ferro proscindere quercum, Effatur merso violata in robora ferro:*] Ecce tibi librariorum elegantias: *ferro Proscindere*, et continuo insequens *ferro merso. Proscindere* autem *quercum*, pro exscindere, evertere, ne Latinum quidem est. *Proscindere terram, vomere*, etc. *proscindere aequor rostro*, etc. *proscindere*, figurate, *convicio*, etc. haec, et nihil aliud Latine. Quid ergo? Hanc scribarum ignaviam ut ipse Lucanus luat? Immo suam poetae lectionem restituere laborabimus,

— *librare bipennem*
Ausus, *et aeriam* PROPERANS PROSTERNERE *quercum.*

Claud. III, Proserp. 360.

Et magis enodes properat prosternere *cedros.*

Silvaque Dodones, et fluctibus aptior alnus,
Et non plebeios luctus testata cupressus,
Tunc primum posuere comas, et fronde carentes
Admisere diem: propulsaque robore denso

441. Dodon*is*, b. c, d. sed in c ad marginem legitur *dodones*. 443. Tu*m*, d.

Ex hoc ipso loco haec expressisse videatur.

BENTL.

Locus corruptus, ut BENTLEIUS recte observavit, siquidem in duobus continuis versibus bis *ferro* inepte circumfertur. *Proscindere ferro quercum* summus criticus damnat, ut vix Latinum, adeoque refingit,

raptam librare bipennem
Ausus, et aeriam PROPERANS PROSTERNERE *quercum.*

contra mentem poetae, qui nihil aliud velle videtur, quam *Caesarem, terrore militum, lucum subvertere timentium, viso,* SUMTA BIPENNE PRIMUM ICTUM SACRAE SILVAE INTULISSE, *ut eos confirmaret, quippe omnem violati numinis iram in se derivans milites metu et religione solvit*, dicens:

Credite, me fecisse nefas.

Praeterea AUSUS et PROPERANS PROSTERNERE male conjungi videntur, quippe longe dissimilia. Caesar enim non volebat tamquam miles sudare in excidenda silva, sed primum ictum intulit, ut, se praeeunte, milites non dubitarent exemplum ipsius sequi. Quare legendum,

primus raptam librare bipennem
ORSUS, *et aeriam* HAUD VERITUS *proscindere quercum,*
HAEC *fatur, merso violata in robora ferro.*

primus ORSUS *est Caesar librare securim, et non* DUBITAVIT LAEDERE *et vulnerare altam quercum; vulnerata arbore* TALIA *fari incipit.* Jam omnia in vado fuerint. *Orsus* est primus Caesar, id est, dum trepidant milites, primus Caesar corripuit bipennem et non dubitavit laedere et violare aeriam quercum. Sic *Lib.* VII. *vs.* 735.

NON VERITUS, *grave ne fessis* A MARTE PERACTO
Hoc foret imperium.

Ita enim ibi legendum docebimus. Vulgo *ac Marte subactis.* male. *fessis* A MARTE PERACTO notat *fessis et defatigatis a proelio* sive *post proelium. Peragere Martem* est *committere proelium. Lib.* VII. *vs.* 299. Ita *Lib.* VIII. *vs.* 136.

NON VERITUS *tantam veniae* COMMITTERE *vobis*
Materiam.

In Cod. pro *veritus* fuit *frts*, unde *ferro* factum videtur. Sic *infra vs.* 447. similiter *vts* in *vti* migraverat. PROSCINDERE hic est *violare, laedere ferro,* ut dicimus. PROSCINDERE *aliquem conviciis*, adeoque immerito damnatum hoc fuit BENTLEJO. Denique HAEC FATUR rescripsi, pro vulgato *Effatur* et *Et fatur*, quae sollemnis fere in MSS. harum vocum est permutatio. *Vid. Prodrom. pag.* 51.

Nunc tenerrimum CATULLUM

445 Sustinuit se silva cadens. gemuere videntes
Gallorum populi: muris sed clausa juventus
Exultat. quis enim laesos impune putaret

447. Exul*tat*, *tat* man. alia in membr. erasa, c.

curabimus, stupida librariorum negligentia luxatum interpolatumque *Carm.* XXIX. *vs.* 20. ubi vulgo legitur,

Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda praeda Pontica: inde tertia
Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.

Illud *quam scit* est longe ineptissimum, ut nemo non videt. Nec majoris elegantiae est *Tagus amnis aurifer*, cum *Tagus aurifer*, per se multo elegantius, insulsum illud emblema *amnis*, quod infrunitae interpolatoris industriae debetur, ultro damnet. Doctissimus Vulpius alios nescio quos legere memorat *quam auxit*. Ipse interim vulgatam tuetur. Ast poetam hoc modo scripsisse, mihi certum est,

deinde tertia
Hibera, QUA NITESCIT *aurifer Tagus.*

qua NITESCIT sive *resplendet.* AURO scilicet, ut τὸ AURIFER probat. Haec scripturae compendia *qua ntsct* et *quamsct* in MSS. quam facile confundi soleant, notum criticis. NITESCERE procum, notumque CICERONI et PLINIO verbum, quorum testimonia in lexicis obvia. NITÈRE et NITESCERE de *gemmis, auro, argento omnibusque illis rebus, quae pulchritudine excellunt,* frequens poetis, ut probatione vix indigeat. Ita eleganter admodum HORATIUS *Lib.* II. *Od.* VIII. [8.] de amicae perjurae, ipsoque, ut credebat, periurio longe pulchrioris factae, pulchritudine ait,

sed tu, simul obligasti
Perfidum votis caput, ENITESCIS
PULCHRIOR MULTO, *juvenumque prodis*
Publica cura. JAV.

445. — *gemuere videntes*] Nemo interpretum hunc locum umquam suspectavit. Ast ego, ut verum fatear, dubito de sinceritate loci. Quid enim? Si sana haec essent, an poeta nobis nomine suo non designare debuisset *gementes* hos *Gallorum populos?* Massilienses certe non erant, quos *laetatos fuisse* ait, *sibique bene ominatos, quod,* SACRUM LUCUM CAEDENDO, *sacrilegio se adstringeret Caesar, quod facinus non impune eum ablaturum sperabant.* Omnes Gallorum populi hoc videre adeoque gemere non poterant. Illam vocem *populi* ex glossa irrepsisse crediderim et reliquisse nobis hic LUCANUM,

gemuere videntes
Gallorum DRUIDAE.

ut τῷ DRUIDAE adscripta glossa, *i. e. populi*, a librariis, hanc vocem, hic corrupte scriptam (*dride* forte vel *dryide*, ut *Lib.* I. *vs.* 451. in MSS. apparet) non intelligentibus, intrusa fuerit. DRUIDARUM igitur *sacrum* hoc *nemus* fuisse videtur, qui ibi *barbarico ritu Deos suos colere*, et *humanas hostias mactare* solebant, quod et praecedentia suadere, et ipse poeta probare videtur *Lib.* I. *vs.* 450.

Esse deos? servat multos Fortuna nocentes:
Et tantum miseris irasci numina possunt.
Utque satis caesum nemoris, quaesita per agros

450. caesi, b. c. d.

Et vos BARBARICOS RITUS MOREMQUE SINISTRUM
SACRORUM, DRUIDAE, *positis* REPETISTIS *ab armis.*
Solis nosse Deos et coeli numina vobis
Aut solis nescire datum! NEMORA ALTA REMOTOSQUE
INCOLITIS LUCOS etc.

Sic lego. Vulgo *remoti luci* vel *remotis lucis.* Voluisse certe hoc videtur poeta. Cogitent Eruditi. JEV.

448. — *servat multos Fortuna nocentes:]* MAGNOS *nocentes* rescribit MARKLANDUS *ad* STAT. *Lib.* III. *Silv.* III. *vs.* 68. Contra quem vulgatam MULTOS hic tuetur *cel.* BURMANNUS. Frustra dissentiunt et incassum laborant summi critici! Neque enim vel MULTITUDO vel MAGNITUDO *nocentium* in censum venire hic videtur. Nam, si quis quaerat, cur hi *sacri nemoris violatores* sacrilegii poenas non luant, aut male pereant irato IOVIS fulmine; respondebit poeta STOICUS, quia *Fortuna nocentes servare, et ab ira Deorum protegere solet.* FATI STOICI haec LEX, *ut, quem Fortuna protegit, ei Dii nocere nequeant, quippe* DIIS IPSIS *imperat* FORTUNA. *Solum igitur Superis hoc relictum est, ut irasci possint* MISERIS *et* A FORTUNA DESTITUTIS. Quare jam utique patet, hic rescribendum esse, quemadmodum *in Prodromo pag.* 197. monui,

Servat MELIOR *Fortuna nocentes,*
Et tantum miseris irasci numina possunt.

MELIOR *Fortuna* est *benignior et favens,* uti eo loco demonstratum dedimus. FORTUNAE FILIIS *nocere ne Dii quidem possunt. Fortunae filium* se agnoscebat Caesar, adeoque sibi de fatis bene spondebat. Hinc nota ejus in praesentissimo naufragii periculo constantia, pavidum nautam increpitantis, CAESAREM VEHIS ET FORTUNAM! Vera autem haec esse, probat ipse POETA, ut nulla dubitandi caussa amplius supersit, *Lib.* II. *vs.* 86. ubi de Mario ait,

non ille FAVORE
NUMINIS *urgenti* SUPERUM PROTECTUS AB IRA
Vixerit.

Favor enim NUMINIS ibi est *favor* FORTUNAE, *Marium ab ira Deorum protegentis,* siquidem Marius eo loco FORTUNAE DEPOSITUM audit *vs.* 72. Quin FORTUNAE INDIGNATIONEM ex mente poetae *metuunt Superi,* qui ideo Fortunae filiis irasci aut nocere non sustinent, atque inde *veniam meruisse* dicuntur, quod Caesari, cui nequidquam antea irati fuerant, solito magis favere coepissent. *Lib.* IV. *vs.* 121. ubi FORTUNA ad aliquod tempus *dereliquisse* dicitur *Caesarem, ut ei* PAVOREM INJICERET.

Sed PARVO FORTUNA VIRI CONTENTA PAVORE
Plena redit, solitoque magis favere SECUNDI
Et VENIAM MERUERE DEI!

Adde quae dixi *in Prodrom. pag.* 170. JEV.

450. *Utque satis caesum nemoris, quaesita per agros Plau-*

Plaustra ferunt: curvoque soli cessantis aratro
Agricolae raptis annum flevere juvencis.
Dux tamen impatiens haesuri ad moenia martis
Versus ad Hispanas acies, extremaque mundi,
Jussit bella geri. stellatis axibus agger
Erigitur, geminasque aequantes moenia turres
Accipit: hae nullo fixerunt robore terram,

452. Argolicae, puncta et supra scriptum *gricolae* ab alia manu, b.

stra ferunt:] Libri plerique omnes cum Rom. et Ven. Caesi. Romana insuper *utque satis caesi* EST *nemoris.* Placet, nisi forte malis, *Utque* SAT EST *caesi nemoris.* Georg. II, 398.

Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui numquam exhausti *satis* est.

Ovid. Heroid. XIV. [82.]

Et quaeritur facti sanguinis esse parum.

457. *hae nullo fixerunt*] Insolentior locutio visa *cel.* Burmanno *figere terram robore,* quae etiam, credo, caussa fuit, cur *doctissimus* Waddelus *in Observ. Crit. pag.* 131. legi malebat,

hae nullo fixae sunt robore terrae.

Ego vero nihil duri in hac locutione video, nam *nullo robore terram fixisse* dicuntur HAE TURRES, quia *nullis palis terrae infixae erant.* Mobiles *quippe erant,* et *latenter a militibus Caesarianis de nocte promotae fuerunt ad muros Massiliae.* Sed illa CAUSSA LATENS mihi non probatur et mendosa videtur. Legendum crediderim,

Sed per iter longum cursu *repsere latenti.*

id est, *sensim per longum aggerem promotae fuere, ut cursus earum videri non posset.* Scribit enim Caesar *Lib.* II. *de B. Civ. Cap.* X. HAS TURRES, *phalangis subjectis, machinatione navali, muris Massiliensium admotas fuisse.* Fallitur hic *cel.* Oudendorpius, dum ait, Lipsium *merito* Lucanum *vel lasciviae vel incogitantiae accusasse, quod hic in* MOENIUM CONCUSSIONE *de* TERRAE ... *cogitantes induxerit Massilienses, atque illud,* MUROS MIRATA EST STARE, *de* MOENIBUS *Massiliae male capit. Hae turres* enim *inserviebant tantum ad dejiciendos muris propugnatores, dum interim milites sub musculo arietem quaterent,* uti videre est apud Caesarem. Sensus poetae, nisi fallor, hic fuerit: *Phalangis subjectis, cum sensim promoverentur hae turres,* Massilienses *e longinquo nihil de cursu earum suspicari potuisse; sed videntes,* TANTUM ONUS (*phalangium enim continua subjectione in* NAVALI *hac* MACHINATIONE *aliter fieri haud poterat*) NUTARE, MOTU TERRAE *concussas trepidare et nutare*

Sed per iter longum causa repsere latenti.
Cum tantum nutaret onus, telluris inanes
Concussisse sinus quaerentem erumpere ventum
Credidit, et muros mirata est stare juventus.
Illinc tela cadunt excelsas urbis in arces.
Sed major Graio Romana in corpora ferro
Vis inerat. neque enim solis excussa lacertis
Lancea, sed tenso ballistae turbine rapta,
Haud unum contenta latus transire, quiescit:
Sed pandens perque arma viam, perque ossa, relicta
Morte fugit: superest telo post vulnera cursus.
At saxum quoties ingenti ponderis ictu

464. *in*erat, posterius additum est *in*, c. nec enim, c. d.
469. *ver*beris, b. d, et in margine c, signo .. notatum. *i*ctu, sed *i* in membr. erasa man. alia, b. *a*ctu, d.

putabant has turres, sed mane summa cum admiratione stupebant, LATERITIAS HAS TURRES, *sive* MUROS, MOENIBUS SUIS ADMOTAS STARE, *atque* INDE TELA CADERE IN MEDIAM URBEM. LATERITIAS *enim has* TURRES *fuisse* et de nocte muris Massiliae admotas, ex CAESARE satis constat. Quare aut MUROS pro *turribus lateritiis* dixit, aut reliquit nobis poeta,

et TURRES *mirata est stare iuventus.*

Namque ita inepta poetae in describenda harum turrium promotione περιεργία, et ridicula scientiae physicae ostentatio aliquantulum mitigari videtur. Ast mox *vs.* 468. ex mente LUCANI rescribendum,

superest telo post FUNERA *cursus.*

vulgo *vulnera* legitur. Quippe antea dixerat poeta, *hanc lanceam, ballistae turbine raptam, non unum latus transisse contentam, per* ARMA, *per* OSSA, RELICTA MORTE *fugisse. Non igitur simpliciter post* VULNERA, sed post MULTA FUNERA VARIASQUE CAEDES *cursum suum illam servare et continuare* fingit Hispanicae magniloquentiae putidaeque τερατολογίας affectator poeta. Gentile in eo vitium facile agnoscas! VULNERA autem et FUNERA in MSS. saepe confusa. *Vid. Prodrom. pag.* 31.

JEV.

469. *At saxum quoties ingenti ponderis ictu Excutitur,*] Omnes nostri cum Rom. et Ven. VERBERIS: unus tantum Bersmanni PONDERE: unde, ut videtur, temere in textum suum intulit Grotius. De verbere ex balista hic agitur, nondum de pondere, quod versu demum 480 fit, *sed pondere solo contenti.* Offendit,

Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis
Abscidit impulsu ventorum adjuta vetustas,
Frangit cuncta ruens: nec tantum corpora pressa
Exanimat: totos cum sanguine dissipat artus.
Ut tamen hostiles densa testudine muros
Tecta subit virtus, armisque innexa priores

470. q̄ vert. lineola ab alia manu, supra scripto *quam* alia manu, sed in margine ab eadem manu qua Codex, *quam*, c. 472. *Stern*it, superne addito *vel frangit*, b. 474. Ut ta*m*, b. 475. inn*i*xa, sed a man. sec. innexa, b.

opinor, virum magnum, *verberis ictu*; quasi bis idem esset, perinde ac *verberis verbere*. Sed sic etiam Ovid. Metamor. XIV, 820.

— conscendit equos Gradivus, et ictu
Verberis *admonuit.*

Phocas, Grammaticus vetus, p. 1709, *Sunt quae a genitivo casu singulari declinationis sumunt exordium, ut remigis, frondis, verberis; ut Lucanus, At saxum quoties ingenti* verberis *ictu Excutitur.* Constat hic Phocam legisse *verberis:* quippe *ponderis* non caret nominativo. De *ictu* dubitare adhuc potes; nam quattuor nostri veterrimi *verberis* ACTU. Rectissime: *ingenti actu, magno impetu.* Virgil. Aeneid. XII, 684.

Ac veluti montis saxum *de vertice praeceps*
Cum ruit avolsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas,
Fertur in abruptum magno mons improbus actu.

Plane ut Noster, *saxum, qualis rupes vertice montis abscissa, ingenti actu ruit.* Ex eodem Virgilii loco corrigendus Silius I, 491.

— corripit ingens
Aggere convulso saxum, *et nitentis in ora*
Devolvit, *pronoque silex ruit incitus* ACTU.

Non, ut nunc fertur, *ictu.* Denique *actu* pro *ictu* infra hic lego *v.* 490, ut supra II, 77.

472. *Frangit cunctà ruens: nec tantum corpora pressa Exanimat:*] Colbertinus secundus, et Regius, proque varia lectione Puteanus, STERNIT. Utrumvis bene, sed illud melius. *Pressa* vero, quod omnes codices exhibent, non videtur auctoris esse, sed PRENSA. Silius XV, 535.

— hinc lancea turbine nigro
Fert letum cuicumque viro, quem PRENDERIT *ictus.*

475. *— armisque innexa priores Arma ferunt*] De testudine oppugnatoria hic agitur. Ejus hic mos, ut alii super aliorum scuta acclivia scanderent. Tacitus Hist. III. [c. 28.] *Innixi humeris et super iteratam testudinem scandentes.* Et Hist. IV. [c. 23.] *invasere vallum appositis plerique scalis: alii per testudinem suorum: scandebantque jam quidam.* Quare MS. P. recte habet, *prioris*, dum et pro *innexa* scribatur *innixa.* GROTIUS. INNIXA Colbertinus prior et Puteaneus: quin et Colbert. alter et

Arma ferunt, galeamque extensus protegit umbo,

476. extensu[s], *u* correcta est; *s* ab alia manu addita, c. proterit, sed in margine *protegit* sine signo, c.

Harleianus *innixa* habent; sed superne notatum, *nex*; ut ceteri omnes cum Rom. et Ven. INNEXA PRIORIS quoque Puteaneus et Harleianus: ceteri cum editis PRIORES. Pluries vero, ni fallor, hic erratum est: abest enim ille nitor, qui in sanis nostri poetae locis elucet. *Tecta virtus subit:* quid postea? *Ferunt arma*: qui? milites scilicet subaudiuntur. Tum *umbo protegit galeam.* Videsne istos *milites*, quos subintelligas, et ex improviso induci, et continuo excludi. Quid autem est *prioris?* an *tectae virtutis?* atqui tecta virtus, tota testudo est, non pars. An *prioris*, militis scilicet? Quid? unusne tantum miles erat in fronte testudinis? certe plurium series. Pro *ferunt*, Arundelianus *gerunt*. Sed veterrimus Colbertinus, ARMA ERANT. Haud illud de nihilo est; et aut fallor, aut sic dederat Lucanus,

Ut tamen hostiles densa testudine muros
Tecta subit virtus, armisque INNEXA PRIORIS
Arma HAERENT, *galeamque extensus protegit umbo.*

Arma haerent innexa armis prioris seriei, *umbo* sequentis *protegit galeam prioris.* Nota sunt de testudine omnia. Nam quae ex Tacito profert vir magnus, non *formam* testudinis, sed *usum* ostendunt. INNEXA, ut idem Tacitus Hist. III, 27, *Testudinem lanceis contisque scrutantur, donec soluta* COMPAGE *scutorum, exsangues aut laceros prosternerent.* Si *compage*, tum utique *innexa*, non *innixa*, et *haerent*, non *ferunt.* Isidorus [p. 1272, 24. God.] *est et testudo scutorum* CONNEXIO, *curvata in testudinis morem.* Et iterum [p. 1271, 38. God.], *Contra balistam testudo: series enim fit armorum, umbonibus inter se* CONNEXIS. Servius ad Aeneid. IX, 517, *Armorumque resolvit Tegmina*, *Ostendit*, ait, *armorum* CONNEXIONEM *esse testudinem.* Noster VII, 493.

Pompeji densis acies stipata catervis,
Junxerat in seriem NEXIS *umbonibus arma.*

Valer. Flaccus III, 90.

— sic contextis umbonibus urgent.

et mox 147.

— pergunt rupta testudine fusi.

Contra in ascensione collis IV, 39, *sequentis*, non prioris:

— adversoque acies in monte supina
Haeret, et in tergum casura, umbone sequentis
Erigitur.

BENTL.

Innexa. Sic legit hoc loco *cel.* BURMANNUS. OUDENDORPIUS contra *innixa* probat. BENTLEJUS corruptum et male cohaerentem pronuntiat hunc locum, et, quia in Colbertino Cod. invenerat *Arma erant*, sic refingit,

armisque innexa PRIORIS
Arma HAERENT.

Me quod attinet, ego ita sentio. TECTA TESTUDINE VIRTUS, nisi

fallor, *sunt fortissimi milites, qui consertis et supra caput elevatis scutis*, TESTUDINE FACTA, *muros subeunt sive scandunt.* Quare illa enallage numeri, *Tecta subit virtus* et *arma ferunt*, mihi vitiosa videtur, ut nullo colore defendi possit. Amplector itaque lubens ingeniosam BENTLEJI emendationem, *Arma* HAERENT legentis. Sed illud sive *prioris* sive *priores* a manu poetae profluxisse non potuit. Caussa haec est, quod *densam testudinem* jam memoraverit, adeoque actum agere merito videbitur, si jam describere eam velit. Praeterea *priorum* meminisse, posthabitis et neglectis plane *posterioribus*, quomodo, quaeso, videatur, si vel micam salis in pectore habuerit? Quare illa vox *prioris* hic merito absurda videri debet. Forte an dederit Lucanus,

Armisque innexa VIRORUM
Arma haerent.

VIRORUM sive *fortissimorum et robustissimorum militum*, uti mox infra *vs.* 484. INNEXA vero est *conserta et quasi indissolubiliter conjuncta;* non ita optime illud exprimit firmam illam clypeorum connexionem, quam *vs.* 482. *armorum seriem*, et 485. *perpetuam cratem* vocat poeta. Certe vulgatum illud,

armisque innexa PRIORES
Arma FERUNT,

a male sedula correctoris manu, qui ita plenam omnibusque suis numeris absolutam TESTUDINIS descriptionem exhiberi posse sperabat, profluxisse videtur. Videant critici.

MANILIO opem imploranti pessimeque affecto denuo succurramus! In libro III. *vs.* 272. haec vulgo legas,

Atque haec Niliacas demum est mensura per oras,
Qua rigat aestivis gravidus torrentibus arva
Amnis, et erumpens imitatur sidera mundi,
Per septem fauces atque ora fugantia pontum.

Ita constituit hunc locum BENTLEJUS. Sed in quibusdam scriptis hoc modo leguntur hi versus,

Atque haec est illas demum mensura per oras,
Qua rigat aestivus gradibus torrentibus amnis
Nilus etc.

AMNIS NILUS ineptum meritoque explosum BENTLEJO, qui proin, ejecto *Nilo*, versu priore pro *illas* substituit *Niliacas oras.* Sic nihilominus *amnis* ille, GRAVIDUS *torrentibus aestivis*, mihi merito displicet. Sed neque probare possum *aestivis gradibus*, quod reponi vult STOEBERUS, qui hic iterum BENTLEJO obloquitur, et nobis (si Diis placet) lepidum suum commentum, grande sophos! probare cupit, scilicet *septem ostia* GEMINI (sic *proprie* dicti!) NILI. O quantum est habere nasum! Legat, si cui volupe est, ibi jucundam illius loci Catulliani explicationem,

Sive qua septemgeminus colorat
Aequora Nilus.

Sed, his missis, MANILIUM emaculemus. Mihi, ut verum fatear, suspectus est GRAVIDUS *amnis*, et *septem illae fauces* atque *ora fugantia pontum* interpolatoriam manum olere videntur, ac proinde spurium illum ultimum versum pronuntio, quum ipse poeta eum damnat. Reliquit nobis, puto, MANILIUS hoc modo:

Atque haec ISIACAS *demum est mensura per oras,*
Qua rigat aestivis RAPIDUS *torrentibus arva*

Quae prius ex longo nocuerunt missa recussu,
Jam post terga cadunt: nec Grajis flectere jactum,

477 *tela*, c. recessu, b. c. d. 478. Grais, b. d.

Nilus, et erumpens imitatur sidera mundi.

Haec, inquit, *mensura est in regionibus Aegypti, ubi rapidus Nilus aestivis inundationibus agros irrigat, et in mare erumpens sive se exonerans imitatur* DELTOTON *sidus coeleste*, quod *tribus* FACIBUS *sive stellis insigne* vocat *Lib.* V. *vs.* 714. quodque *septem fauces* refutat. ISIACAS *oras* sive *Aegyptiacas*. Sic ISIACUM *sistrum* pro *Aegyptio* posuit *Lib.* I. *vs.* 916.

Femineum sortita jugum cum Roma pependit,
Et PAENE *Isiaco* CESSERUNT *fulmina sistro.*

Ita legendum. Vulgo ibi male legitur,

Atque ipsa Isiaco certarunt fulmina sistro.

Probat emendationem ipse Manilius, qui priore versu *Romam dubiam pependisse* dicit, *an sortiretur jugum femineum*, et PROPERTIUS *Lib.* III. *Eleg.* IX. *vs.* 39.

Scilicet incesti meretrix regina Canopi
Una Philippeo sanguine inusta nota:
Ausa JOVI *nostro* LATRANTEM OPPONERE ANUBIN,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas:
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos et contis rostra Liburna sequi.

ISIACAE *orae* sunt regiones et urbes Aegypti prope Delta, ubi *Memphis*, *Canopus*, *Paraetonium*, *Pharos* etc. OVIDIUS *Lib.* II. *Amor. Eleg.* XIII. *vs.* 7.

ISI, PARAETONIUM *genialiaque arva* CANOPI
Quae colis, et MEMPHIN, *palmiferamque* PHARON.
Quaque celer Nilus, lato dilapsus ab alveo,
Per septem portus in maris exit aquas.

Rapidus Nilus, id est, *celer*, ut NASO ibi eum vocat, ex quo *septem* illae *fauces* atque *ora fugantia pontum* efficta mihi videntur. AESTIVIS TORRENTIBUS, id est, *inundationibus*, quia AESTATE Nilus *tumescit et per plana jacentis Aegypti stagnat*, ut docet LUCAN. *Lib.* X. *vs.* 231. *et seqq.*

JEV.

477. *Quae prius ex longo nocuerunt missa recussu,] Recussu*, sive repercussu, nullum hic locum habet. Omnes scripti editique *recessu;* nisi quod Bersmanni editio, typographi utique errore, *recussu*, quod miror virum magnum retinuisse. *Recessu*, spatio, intervallo. Valer. Max. III, 6, 1, *Vegeta et strenua ingenia, quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt.*

478. — *nec Grajis flectere jactum, Aut facilis labor est]* Pro NEC codex ex nostris unus *non*, alius *nam:* pro AUT tres vel quattuor cum Ven. *Haud.* Repone,

— NAM *Grajis flectere jactum*

Aut facilis labor est longinqua ad tela parati
Tormenti mutare modum: sed pondere solo
Contenti, nudis evolvunt saxa lacertis.
Dum fuit armorum series, ut grandine tecta
Innocua percussa sonant, sic omnia tela
Respuit: at postquam virtus incensa virorum
Perpetuam rupit defesso milite cratem,
Singula continuis cesserunt ictibus arma.
Tunc adoperta levi procedit vinea terra,

479. *Haut*, c. 487. processit, c.

HAUD *facilis labor*, ET *longinqua ad tela parati*
Tormenti mutare modum.

484. —*virtus incensa virorum*] Aestuant hic et OUDENDORPIUS et BURMANNUS, qui *virtutem incertam* explicant de *militibus Caesarianis, qui defessi ab oppugnatione desistere volebant.* Ast male! Nam, quaeso, quis ferat haec? *Virtus Caesarianorum* MILITUM *incerta*, *defesso* MILITE, *rupit cratem.* In aliis Codd. est *incensa* vel *accensa*, quod DORVILLIUS similiter capiebat de *militibus Caesarianis, qui sponte ruperint cratem et aperto marte pugnare arserint;* sed quia hoc *defesso* militi vix convenire videbat, malebat *defesso poplite* vel *vertice.* Frustra. INCENSA est vera manus poetae, sed *defesso milite* est vitiosum. De Massiliensium virtute loquitur poeta, et clamat, se scripsisse,

sed postquam virtus INCENSA *virorum*
Perpetuam rupit, DEFENSO MILITE, *cratem.*

Virtus Massiliensium, qui frustra diu saxis et telis testudinem impugnaverant, pudore accensa fortiter repellit scandentes hostes, atque ita dejectis et repulsis militibus hostium testudinem atque perpetuam cratem rupit, unde jam singuli ictibus patebant et cedere cogebantur. DEFENDERE *hostes a muris* est *repellere.* Sic *defendere aestatem capellis* dixit HORAT. *Lib.* I. *Od.* XVII.

Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus, et igneam
DEFENDIT AESTATEM CAPELLIS
Usque meis PLUVIOSQUE VENTOS.

Sic *defendere myrtos a frigore* sive *frigus a myrtis*, quod eodem redit, dixit VIRGILIUS *Eclog.* VII. *vs.* 6. LUCAN. *Lib.* VI. *vs.* 480.

impulsam sidere Tethyn
Repulit Haemonidum, DEFENSO LITORE, *carmen.*

DEFENSO *litore*, id est, *prohibito, vetito.* Sic OVID. *Epist. Heroid.* V. *vs.* 15.

Saepe super stramen foenove jacentibus alto

Sub cujus pluteis, et tecta fronte latentes,
Moliri nunc ima parant, et vertere ferro
Moenia: nunc aries suspenso fortior ictu
Incussus densi compagem solvere muri
Tentat et impositis unum subducere saxis.
Sed super et flammis, et magnae fragmine molis,
Et sudibus crebris, et adusti roboris ictu
Percussae cedunt crates, frustraque labore
Exhausto fessus repetit tentoria miles.
 Summa fuit Grajis starent ut moenia voti.

488. fron*te*, *te* in membr. erasa, b. 489. *e*vertere b. d. sed *e* in membr. erasa b, man. sec. 490. moenia, *noeni*, in membr. erasa, b. 491. Incussus, *Incus*, in membr. erasa, b. In cuss*u*, c. 495. Pe*r*cussae, *r* in membr. erasa, b. 496. te*mp*toria, ita saepe, *mp* ante *t* pro *n*, c. 497. Grais, b. d. ut semper.

DEFENSA EST *humili cana* PRUINA CASA.
ubi vid. not. HEINSII. JEV.

488. *Sub cujus pluteis, et tecta fronte latentes]* Colbert. et Puteaneus, *fronde*. Lege *texta fronde*. Caesar Civil. II, 1, de hac ipsa Massiliae oppugnatione: *Tanta multitudo tormentorum in oppido erat, ut eorum vim nullae* contextae viminibus *vineae sustinere possent*. Livius XXXV, 27, *Cum multitudo alia casas ex arundinibus* textas *fronde, quae umbram modo praeberet*, texissent.

489. — *Et vertere ferro Moenia:]* Lege *fundo*. Livius XXI, II, *Tum Annibal quingentos ferme Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit.*

497. *Summa fuit Grajis]* Abrupto nimis hoc dictum censet *cel.* BURMANNUS, quia *prius nihil ultra optabant, quam ut defenderent urbem, nunc vero in obsidentes erumpere audent*. Recte hoc observatum summo critico! Verum non ita reliquit nobis poeta. *Summa* enim *votorum* Massiliensibus si haec fuisset, ut salva starent moenia nec diruerentur, honestis potius conditionibus tentanda fuit deditio, neque eruptionibus irritandi oppugnatores. Nisi me fallit conjectura, LUCANUS hoc modo scripsit,

SUMTA *fuit Grajis, starent ut moenia*, VIRTUS.

hoc sensu: *Massilienses, ne urbs sua dirueretur, sumsere ex desperatione virtutem, et ultro aperto marte aggredi hostem voluerunt. Eruptionem igitur tentant ad profligandos hostes urbemque obsidione liberandam!* Compendia haec scripturae *S̄ma v̄ti* et *S̄mta v̄ts* in MSS. facile confunduntur a librariis, quippe charactere literarum vix distinguuntur. SUMTA *virtus* eleganter! Ita enim et HORAT. *Lib.* III. *Od.* XXX. *vs.* 14.

SUME *superbiam*
Quaesitam meritis!

Ultro acies inferre parant: armisque coruscas
Nocturni texere faces: audaxque juventus
Erupit: non hasta viris, non letifer arcus,
Telum flamma fuit, rapiensque incendia ventus
Per Romana tulit celeri munimina cursu.
Nec, quamvis viridi luctetur robore, lentas
Ignis agit vires: teda sed raptus ab omni
Consequitur nigri spatiosa volumina fumi:
Nec solum silvas; sed saxa ingentia solvit,
Et crudae putri fluxerunt pulvere cautes.
Procubuit, maiorque jacens apparuit agger.
  Spes victis telluris abit, placuitque profundo
Fortunam tentare mari. non robore picto

499. Nocturnis, c. 501. fuit flamma, d. 502. *Romana*, manu alia in membr. erasa, c. 507. fluxere, d. 510. te*mp*tare *viris*, c.

Ita *adsumere fastus* dixit suavissimus PROPERTIUS *Lib.* II. *Eleg.* XIX. *vs.* 61.

Tu quoque, qui pleno FASTUS ADSUMIS *amore,*
Credule, nulla diu femina pondus habet.

Sic omnia plana fuerint, nihilque abrupti appareat.

CLAUDIANI interim misereri juvat, leviter corrupti IV. *Cons. Honor. vs.* 510.

Quae sub te vel caussa brevis vel judicis error
Negligitur?

Quaenam haec sit *caussa brevis*, quae cum *judicis errore* hic componitur, fateor, me ignorare. *Brevem* tamen illam *caussam* multis verbis et longo sermone tuentur HEINSIUS et BURMANNUS, adstipulante quoque GESNERO. Tantae auctoritati obluctari difficile! GRAVIS tamen est in 3 Vatt. Pal. Med. pr. et quart. item in Exc. Laeti. in Regio et Petav. pr. et V. V. L. L. Ed. Parm. pro varia lectione. Legendum itaque suspicor,

Quae sub te vel CULPA GRAVIS *vel judicis error*
Negligitur.

Loquitur, nisi fallor, poeta de LATA et LEVI CULPA *judicis, dolo malo vel imprudentia male judicantis litemque suam facientis.* LATA enim *culpa* DOLO *comparatur.* Res in jure Romano notissima, quae nec dupondios latet.

CLAUDIANUS ibidem *vs.* 533. quoque remedium postulat, ubi nunc legitur,

Alcides pharetras Dircaeaque tela solebat
Praetentare feris.

Alii Codd. ibi habent *Dictaeaque*, quod rejicit HEINSIUS, quasi Herculi Thebano nihil negotii esset cum *Cretensibus sagittis.* Optime! sed, ut mihi videtur, neque

Ornatas decuit fulgens tutela carinas,
Sed rudis, et qualis procumbit montibus arbor,
Conseritur stabilis navalibus area bellis.
Et jam turrigeram Bruti comitata carinam
Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite classis,
Stoechados arva tenens. nec non et Graja juventus
Omne suum fatis voluit committere robur:

511. Ornat*as*, manus alia *a* ex *o*, ut videtur, correxit, c. 513. *area*; *rea*, in membr. erasa man. sec. b. 516. Stechados, *ec*, a man. sec. in membr. erasa, b. Stecados, c. *petens*, d. *nec*; *ne* a man. sec. b.

cum *Thebanis*, siquidem de *Hercule Thebano* non cogitavit poeta; nam LERNAEA scribendum, ut patet ex VALER. FLACC. *Lib.* I. *vs.* 108.

Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
Advolat, ARCADIO *cujus* FLAMMATA VENENO
TELA *puer*, *facilesque humeris gaudentibus arcus*
Gestat Hylas.

FLAMMATA ARCADIO VENENO TELA sunt *sagittae tinctae veneno Hydrae Lernaeae.* Tum et mox *vs.* 540. legendum,

Quis molles SIMULARE *fugas; quis tendere* CONTRA
APTIOR, *aut subitos melior flexisse recursus.*

nam quid sit *sinuare fugas,* doceri cupio, qui nullum poetam sic locutum memini. Audiamus igitur GESNERUM. Sic vir doctissimus ad hunc locum: FUGAS MOLLES SINUAT *eques*, *cum sequaci facilitate et velocitate inoffensa equus circumagitur. Contrarium videtur* SUBITOS RECURSUS FLECTERE. TENDERE CONTUM *est hastam dirigere*, *ut in concursu non aberret a corpore, quod petitur*, *hostili.* Ast nullis firmantur hae novae et inauditae significationis locutiones exemplis! Adeo verum est hoc effatum! Corrupta loca frustra explicare tentaverit etiam summus Aristarchus! Immortalibus viri doctissimi meritis hoc ultro donabimus. *Tendere cursum* obvia locutione malebat MARKLANDUS; HEINSIUS vero *contum* acriter defendit. Uterque male, ut videtur. Series quippe tota orationis emendationem nostram probat. *Quis te aptior fuerit* (inquit poeta) *ad simulandam ignavam fugam* (MOLLIS *enim et* IGNAVI *est* FUGERE!), *quisve melior contra hostem tendere aut subito ab hoste reflectere?* Confirmant quoque, quae subiungit MASSAGETARUM et CENTAURORUM exempla. *Acrior* in *Aptior* mutavi, ut τῷ *melior* responderet. Si quis *acrior* retinere velit, non repugnaverim, quia hoc designare tum potest *vehementiam impressionis, in hostem factae.*

JEV.

516. *Stoechados arva tenens.*] Aquam sibi hic haerere fatetur

Grandaevosque senes mistis armavit ephebis.
Accepit non sola viros, quae stabat in undis
Classis; et emeritas repetunt navalibus alnos.
Ut matutinos spargens super aequora Phoebus
Fregit aquis radios, et liber nubibus aether,

520. *Puppis* et, c. repetūt, - et *t* man. alia in membr. erasa, ad marginem *repetūt*, c. 521. matutin*us*, b. c. d. sed in c superne scriptum legitur *nos*, sine signo. 522. radio, d.

ingenue *cel.* BURMANNUS, qui hunc locum *δυςερμήνευτον* pronuntiat. Credo: nam quaenam sint illa sive STOECHADOS sive LEUCADOS ARVA, ut GERVASIUM TILBERIENSEM *in Otiis Imperial. Tom.* I. *Rer. Brunsvic.* legisse refert vir summus, nemo facile dixerit. HEINSIUS illud GURGITE suspectum habebat, et pro eo rescribi volebat *cum milite.* DORVILLIUS vulgatam ita construebat, *classis, tenens arva Stoechados, cum Rhodani gurgite venerat in mare*, quod quid sit, equidem ignoro. Si enim *arva Stoechadum teneret*, sive ibi *in ancoris steterit*, sive *in littus subducta fuerit*, cum Stoechadum insulae in mari sint, inepte profecto classis *cum Rhodani gurgite in mare venisse* dicatur. Tantum scilicet turbarum una vox mendosa hic peperit! Tu vero, erudite lector, his tricis facile extricatum te senseris, si mecum legere malueris,

Et jam turrigeram Bruti comitata carinam
Venerat in fluctus Rhodani DE *gurgite classis*
Stoechados ALTA PETENS.

Classis sociorum ex Gallia, inquit poeta, *cum Bruti nave praetoria a Rhodano venerat, et jam mare tenebat recta cursum dirigens ad Stoechadas.* ALTA *Stoechados* sunt *mare ad has insulas*, ubi *stationem habuisse* dicuntur naves Bruti. ALTUM et ALTA pro *mari* frequens poetis, quod probatione non indiget. *ptns* vero et *tns*, extrita priore litera, quam facile confundi possint, notum criticis. Vide, quae diximus ad *Lib.* II. *vs.* 29. *Prodrom. pag.* 158. DE *gurgite.* Sic *Lib.* VIII. *vs.* 246. *aura* dicitur *spirare* DE *litore.*

Elegantissimum PETRONII *epigramma* medicam quoque experiatur manum, ut ad pristinum redeat nitorem. Insertum hoc novae Anthologiae editioni a *cel.* P. BURMANNO SECUNDO *Lib.* III. *Epigr.* CCLVII. ita legitur:

Quod solum formae decus est, cecidere capilli,
Vernantesque comas tristis abegit hiems.
Nunc umbra nudata sua jam tempora moerent,
Areaque attritis ridet adusta pilis.
O fallax natura Deum! quae prima dedisti
Aetati nostrae gaudia, prima rapis.

Versu tertio *cava tempora* conjecit FRANCIUS. Optime. Nam illud *nunc jam* est longe ineptissimum. Pro *ridet* margo STEPHANI exhibet *aret* vel *sordet.*

Et posito Borea, pacemque tenentibus Austris,
Servatum bello jacuit mare, movit ab omni
Quisque suam statione ratem, paribusque lacertis
Caesaris hinc pubes, hinc Grajo remige classis
Tollitur: impulsae tonsis tremuere carinae,
Crebraque sublimes convellunt verbera puppes.

526. *puppes*, b. *puppis*, e.

Recte, si quid video. *rāt* et *srdt* facile confundi possint, et, extrita priore literula, nihil differant. Verum quid hic faciat *fallax natura Deum*, aut quid significare possit, quod ad poetae mentem declarandam faciat, videre nequeo. Quid longis ambagibus opus? Auctori manum suam sic restituo:

Quod solum formae decus, EN! *cecidere capilli,*
Vernantèsque comas tristis abegit hiems!
Nunc umbra nudata sua cava tempora moerent,
Areaque ATTRITI SORDET *adusta* SOLI.
O fallax FORTUNA AEVI! *quae prima dedisti*
Aetati nostrae gaudia, prima rapis!

Videamus singula, ut emendationis ratio sibi constet. EN! rescripsi pro *est*, quod facile, et melius meo judicio, intelligitur. *Demonstrandi* haec *particula* in gravi hac calvitiei deploratione sententiam elevat et affectum prodit. *En! capilli*, *unicum illud formae decus, defluxerunt!* SORDET *area* ATTRITI SOLI lego, id est, *calvities turpis nudum dehonestat caput.* AREA ATTRITI SOLI notat *calvum caput sine pilis*, quae recte *adusta* vocatur, quia *solum*, in quo frequenti calle viam faciunt homines, quasi *aduritur*, *ut* GRAMEN *sive* HERBA *ibi crescere nequeat.* CAPUT igitur CALVUM *aream attriti soli* repraesentat, in quo pili amplius surgere nequeunt. *Attritis pilis* nauci lectio hic est; *pili* enim *excidunt*, non *atteruntur.* Praeterea cum *comas* et *capillos* jam dixerit, putidum fuerit *crines* sive *pilos* ingeminare. Probat emendationem CLAUDIANUS *Lib.* 1. *in Eutrop. vs.* 116. loco similiter vexatissimo:

miserabile turpes
Exedere caput tineae. Deserta patebant
Intervalla comae! qualis sitientibus arvis
AREA *jejunae* SEGETI *interlucet* ARENAE.

Sic lego corruptum hunc locum. Vulgo enim ibi editum,

Arida jejunae seges interlucet aristae.

gleba pro *seges* ibi rescribi volebat *cel.* BURMANNUS. Male. *Arenae* scribendum, quae hic male confusa fuit cum *aristae*, nam *arista* hic nihil ad Bacchum! AREA ARENAE JEJUNAE est *locus arenae nudae sine messibus*, quae *segeti interlucere* dicitur. Hanc observationem cum aliis in CLAUDIANUM observationibus me olim cum *cel.* P. BURMANNO SECUNDO communicasse recordor. Audacter vero rescripsi

Cornua Romanae classis, validaeque triremes,
Quasque quater surgens extructi remigis ordo
Commovet, et plures quae mergunt aequore pinus,
Multiplices cinxere rates. hoc robur aperto
Oppositum pelago. lunata fronte recedunt,
Ordine contentae gemino crevisse Liburnae.
Celsior at cunctis Bruti praetoria puppis
Verberibus senis agitur, molemque profundo
Invehit, et summis longe petit aequora remis.
Ut tantum medii fuerat maris, utraque classis
Quod semel excussis posset transcurrere tonsis,

531. aequora, d. 532. *h*, i. e. hic, sed in margine man. alia sine signo *hoc*, c. 533. *classe* rec. b. c. recidunt, d. 534. conte*n*tae, *n* man. alia in membr. erasa, c. liburnae, *rnae*, in membr. erasa, b. 536. se*v*is, c.

fallax FORTUNA AEVI pro vulgato *natura Deum*, quod ridiculum plane et nihil ad mentem auctoris facit. FORTUNA AEVI est *felicitas temporis*, quae *infida* et *fallax* merito dicitur, quippe cui tuto confidere nemo possit. Saepius hoc modo peccarunt inepti librarii, NATURAM cum FORTUNA confundentes. *Vid.* *cultissimum* BROUKHUSIUM *ad* PROPERT. *Lib.* III. *Eleg.* V. *vs.* 44. AEVI autem et DEUM similiter confusa vidimus apud LUCANUM *Lib.* II. *vs.* 272.

> *Lege* AEVI *minima et rerum discordia turbat,*
> *Pacem summa tenent!*

vulgo ibi antea etiam *Lege Deum* circumferebatur. *Vid. Prodrom. pag.* 204. Olim autem versum quartum ita emendaveram,

> ARIDAQUE *attriti* SORDET ARENA SOLI.

quod proxime ad CLAUDIANI comparationem accedit. Sed prius nunc malim. JEV.

529. — *validaeque triremes, Quasque etc.*] Locus hic corruptus est, ut patet ex vario *cel.* BURMANNI, et reliquorum interpretum aestu. Audiamus SCHOLIASTEN *Vossiani secundi: Contra undas pelagi majores naves posuerunt, et fecerunt quasi cornua, et infra cornua majorum minores posuerunt.* Euge! non potest melius. Credas hunc hominem navalibus bellis interfuisse per totam vitam; adeo lepide haec explicat! O miserum Lucanum, qui tam ineptum nactus fuisti interpretem! PINUS pro *remis* inauditum atque inusitatum! Hoc primum. Dein *multiplices rates* quae sint, non viderunt interpretes, quae unica caussa fuit, quod mendam subodorati haud fuerint. MULTIPLICES RATES sunt *schediae* illae rates, quas *versu* 512. describit,

Innumerae vasto miscentur in aethere voces:
Remorumque sonus premitur clamore: nec ullae
Audiri potuere tubae. tum caerula verrunt,
Atque in transtra cadunt, et remis pectora pulsant.
Ut primum rostris crepuerunt obvia rostra:
In puppim rediere rates, emissaque tela
Aera texerunt, vacuumque cadentia pontum.
Et jam diductis extendunt cornua proris,
Diversaeque rates laxata classe receptae.
Ut, quoties aestus Zephyris, Eurisque repugnat,

542. tu*nc*, b. c. d. ver*tunt*, sed ad marginem ·*verrunt*, c; verrunt, ita ut *runt* in membr. erasa sit, d. 545. pupp*em*, c. d. 546. cadẽtia, *ẽ* in membr. erasa, et ad marginem ·*cadentia*, c. 549. repugna*nt*, c. d.

Sed rudis, et qualis procumbit montibus, arbor
Conseritur stabilis navalibus area bellis,

quasque hoc loco dicit *fuisse robur oppositum aperto pelago.* Quare, ut plena nobis classis Romanae, ad pugnam paratae, imago exhibeatur, rescribendum mihi videtur ex mente poetae hoc modo,

Cornua Romanae classis VALIDASQUE *triremes,*
Quasque quater surgens exstructi remigis ordo
Commovet, et plures quae mergunt aequore PALMAS,
Multiplices cinxere rates. Hoc robur aperto
Oppositum pelago. Lunata fronte recedunt
Ordine contentae gemino crevisse Liburnae.

Sic, nisi fallor, quilibet totius Romanae classis τάξιν ante oculos videat! *In* CORNIBUS *stabant triremes, quadriremes, quinqueremes etc. Liburnae* BIREMES, *curvata ad lunae similitudinem fronte,* RECEDUNT, *sive intus reductae in dimidiatum orbem subsequuntur. Ast vero schediae illae rates ad vim pelagi infringendam utrimque navalis aciei cornua cingunt et vallant. Namque*, ut ait LUCANUS,

Hoc robur aperto
Oppositum pelago.

Palmas lego. plms et pins facile in MSS. confunduntur. PALMAS pro *remis* dixit CATULLUS *Carm.* LXIII. *vs.* 7.

Caerula verrentes ABIEGNIS *aequora* PALMIS.

Palmulas diminutive idem *Carm.* IV. *vs.* 4.

sive PALMULIS
Opus foret volare sive linteo.

et *vs.* 17.

Tuo imbuisse PALMULAS *in aequore.*

Huc abeunt fluctus, illuc mare: sic ubi puppes
Sulcato varios duxerunt gurgite tractus,
Quod tulit illa ratis remis, haec reppulit aequor.
Sed Grajis habiles, pugnamque lacessere pinus

550. fluctus, *s*, in membr. erasa, c. 552. haec, *ec*, a man. sec. in membr. erasa, b. *ret*ulit, b. d. sed in d. *r* et *e* sunt a man. alia. *att*ulit, et in margine *retulit*, c. 553. *cap*essere, b. d. lacescere, et in margine *capescere*, c.

Pergamus interim in CLAUDINO emendando. IV. *Cons. Honor. vs.* 565.

> *Nunc quoque quos habitus, quantae miracula pompae*
> *Vidimus, Ausonio cum jam succinctus amictu*
> *Per Ligurum populos solito conspectior ires,*
> *Atque inter niveas alte veherere cohortes.*

Legendum puto,

> SOLIO *conspectior ires.*

SOLIO, sive *aurea sella imperatoria. Cum tu Imperator, Consul renuntiatus, in* AUREA SELLA *manibus militum elevatus portareris*, quod patet, cum mox subiungit *alte veherere.* Probat *vs.* 584.

> PORTATUR JUVENUM CERVICIBUS AUREA SEDES,
> *Ornatuque novo gravior Deus.*

Dein *vs.* 632. rescribendum fuerit,

> CONFESTIMQUE *parens Odothei regis opima*
> *Retulit exuviasque* JOVI.

vulgo nunc *confessusque* legitur, et *tibi.* CONFESTIM, id est, *statim, postquam nempe Consul renuntiatus fuisti.* Dixerat enim antea,

> *quoties te cursibus aevi*
> *Praefecit, toties accessit laurea patri.*

CATULL. *Carm.* LXIII. *vs.* 285.

> CONFESTIM *Peneos adit viridantia Tempe.*

Confessus nanci est, utut *doctissimus* GESNERUS hoc modo explicare frustra tentet: *Theodosius pater hanc victoriam, haec de duce hostium spolia, exuvias Odotheo detractas, confessus est tibi, nominis tui auspiciis, consultui tuo deberi, acceptaque adeo tibi retulit.* In corruptis locis explicandis necessario cespitet vel criticorum maximus. Quare aequos esse nos decet atque doctorum virorum erratis ignoscere. JOVI rescripsi, FERETRIO nempe, *cui* OPIMA SPOLIA *referebant victores Romani. vid.* FLOR. *Lib.* I. *Cap.* XII. VALER. MAX. *Lib.* III. *Cap.* II. et praeprimis PROPERT. *Lib.* IV. *Eleg.* X.

JEN.

553. *Sed Grajis habiles]* Nullus interpretum observare hic visus summam ἀκυρολογίαν, quae resultat ex duarum adversativarum coniunctionum SED et AT inepta repetitione, quae tersis auribus summum necessario pariat taedium. Demiror valde,

Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
Cursum, nec tarde flectenti cedere clavo.
At Romana ratis stabilem praebere carinam
Certior, et terrae similem bellantibus usum.
Tunc in signifera residenti puppe magistro

554. giro, ita semper, c. d. 556. carinam, *ca* a man. sec. b.

qui hoc inobservatum transire potuerit *cel.* BURMANNO, qui praesentissimum tollendo huic vitio remedium ex Thuan. quart. suppeditat. In eo Codice erat *Si.* Optima haec lectio et exquisitae elegantiae!

> SI *Grajis habiles pugnamque lacessere pinus,*
> *Et tentare fugam* etc.
> AT *Romana ratis stabilem praebere carinam*
> *Certior et terrae similem bellantibus usum.*

VIRGIL. *Lib.* I. *Aen. vs.* 547.

> SI *genus humanum et mortalia temnitis arma;*
> AT *sperate Deos memores fandi atque nefandi!*

OVID. *Epist. Heroid.* XVII, *vs.* 63.

> SI *jam divitiis locus hic numeroque virorum*
> *Vincitur;* AT *certe barbara terra tua est.*

et *Lib.* II. *Art. Am. vs.* 609.

> *Condita* SI *non sunt Veneris mysteria cistis,*
> *Nec cava vesanis ictibus aera* TONANT;
> AT *tamen* HAEC NOBIS *medio* SERVANTUR *in usu,*
> ET *sic, inter nos ut latuisse velint.*

Ita legendum puto hunc locum. Nam illud *inter nos* ex posteriori versu a properante librario male repetitum videtur. TONANT rescripsi pro vulgato *sonant*, quod merito nimis leve videtur, quam ut conveniat CYMBALIS, *quae* VESANIS ICTIBUS *contunduntur.* CATULL. *Carm.* LXII. *vs.* 21.

> *Ubi cymbalum* TONAT *vox; ubi tympana reboant.*

vulgo et ibi *sonat* legitur. LUCRET. *Lib.* II. *vs.* 618.

> *Tympana tenta* TONANT *palmis et cymbala circum*
> *Concava; raucisonoque minantur cornua cantu.*

quem locum tamen ibi adducit VULPIUS. Simili fere modo dixit PROPERTIUS *tonare verba foro insano Lib.* IV. *Eleg.* I. *vs.* 134.

> *Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,*
> *Et vetat* INSANO VERBA TONARE FORO.

Sic TONARE eidem dicitur *Pindarus Lib.* III. *Eleg.* XV. *vs.* 40.

> *Haec ego non humili referam memoranda cothurno,*
> *Qualis* PINDARICO *spiritus* ORE TONAT.

SERVANTUR porro lego, id est, *coluntur*, *religiose observantur in ipso usu. Versantur in usu* nihil ad mentem poetae facit, quae haec, credo, fuerit: *Si sacra Veneris non adeo occulta*

Brutus ait, paterisne acies errare profundo?
Artibus et certas pelagi? jam consere bellum:
Phocaicis medias rostris oppone carinas.
Paruit, obliquas et praebuit hostibus alnos.

561. Phocaicis, *ci* a man. alia superne scriptum est, d.

sunt ac Cereris MYSTERIA, UT CISTIS TEGI DEBEANT, UTQUE CYMBALORUM *strepitu opus sit,*

Orgia ne possint aures audire profanae:

attamen, in medio usu, haec sacra nobis religioso silentio teguntur veluti mysteria, atque ita quidem, ut inter nos lateant. SERVARE est *observare, religiose colere.* HORAT. *Lib.* I. *Epist.* XVI. *vs.* 41.

Vir bonus est quis?
Qui consulta Patrum, qui LEGES JURAQUE SERVAT.

et ita non minus eleganter quam apposite ad NASONIS mentem *servare metum sacris opertis* dixit VALER. FLACC. *Lib.* II. *Argon. vs.* 439.

Hactenus in populos vati, Samothraca, diemque
Missa VALE, SACRISQUE METUM SERVEMUS OPERTIS.

Ita hunc locum ingeniosissime et felicissime ex APOLLONIO RHODIO restituit *cel.* SCHRADERUS *in Libello Observationum pag.* 22. cum vulgo antea legeretur *vates Samothraca, mone.* VIRGILIUS *Lib.* II. *Aen. vs.* 715.

antiqua cypressus
Religione patrum multos SERVATA *per annos.*

id est, *religiosissime culta.* ET *sic* erat in Pal. codice, teste BURMANNO.

CATULLUS interim medicam sentiat manum leviter corruptus *Carm.* LVI. *initio.*

O rem ridiculam, Cato, et jocosam,
Dignamque auribus et tuo cachinno!

imo legendum vel invitis membranis,

Dignam RISIBUS *et tuo cachinno!*

Ridicula res ridiculo carmine ridicule narratur, ut Catoni, vel invito, risum extorqueat! Et sane ridicula ridentis scurrae elegantia et acuta brevitas summam meretur admirationem. Non opus erat, ut audiret Cato, qui haec legens necessario ridere deberet, nisi fibram haberet corneam! Mox apud eumdem *Carm.* LX. *vs.* 34. legendum videtur,

Ut tenax hedera HAC *et* HAC
Arborem implicat errans.

vulgo *huc* et *huc.* Tum *vs.* 46. quoque rescripserim libens,

Quis Deus magis ab VAGIS
EXPETENDUS *amantibus?*

ut sit, *quis Deus magis optandus est solutis amantibus, qui* VAGOS *exercent* AMORES, *magno saepe suo damno;* vel *mollium et delicatorum puerorum illicitis ardoribus insaniunt. Vid.* JUVENAL. *Sat.* VI. *vs.* 34. EXPETENDUS, id est, *optandus.* Ita *Carm.* XV. *vs.* 4.

Tunc quaecunque ratis tentavit robora Bruti,
Ictu victa suo, percussae capta cohaesit.
Ast alias manicaeque ligant, teretesque catenae,
Seque tenent remis: tecto stetit aequore bellum.

564. percussa, *a* man. sec., superne scripta est figura, quae *ae* significare videtur, b. percuss*a* *et*, c. d. capta, *c* a man. sec. b. 566. toto, c.

Ut, si quidquam animo tuo
cupisti,
Quod castum EXPETERES *et*
integellum,
Conserves puerum mihi pudice. JEV.

564. — *percussae capta cohaesit.]* Ut Rutgersius ex conjectura emendaverat, ita clare habet codex collegii Trinitatis, *percussae capta.* Colbertinus secundus, *percussa et capta.*

566. *Seque tenent remis:]* A-quam sibi hic haerere fatetur *cel.* BURMANNUS, et conjicit *seque petunt* vel *premunt remis.* Haerent et reliqui interpretes. Nec mirum. Sermo enim hic plane est ἀνακόλουθος, ALIAS *manicae et catenae ligant, et premunt se remis,* adeoque a poeta ita profectum non credo. Quid multa? Hortensii margo nobis manum LUCANI servavit, in quo erat, teste OUDENDORPIO,

Seque tenent remis remi. Stetit aequore bellum.

utut enim manifesta aberrantis librarii negligentiae indicia nobis exhibeat illius Codicis scriptura, conjecturam tamen nostram adjuvat, ut veram Lucani manum indagemus. Librarius in Cod. quum offendisset *remi*, et pro varia lectione *remis* superne adscriptum, varias illas lectiones ingeminavit, τῷ *tecto* omisso. Quare haud dubito equidem, quin nobis a manu poetae relictum fuerit,

Ast alias manicaeque ligant
teretesque catenae:
SAEPE *tenent* REMI. *tecto stetit aequore bellum.*
Jam non excussis torquentur
PILA *lacertis,*
Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro.

Sensus est: *Ast aliae naves manicis et catenis vinctae tenentur, quin et* SAEPE REMIS, *obliquo pectine junctis,* ut *vs.* 609. loquitur poeta, *impediuntur et haerent.* Ita omnia plana. *Spe* et *Sque* in MSS. fere nihil differunt, ut mirum non sit, illa hic confusa fuisse. Mox vero PILA rescripsi ex Thuan. pr. nam versu sequente in JACULATO FERRO tela omnis generis habemus. Ad manum jam venerant, consertis puppibus, et gladiis res gerebatur, nec pilis aut telis opus erat.

CLAUDIANUS miser me vocat, et diri ulceris medelam orat, *in Praefatione Carminis de Nupt. Honor. et Mariae, initio.*

Surgeret in thalamum ducto
cum Pelion arcu,
Nec caperet tantos hospita
terra Deos.
Cum socer aequoreus, numerosaque turba sororum

Jam non excussis torquentur tela lacertis,
Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro:
Miscenturque manus. navali plurima bello
Ensis agit. stat quisque suae de robore puppis
Pronus in adversos ictus: multique peremti

568. jaculato, *j* in membr. erasa, b.

Certarent epulis continuare dies etc.

Miror equidem, doctissimos interpretes manifestam satis mendam hic non animadvertisse. Quid enim? an *hospita terra non cepit Deos?* HOSPITA TERRA hic deberet notare *Thessaliam*, et tum absurdum maximum sequeretur, nempe *Thessaliam non cepisse tot Deos, quos tamen nuptialis thalamus in antro Pelii cepit.* JUPITER *enim cum* SUPERIS *reliquis ibi convivio excepti fuerunt, et chori Musarum in antrum inducti.* Quomodo, quaeso, adeo insanire potuit Claudianus, ut tam absurda scriberet? An vero cum GESNERO, qui hic aliquid inconcinni sensisse videtur, improprie explicabimus illud *cepit*, ut notet, *dignitatem et majestatem loci non respondisse tantis hospitibus?* Absit! Hoc ne cogitavit quidem Claudianus. Laudamus optimum GESNERUM suae industriae, qui locum inexplicabilem qualicumque modo interpretari et salvum tueri voluit. Ne longis te morer ambagibus, erudite lector, ecce tibi, sublata menda, restituam poetae manum! Lege,

ET *caperet tantos hospita* MENSA *Deos.*

Nereus socer cum sororibus Thetidis nuptiales epules Diis superis praebent per aliquot continuos dies; MENSA igitur opus erat. Cavere volui proinde, ne illa deesset. Nihil addam amplius ad firmandam emendationis veritatem, quae se sponte oculis ingerit. Verum ulterius se extendat nostra cura, ut turpi emblematis interpolatorii labe liber eat poeta! Distichon illud *Centauri Faunique negant* etc. est a mala manu, et sensum totum interturbat, qui absque eo sanus et integer. Quid hic opus est *Centauris* et *Faunis?* Quis eos, quaeso, huc invitavit, ut judicium ferrent de carmine Musarum? In rem igitur malam eat hic institor cum turpi suo mangonio!

JEV.

571. *multique peremti*] Aestuant in hoc loco interpretes doctissimi, quippe codices hic variant, *nulli* vel *multi*, item *in ratibus* vel *de ratibus* (utrumque repraesentat cod. Cantabrig.) exhibentes. GROTIUS, OUDENDORPIUS et BURMANNUS praeferunt:

NULLIQUE *peremti*
In ratibus cecidere suis.

Doctissimus WADDELUS legebat NON *ratibus cecidere suis; sed hostium* scilicet. Non dubito, quin multis prima fronte mirum videatur, si dixero, ineptissimo interpolatori ludibrium hic debuisse summos criticos. Re tamen rite perpensa, et examinatis aequa judicii lance rationum ponderibus, eruditis hoc facile persuasum fuerit. Cedo enim,

quid PEREMTIS hic opus fuerit, ut *cadant?* Nonne et multi *vulnerati* ceciderunt? siquidem illud CECIDERUNT sine putidissima *ταυτολογία* non possit significare *mortui sunt* vel *interfecti fuerunt.* Quo vero illud NULLI? Anne, ut intelligamus, *omnes, dedita opera*, PRONOS *stetisse, ut ne in* SUAM NAVEM *caderent, sed vel in navem* HOSTILEM *vel in* AEQUOR? Nugae! Praeterea quaenam haec loquendi stribligo, *stat quisque de robore* SUAE PUPPIS, et *non ceciderunt in* RATIBUS SUIS? Adde quod, ejecto hoc emblemate, sensus non tantum integer, sed et multo elegantior sit, si legamus,

Stat quisque suae de robore puppis
Pronus in adversos ictus: cruor altus in undas
Spumat, et obducti concrescunt sanguine fluctus.

Quin, ut nullum dubium supersit, ipse poeta malam hanc repudiat et abjicit mercem, quippe qui subjungat statim,

Et quas immissi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent jungi conferta cadavera puppes.

Antiqua haec fraus fuit, siquidem omnes Codices occupavit.

Age! nunc castigemus (commodum enim hic mihi in manus incidit) elegantissimum PETRONII carmen, quod in *Satyr. Cap.* 136. legitur, insertum denuo ANTHOLOGIAE *cel.* P. BURMANNI SECUNDI *Lib.* I. *Epigr.* XLIV.

Tales Herculea Stymphalidas arte coactas
Ad coelum fugisse reor, sanieque fluentes
Harpyias, quum Phineo maduere veneno
Fallaces epulae: tremuit perterritus aether
Planctibus insolitis, confusaque regia coeli
Visa suas moto transcurrere cardine metas.

Phineum venenum nauci est. *Fallaces epulae* explicationem non recipiunt. Quomodo *aether tremat planctibus,* non video, nec, quid sit *confusa coeli regia,* ullus mortalium, credo, divinabit. *Pudore confusa* si quis explicatum iret, pudore puto confunderetur, suaeque interpretem stultitiae poeniteret. GONSALIUS *Typhoeo veneno* legebat. HEINSIUS *in Epist. ad Munckerum Tom.* V. *Syllog. pag.* 550. conjiciebat:

quum PHINEAM PAVERE CELAENO
Fallaces epulae.

frustra, ut quilibet statim sentiat, nam ulla ratio videtur, cur *Celaeno* inaudito exemplo PHINEA vocari possit. Non est, quod te diu suspensum teneam, erudite lector! En tibi manum Petronii!

Tales Herculea Stymphalidas arte coactas
Ad coelum fugisse reor, sanieque fluentes
Harpyias, cum PHINEAE CARUERE *veneno*
FELICES *epulae!* GEMUIT *perterritus aether*
Planctibus insolitis, CONCUSSAQUE *regia coeli*
Visa suas moto transcurrere cardine metas.

Fugatis enim *Harpyiis* (sive ZETES et CALAIS eas fugaverint, sive HERCULES, quod PETRONIUS, alios forte secutus auctores, maluisse videtur) *epulae* PHINEAE *jam felices erant, quae turpi Harpyiarum sanie et veneno carerent.* Sic *epulas dulces* eadem in hac historia dixit STATIUS *Lib.* VIII. *vs.* 254. ubi *hilarem* inducit Phinea, uti VALER. FLACC.

In ratibus cecidere suis. cruor altus in undis
Spumat, et obducto concrescunt sanguine fluctus.
Et quas immissi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent jungi conserta cadavera puppes:
Semianimes alii vastum subiere profundum,
Hauseruntque suo permistum sanguine pontum.
Hi luctantem animam lenta cum morte trahentes,
Fractarum subita ratium periere ruina.
Irrita tela suas peragunt in gurgite caedes:
Et quodcunque cadit frustrato pondere ferrum,

572. ratibus, *ra* ex alia litera manu sec. correctae sunt, c. und*am*, c. und*is*, sed *is* man. sec. b. 573. obducti concret*o*, b. c. d. 575. Con*f*erta, d. 576. Semianimes*que*, *que* a man. sec. additum est, b. 577. s*a*nguine, *a* man. sec. in membr. erasa, b. 579. per*i*ere, man. sec. in membr. erasa, et ad marginem a man. alia *periere*, c. 580. caedes, addito *vel strages*, b.

Lib. IV. *vs.* 532. *laetum* vocat *ob insolitam felicitatem:*

Ipse inter medios, ceu dulcis imagine somni
LAETUS, *ad oblitae Cereris suspirat honores:*
Agnoscit Bacchi laticas, agnoscit et undam,
Et NOVA NON PAVIDAE *miratur* GAUDIA MENSAE.

GEMUIT PLANCTIBUS INSOLITIS *aether*, id est, *insolito stridore pennarum sonuit*, ut loquitur LUCAN. *Lib.* IX. *vs.* 168.

SONUIT *percussus* PLANCTIBUS AETHER.

GEMERE hic proprie. Sic de *alis Boreae* VALER. FLACC. *Lib.* I. *vs.* 577.

Omne Dei madidis NEMUS INGEMIT ALIS.

CONCUSSA vero HORRORE *coeli regia* se ipsam satis tueri potest.

JEV.

572. — *cruor altus in undis Spumat,]* Manuscripti, *undis*, *unda*, *undas*. Hoc ultimum recipio. Sic supra *v.* 190.

Colchis et Adriacas spumans *Absyrtis* in undas.

581. — *frustrato pondere]* Obscurius hoc dictum videtur *cel.* BURMANNO et nescit, an ita hoc intelligi debeat, *quia nimis leve hoc erat, ut in adversam navim venire non posset, sed in mare cadens ibi vulnus inveniret. Frustrato verbere* tamen rescribere non audet, licet hae voces saepe confunduntur. Ego (si *pondere* sit a manu aucto-

Exceptum mediis invenit vulnus in undis.
Phocaicis Romana ratis vallata carinis,
Robore diducto dextrum, laevumque tuetur
Aequo marte latus: cujus dum pugnat ab alta
Puppe Tagus, Graiumque audax aplustre retentat,

583. vall. rat. Rom. c. Roman*a*, *a* man. sec. in membr. erasa, b. 585. *E* quo, d. 586. *L*agus, b. d. sed *La* in b, man. sec. amplustre, c.

ris) putem, FRUSTRATO PONDERE hic nihil aliud significare, quam *irritum* et *sine ullo pondere*, ut VERBA et PROMISSA *irrita*, et *vana*, quae *sine pondere esse*, sive *pondere carere* dicuntur. OVID. *Epist. Heroid.* VI. *vs.* 110.

> *Cur tua* POLLICITO PONDERE
> *verba* CARENT?

id est, *cur* IRRITA *sunt et* FRUSTRANTUR PONDERE? Sic SAGITTAM NUMQUAM FRUSTRATAM, sive *numquam irritam* dixit STATIUS *Epithal. Stellae et Violantillae vs,* 62. VIRGIL. *Lib.* VI. *Aen. vs.* 491.

> *inceptus* CLAMOR FRUSTRATUR HIANTES.

id est, *os frustra aperiunt sine voce*, sive, *vox destituit ora clamantia.* Vel (si quid mutandum sit) rescribere haud dubitem,

> *Et quodcumque cadit* FRUSTRATUM VULNERE *telum,*
> *Exceptum mediis invenit* FUNUS *in undis.*

ut sit, *quodcumque irritum et* SINE VULNERE *telum cadit*, *in mari* INVENIT, QUEM INTERIMAT *et* INTERFICIAT. Ut ita explicet auctor, quod *vs.* 580. dixit,

> IRRITA TELA *suas* PERAGUNT
> *in gurgite* CAEDES.

Ita aestus BURMANNI facile componi videtur. *funus* et *vulnus* saepe confusa. *Vid. Prodrom. pag.* 31. Eligat lector.

Nunc obiter emendabimus elegantissimum carmen, quod ex FABRETTI *Inscriptionibus* Anthologiae suae inseruit *cel.* P. BURMANNUS SECUNDUS *Lib.* I. *Epigr.* XLIX. Ita vero illud lego,

> *In urbe* AXIMAE *et Tarantasiae in Alpibus.* SYLVANO.
> *Sylvane,* SACRAE SEMO TUTOR AXIMAE,
> TARANTASIIQUE *summe custos hortuli,*
> *Tibi hasce grates* DEDICABO *musicas:*
> *Quod me per* ARMA, *perque montes Alpicos,*
> HUJUSCE *luci suaveolentis* HOSPITEM,
> *Dum jus guberno remque fungor Caesarum,*
> *Tuo favore* PROSPERARIS SOSPITEM.
> *Tu me meosque reduces Romam sistito,*
> *Daque Itala rura te colamus praeside,*
> *Ego* TUNC *dicabo mille magnas arbores.*

Sacrae SEMO TUTOR AXIMAE scripsi, paulo melius, puto, vulgato illo *sacra semicluse fraxino*, qualem Sylvanum nemo mor-

Terga simul pariter missis et pectora telis
Transigitur. medio concurrit pectore ferrum,
Et stetit incertus flueret quo vulnere sanguis,
Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas,
Divisitque animam, sparsitque in vulnera letum.
Dirigit huc puppim miseri quoque dextra Telonis,

588. Trans*f*igitur, d, quod in c quoque fuisse videtur, litera aliqua inter *s* et *i* deleta. 589. incert', 'man. sec. in membr. erasa, b. 591. *in*, abest ab c. 592. puppem, c. d.

talium umquam audiverit. SEMO, quia SYLVANUS est unus ex illis minorum gentium Diis, quos SEMONES vocabant Romani. FULGENT. *de prisc. Serm.* [p. 773. Stav.] SEMONES *dici voluerunt Deos, quos nec* COELO *dignos* ADSCRIBERENT *ob meriti paupertatem, sicut* PRIAPUS, HIPPONA, VERTUMNUS; *nec* TERRENOS *deputare vellent per gratiae venerationem, etc.* Ita SEMO SANCUS FIDIUS vocabatur *Hercules. Vidè* PROPERT. *Lib.* IV. *Eleg.* IX. *vs.* 74. ibique BROUKHUS. *et* HEINS. *ad* OVID. *Lib.* VI. *Fast. vs.* 216. TUTOR *Aximae, qui fines Aximae et Tarantasiae tuebatur.* HORAT. *Epod.* II. *vs.* 21.

Qua muneretur te, Priape, et te, PATER
SYLVANE, TUTOR FINIUM.

TARANTASIIQUE *custos hortuli*, pro *et hujus alti. taraltasi* forte scriptum fuit, quod cum ignorarent librarii, *et hujus alti* substituisse videntur. *Proconsul* hic, credo, AXIMAE fuerit, et VILLAM juxta urbem Tarantasiam habuerit CUM LUCO, unde LUCI *ejus* HOSTITEM se vocat, *quia ad tempus ibi cum imperio erat.* PROSPERARIS SOSPITEM lego pro vulgato *prosperanti sospitas*, id est, *quod me sospitem et Fortuna auctum volueris et servaveris:* nam jam provincia decessurus erat, ut patet, quia votum pro reditu facit. *Per* ARMA sive per *bella*, et fere dubito an MOTUS *Alpicos* dederit. Reliqua ultro patent.

JEV.

587. — *simul pariter*] Utut *cel.* BURMANNUS hoc speciosa defensione tueri velit, ut poeta scilicet *idem tempus* et *eundem ex adverso locum* notare voluerit, *ut duo simul tela ex duabus partibus emissa, eodem tempore et per ejusdem pectus et tergum coeuntia, sibi obvia fierent:* nihilominus, nescio quomodo, illud *simul pariter* mihi displicet. In Cod. membranaceo in forma, ut ajunt, quarta, quem usui meo concessit *cel.* BURMANNUS SECUNDUS, erat *terga simul missis pariter et p. telis.* Forte dederit poeta,

Terga simul missis ADVERSAQUE *pectora telis*
Transigitur, medio concurrit CORPORE *ferrum.*

hoc enim nisi admittamus, ineptissimae *ταυτολογίας* absolvi nequeat Lucanus. *Medio in corpore* tela concurrunt, non *in*

Qua nullam melius, pelago turbante, carinae
Audivere manum: nec lux est notior ulli
Crastina, seu Phoebum videat, seu cornua lunae,
Semper venturis componere carbasa ventis.
Hic Latiae rostro compagem ruperat alni:
Pila sed in medium venere trementia pectus,
Avertitque ratem morientis dextra magistri.

598. Pila, sed pro varia lectione *Tela*, b. quod legitur in c. *tr*ementia, *tr* in membr. erasa, c.

medio pectore. Nescio, quomodo hoc summorum criticorum fugerit industriam!

JEV.

593. *Quanullam melius]* Locum hunc non cohaerere recte sensit *cel.* BURMANNUS, qui illud *semper* mendae merito suspectum habet, et ADJECTIVUM desiderari opinatur, unde INFINITIVUS *componere* necessario pendeat, adeoque conjicit,

CERTUS *venturis componere carbasa ventis.*

Certus tamen τῷ *dextra* convenire non potest. Variant hic Codd. *nullae* Witt. Sixian. Voss. pr. Hamb. pr. et ed. Hortensii, *nullum* duo alii et LUTAT. *ad* STAT. *Lib.* v. *Theb. vs.* 412. qui et vitiose *turbare* pro *turbante* exhibet. *pelagus* Voss. pr. Richel. et Oisel. a m. pr. *pelagi* fragm. S. Germ. *adjuvere* Thuan. quart. *nocior* tres. *ulli* Hamb. quart. *ullis* Richel. Illud EST quin a librario intrusum sit, nullum mihi dubium, qui forte in Cod. offendit,

neC l̄x nocior um . . .

uni hoc esse putavit, adeoque, ut metrum restitueret, τὸ *est* infarsit. Ex illo vero *uni* profluxisse tandem crediderim *ulli* et *ullis*, prouti saepe *unus* et *ullus* in MSS. confusa. *vid.* BURMANN. ad LUCAN. *Lib.* x. *vs.* 461. et 480. Si mentem poetae bene cepi, ut puto, rescribendum fuerit,

Dirigit huc puppim miseri quoque dextra Telonis
(Qua NULLAM *melius, pelago turbante, carinae*
Audivere manum, nec CUI *lux notior* UMQUAM
Crastina, seu Phoebum videat, seu cornua lunae)
SOLLERS *venturis componere carbasa ventis.*

ut sensus sit, *prae qua Telonis manu nulla* (ALIA) *fuit, quam* MELIUS *sive* LIBENTIUS *audire vellent carinae, cujus manu libentius in turbido mari gubernari mallent, et prae qua nulla* (ALIA) *fuit* UMQUAM, *cui tempestas crastina ex signis prognosticis solis et lunae notior fuit. Nec cui* UMQUAM *notior fuit.* Sic VIRGIL. *Lib.* I. *Georg. vs.* 424.

Si vero solem ad rapidum lunasque sequentes
Ordine respicies, NUMQUAM TE CRASTINA FALLET
HORA, *neque insidiis noctis capiere serenae.*

Dum cupit in sociam Gyareus erumpere puppim,
Excipit immissum suspensa per ilia ferrum,
Affixusque rati, telo retinente, pependit.
Stant gemini fratres, foecundae gloria matris,
Quos eadem variis genuerunt viscera fatis:
(Discrevit mors saeva viros: unumque relictum

600. Giareus, c. d. ita semper, *i* in membr. erasa, d. *erumpere*, *e* in membr. erasa, b. puppem, b. c. ut semper. 605. Decrevit, sed in margine *Discrevit*, c.

id est, *numquam tibi ignota fuerit tempestas crastina*, ut jam constet, VIRGILII ex fonte hortulum suum hic irrigasse LUCANUM. *τὸ cui* exciderat negligentia librarii, qui majusculam literam in *neC* attendisse non videtur. SOLLERS scripsi pro *semper*, quod menti auctoris non congruit et sensum turbat. *S̄trs* et *S̄pr* confundi facile possunt praesertim initio versuum, vel ignoto vocabulo *S̄lrs* notius substituit forte librarius. SOLLERS est *cautus*, *callidus*, *prudens*, et *bono gubernatori* SOLLERS *dextra* optime convenit. Sic SOLLERTIOR *hostis* est *callidior*, *cautior* LUCANO *Lib.* IV. *vs.* 724. SOLLERS *componere* eleganter, ut HORAT. *Lib.* IV. *Od.* VIII. *vs.* 8. de PARRHASIO et SCOPA, *quorum*, ut ait,

HIC *saxo*, *liquidis* ILLE *coloribus*
SOLLERS *nunc hominem* PONERE, *nunc deum.*

Ita hic satisfactum jam videatur desideriis optimi magistri, cujus fideli institutioni doctisque colloquiis, quibus frui olim licuit, quidquid in critica arte valeo, acceptum usque gratus referam haud degener discipulus; quique hic in debitarum huic emendationi laudum partem merito venire videtur; quippe absque hac defecatissimi illius judicii observatione forte aeternum latuisset.
JEV.

600. *Dum cupit in sociam Gyareus erumpere puppim,]* Codices quidem *irrepere*, quod ad Silium recipit N. Heinsius, sententia ipsa hoc postulante. Quippe si *erupisset* in navim, et non *irrepsisset*, qui potuit fieri, ut telo affigeretur rati?

605. *[Discrevit mors saeva viros:]* Omnino parenthesi hic opus, quam visum est addere. GROTIUS. Nec tamen vel illa parenthesi sententia perspicua fit. Quorsum enim ista, *Discrevit mors viros*, et *sublato errore?* cum nihil dixerat de formae similitudine: non ita Virgilius, quem prae oculis hic Noster habuit, Aeneid. x, 390.

Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis,
Daucia, Laride Thymberque simillima proles,
Indiscreta suis, gratusque parentibus error:
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas.

Agnorunt miseri, sublato errore, parentes,

606. Agno*scunt*, sed *scunt* in membr. erasa, b. agnorunt, ita ut *runt* in membr. erasa sit, d.

At Noster nihil omnino de forma:

Stant gemini fratres, fecundae gloria matris,
Quos eadem variis genuerunt viscera fatis:
Discrevit mors saeva viros.

Quid? an credidit omnes gemellos simili facie nasci? Incredibile vero hoc est: et aut versus excidit, aut sic vel simile quid scripsit,

Quos eadem simili *genuerunt viscera* forma.

BENTL.

Miror hic non offendisse summos criticos, quum locus hic sit inquinatissimus, et diversis mendis scateat. *Cel.* BENTLEJUS solus sensisse videtur aliquid latere; quia nihil in toto loco *de similitudine geminorum, quos* MORS DISCREVISSE *dicitur, adeo ut tum tantum superstitem agnoscere parentes potuerint*, notavit poeta: quare audaciuscule refingit,

Quos eadem SIMILI *genuerunt viscera* FORMA.

Nollem factum! *Fratres gemini* legatur, an *gemini fratres* (de quo disputant viri doctissimi) parum refert, quia ineptissimi sunt; nam GEMINI, nisi fallor, suffecerit. Verum quam absurde jam FRATRES hi GEMINI *ex iisdem visceribus* prodiisse dicantur, nemo non videt; nam *ex* DIVERSIS VISCERIBUS *geminos prodire* monstrum fuerit, nullo piaculo expiandum! Sed quid tum? *sublato errore tandem agnoscunt parentes?* Nugae! nam et utrosque vivos *agnoscebant*, licet DIGNOSCERE nequirent. Quae cum ita sint, severa critica dictat, rescribendum esse,

Stant gemini SIMILES, *fecundae gloria matris,*
Quos eadem variis genuerunt SIDERA *fatis:*
Discrevit mors saeva viros, unumque relictum
DIGNORUNT *miseri, sublato errore, parentes.*

SIMILES erant *gemini* hi, adeo ut parentes dignoscere non possent. VAL. FLACC. *Lib.* I. *vs.* 366.

Deucalion certus jaculis et cominus ense
Nobilis Amphion, PARITER QUOS EDIDIT *Hypso,*
Nec potuit SIMILES *voluitve ediscere* VULTUS.

Eadem SIDERA scripsi, nam *viscera* ineptum. *Eodem tempore nati* GEMINI *idem natale astrum, eumdem horoscopum* habent, unde hic tamquam singulare quid notat auctor, eos non IISDEM, sed DISPARIBUS FATIS natos fuisse. *Dignorunt* ipsa sententia vindicat, ceu patet ex eo, quod praecessit, DISCREVIT *mors saeva viros.* Sic *discernere* pro *dignoscere*, *discrimen agnoscere* dixit CLAUDIAN. IV. *Cons. Hon. vs.* 211.

Eurotas proprios DISCERNERE *nescit alumnos.*

ubi *dinoscere* erat in Mazar. Cod. Hoc *ediscere* vocat VALER. FLACC. *l. c.*

NASONI laboranti opem tulisse juvat, apud quem *Lib.* II. *Amor. Eleg.* XVI. *vs.* 15. haec vulgo leguntur,

Solliciti jaceant, terraque premantur iniqua,
In longas orbem qui secuere vias:
Aut juvenum comites jussissent ire puellas,
Si fuit in longas terra secanda vias.
Tum mihi, si premerem ventosas horridus Alpes,
(Dummodo cum domina) molle fuisset iter.

Mendae mihi merito suspectus semper visus hic locus. Quis enim ferat hanc ineptam *ταυτολογίαν*, TERRAM *iniquam sentiant, qui orbem sive* TERRAM *secuere in longas vias*; *aut si* TERRA *in longas vias* etc. Quid vero est *secare orbem in longas vias?* Tum quid VENTOSAE hic ALPES faciant inter SYRTES, SCYLLAM, CHARYBDIN et MALEAM, fateor me ignorare cum ignarissimis. In aliis Codd. teste HEINSIO erat *ventosi turbine ponti.* Quare valde demiror, illustr. virum, ea, qua fuit, judicii acie ingeniique subtilitate, latere potuisse veram Ovidii mentem, qui de maritimo itinere hic loquens de Alpibus somniare neutiquam potuit. Non dubito, quin nobis hoc modo reliquerit poeta,

Solliciti jaceant, terraque premantur iniqua,
In longas TETHYN *qui secuere vias;*
Aut juvenum comites jussissent ire puellas,
Si fuit in longas ILLA *secanda vias.*
TUNC *mihi, si* PREMERER VENTOSI TURBINE PONTI,
(Dummodo cum domina) molle fuisset iter.
Cum domina Libycas ausim perrumpere Syrtes,
Et dare non aequis vela ferenda LOCIS.

SECUERE TETHYN *in longas vias*, id est, *maria navibus findere atque aperire coeperunt in longas peregrinationes.* ORBIS nihil ad rem, qui ab inepta correctoris manu fluxit. Librarii in Cod. *t̄tn* offendentes, quid esset, ignari, *terram* dederant; quare, ne ter frustra repeti videretur *terra*, correctum fuit *orbem.* Ita stupida illa librariorum natio in MANILIO idem scribendi compendium *t̄tn*, quod TITAN notabat, in *totum* corruperat. vid. supra ad ṽ. 337. *Secare*, *findere Tethyn*, *mare*, *ratibus* poetis frequens. CLAUDIAN. *Praef. Lib.* I. *de R. P. initio:*

Inventa primus SECUIT *qui nave* PROFUNDUM.

tentare Thetin ratibus dixit VIRGIL. *Ecl.* IV. *vs.* 32. Aliis innumeris et passim obviis exemplis hic supersedeo. Unde *illa* pro *terra* sponte se ingessit. Mox PREMERER *ventosi* TURBINE *ponti*, sive *in aequore procellis et tempestate jactare. Premere* eleganter de *procella.* OVIDIUS:

Immeritumque PREMIT *dira* PROCELLA CAPUT.

inde apud HORAT. *Lib.* I. *Od.* XIV. *vs.* 10. *navis* MALO PRESSA sive *tempestate vexata* dicitur. LOCIS porro *non aequis*, id est, *iniquis vadis*, recripsi. PROPERT. *Lib.* I. *Eleg.* XVII. *vs.* 10.

Sat tibi, sat poenae NOX *et* INIQUA VADA.

ubi similiter NOX sive *tempestas* cum *iniquis vadis* conjungitur. Probant SCYLLA, CHARYBDIS et MALEA, quae sequuntur. Nam de *ventis* postea demum loquitur *vs.* 27.

Quod si Neptunum ventosa potentia vincat,
Et subventuros auferat AURA *Deos.*

ita enim ibi legendum pro inepto *unda.* AURA explicat hic

Aeternis causam lacrymis: tenet ille dolorem
Semper, et amissum fratrem lugentibus offert.)
Quorum alter, mistis obliquo pectine remis
Ausus Romanae Graia de puppe carinae
Injectare manum: sed eam gravis insuper ictus
Amputat: illa tamen nixu, quo prenderat, haesit,
Diriguitque tenens strictis immortua nervis.
Crevit in adversis virtus: plus nobilis irae
Truncus habet: fortique instaurat proelia laeva,
Rapturusque suam procurrit in aequora dextram.
Haec quoque cum toto manus est abscissa lacerto.
Jam clypeo, telisque carens, non conditur ima

607. *Aeternis*, *s* in membr. erasa, et supra *Ae* scriptum est *vel al*, b. Aeter*nam*, d. 609. pectore, lineola subducta et superne scripto *pectine*, sine signo, b. 611. manum *est*, d. 612. nisu, b. c. d. 613. *im*mortua, *im* man. sec. b. 616. procu*mb*it, b. c. d. aequor*e*, b. 617. abscisa, b. c. d. 618. *Et* clyp. c. te*lo*que, d. conditur, *ur* a man. sec. b. condit*us*, c.

ventosam potentiam, cujus mentionem fecerat. In Neap. et Mentelii Codice enim *illa* legebatur, corrupta videlicet propter praecedens *auferat* priore syllaba.

JEV.

607. — *tenet ille dolorem*] Quid hic significet illud *tenet dolorem*, videre nequeo, cum neque de fratre superstite, neque de parentibus, quibus amissum fratrem in memoriam revocat, commode capi possit. Credo reliquisse poetam,

MOVET *ille dolorem*
Semper et amissum fratrem
lugentibus offert.

movet dolorem parentibus, quotiescumque eum aspiciunt, quia semper fratris occisi memoriam illis revocat. Sic *movere* et *tenere* confusa. *vid.* BURM. *ad Lib.* III. *vs.* 2.

mediumque rates TENUERE *profundum.*

ubi in tredecim Codd. erat *movere.* Posset et legi NOVAT pro *renovat*, ut VIRGIL. *Lib.* II. *Aen. vs.* 3.

Infandum, regina, jubes RENOVARE *dolorem.*

sed prius placet. Mox malim HORUM *alter etc.* quomodo parenthesi opus non fuerit, quae certe nihil elegantiae poetae addere videtur.

JEV.

616. *Rapturusque suam procurrit in aequora dextram.*] A-

Puppe: sed expositus, fraternaque pectore nudo
Arma tegens, crebra confixus cuspide perstat:
Telaque multorum leto casura suorum

pago illud *procurrit*, non in litore et vado res agitur, sed in alto mari. Nostri omnes codices recte habent PROCUMBIT; pronus scilicet ex latere navis.

621. *Telaque multorum*] Offendit merito *cel.* BURMANNUM insuavis ille rhythmus in *multorum* et *suorum*, qui et longe diversam a reliquis ex fragmento S. Germ. hic profert lectionem,

Tela tot in puppim leto casura suorum.

leto CESSURA legebat HEINSIUS, licet postea induxerit. Quin tamen illud *cessura* a manu poetae sit, nullus equidem dubito. Ast vero, quid *emerita mors* sit, plane ignorare me fateor, qui *emeritis annis*, *emeritis stipendiis*, saepe legerim, at *emerita morte* numquam. Unde neque EMERITUM illud *donum* mihi placere potest *Lib.* I. *vs.* 357. ubi malim legere,

Summi TUNC *munera pili*
Laelius, EMERITOQUE *gerens insignia* CONO
Servati civis referentem praemia quercum.

ut Laelius in SUMMO GALEAE EMERITAE CONO *querneam coronam gestaverit.* Eodem fere modo Mopsus apud VAL. FLACC. *Lib.* I. *vs.* 385. describitur, *vittatam cassida gerens et laurum in summo cono:*

Hic vates Phoebique fides non vana parentis
Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurno
Palla imos ferit alba pedes, VITTATAQUE FRONTEM
CASSIS, *et* IN SUMMO LAURUS PENEIA CONO.

Crediderim, poetam nobis hoc modo reliquisse,

Telaque MILLE UNUS, *leto* CESSURA *suorum,*
Emerita jam SORTE, *tenet.*

MILLE *tela* UNUS *tenet*, *quae alias leto suorum cessissent.* Ita *Lib.* IV. *vs.* 205. *de* SCAEVA *centurione* similiter dixit,

TOT VULNERA BELLI
SOLUS OBIT, *densamque ferens in pectore silvam,*
Jam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem.

Nam illud, *Tela tot in puppim*, quod in fragmento S. Germ. exstat, a manu docti viri fluxisse videtur, qui ita correxit ad tollendum illum rhythmum; siquidem et conjunctio abesse non potest, et *puppe vs.* 619. praecessit, et *vs.* 626. denuo sequitur *puppim.* CESSURA *leto* lego, sive *quae illis mortem intulissent*, ut dicimus *cedere lucro* et *in lucrum.* Sic *temeritas* GLORIAE et IN GLORIAM CEDERE dicitur CURTIO *Lib.* III. *Cap.* VI. SORTE *emerita* rescripsi, id est, *casibus* et *belli periculis*, *quibus defungi cogebatur* LEGE FATORUM, *et quibus jam defunctus* (ut bonus miles, emeritis stipendiis, RUDE *donari* solebat) MORTE *plenam libertatem adepturus erat.* MANILIUS *Lib.* I. *vs.* 422. *de nave Argo*:

EMERITA *et magnis tandem* DEFUNCTA PERICLIS.

EMERITA SORS eleganter de eo, qui *jam* SUA FATA PEREGERAT, ut loquitur *de Afranii militibus, qui se Caesari dedentes vacationem a militia petebant, Lib.* IV. *vs.* 361.

Emerita jam morte tenet. tum vulnere multo
Effugientem animam lassos collegit in artus:
Membraque contendit toto quicunque manebat

623. lapsos, o. 624. quaecunque manebant, d.

Turba haec SUA FATA PEREGIT.

Sors est *status*, *conditio*, *vitae genus*, *quod fato mortalibus datur; seu* LAETA *seu* TRISTIS, GRAVIS *aut* LEVIS, DURA *vel* ASPERA *obtingat*. Sic DURISSIMA FATI SORS *Lib.* IX. *vs.* 1046. et *Lib.* VIII. *vs.* 395.

Sed tua SORS LEVIOR, *quoniam mors ultima poena,*
Nec metuenda viris.

et ibid. *vs.* 452.

MITISSIMA SORS EST
REGNORUM *sub rege novo.*

SORTE igitur EMERITA est *vita exacta*, *fatisque peractis*. *Sors* et *mors* saepe confusa. vid. *cel.* BURMANN. ad *Lib.* VII. *vs.* 818. et VIII. *vs.* 703.

Intermissum aliquamdiu MANILIUM repetamus, eique, quantum in nobis est, salutem restituamus. Locus corruptus est *Lib.* II. *vs.* 926. ubi nunc legitur,

Haec tutela decet Venerem, sua tela movere.
Nomen erit Fortuna loco; quod percipe mente,
Ut brevia in longo compendia carmine praestem.

Non cohaerent haec, neque illud *movere tela* a verbo *decet* ullo modo dependere posse videtur. Quin *Nomen erit Fortuna loco* adeo ineptum est, ut vix dici possit, cum *vs.* 916. dixerit, *Huic parti Dea* NOMEN *erit*. STOEBERUS dedita opera hoc agere hic videtur, ut pravas lectiones defendat et tueatur contra BENTLEJUM. Quippe qui ex Regiom. Ed. profert:

Quocirca humanae propria est haec addita parti,
Jus et connubia et thalamos taedasque gubernet.

Vis, quod in aliis Codd. exstat, ipsius judicio a librario profluxerit, ut nos doceat scilicet, *jus et connubium* per figuram ἓν διὰ δυοῖν notare posse *jus connubii*, utut *haec propria* sic nihil habeat, quo referri possit: tum vero reliqua ita explicat, ut MENS significet *mentem loci*, id est, *dispositionem et habitum*, *vim ejus et efficientiam*, et *compendia brevia* PRAESTENT legit ex Regiomontano, hoc sensu, *ut compendiaria ratio* PRAESTET *i. e. praecellat vel extantior sit in carmine longo*. Quae qualia sint, aliorum judicio permitto, nam quid sibi velint, ego non intelligo. Crediderim, nobis dedisse poetam,

Haec tutela DEAE. *Venerem* HINC *sua tela movere*
CONVENIT! HAEC FORTUNA LOCI, QUAM *percipe mente,*
Ut brevia in longo compendia carmine PRAESTET.

ARX MEDIA *coeli inter occasum et ortum est in tutela Veneris*, inquit poeta. *Haec Deae sedes convenientissima est*, *quia* IN FACIE MUNDI, ut *vs.* 923. ait; *ex eo loco*, INDE *decet Venerem movere tela*. *Haec loci hujus fortuna est*, *ut Venerem* TUTELARE NUMEN *habeat*. *Hoc sagaci mente observes velim*, *ut*

Sanguine, et hostilem, defectis robore membris,
Insiluit, solo nociturus pondere, puppim.
Strage virum cumulata ratis, multoque cruore

625. membris et pro varia lectione *nervis*, b. quod legitur in c et d. 626. puppim, *im* a man. sec. b.

in longo hoc carmine tibi aliquam brevitatis utilitatem praestet. HAEC TUTELA DEAE lego, id est, *hic locus est in tutela Deae; hoc loco regnat Venus viresque suas exercet,* ut *vs.* 239. de Saturno loquitur. Sic TUTELA JOVIS apud HORATIUM *Lib.* II. *Od.* XVII. *vs.* 22.

> *Te* JOVIS *impio*
> TUTELA *Saturno refulgens*
> *Eripuit, volucresque Fati*
> *Tardavit alas.*

Dein CONVENIT HINC, optimo sensu. *Nullus hoc convenientior locus est*, UNDE SUA TELA MITTAT *Venus.* VENEREM enim ARCU *et* SAGITTIS *armatam* vidimus *supra* ad *v.* 390. fin. Facilis vero hic confusionis fuit occasio, librariis *tò Cnvnt* in *nmn erit* mutantibus. Extrita enim, ut fieri solet, initio versus priore litera, in MSS. vix differunt. PRAESTET vero COMPENDIA BREVIA, nisi fallor, hic fuerit *lucrum brevitatis afferat, ne mox illud iterum repetere cogar.* COMPENDIA sunt *lucra* MANILIO. Ita *Lib.* IV. *vs.* 19. DAMNA et COMPENDIA *rerum* opponit. et *vs.* 175.

> *Ingenium sollers suaque in*
> COMPENDIA *pugnax.*

et apposite magis ad sensum hujus loci *Lib.* III. *vs.* 276.

> *animo cognosce sagaci,*
> NE MAGNA IN BREVIBUS PEREANT COMPENDIA DICTIS.

id est, *ne negligentia tua ingens brevitatis lucrum deperdas;* quo in loco STOEBERUS hanc vocem ex mente poetae melius, quam hic, cepisse videtur: neque enim MANILII, credo, aevo *compendiariam docendi rationem* significaverit. Sed manum de tabula.

JEV.

625. — *defectis robore membris,]* Versu praecedente habuimus, *Membraque contendit.* Repone igitur ex melioribus codicibus,

> — *defectis robore* NERVIS.

Sic et IV, 372.

> — *mox robora* nervis
> *Et vires rediere viris.*

[Ita quoque laudat hunc versum Bentlej. ad Phaedr. I, 21, 3.

WEB.]

627. *Strage virum]* Dubium lectori hic videri possit, de qua nave loquatur poeta, utrum de *Massiliensi*, an vero de *hostili Romana*, quam moribundus insiluit magnanimus heros, ut solo eam pondere opprimeret atque demergeret? Sane de *Massiliensi* absque insigni Lucani opprobrio capi haec nequeant, quippe qui summae tunc incogitantiae accusandus foret, siquidem, mergi fingens ratem, Thrasonis hujus fratrem ita nullo miraculo servare potuerit, ut *perpetuum parentibus dolorem moveret et amissum fratrem lugentibus offerret*, quod *vs.* 707. voluit. Quare de *hostili Roma-*

Plena per obliquum crebros latus accipit ictus.

norum rate haec capienda, ut cum Ascensio recte observavit *cel.* Oudendorpius. Verum ut jam illud etiam reapse ex ipsis poetae verbis pateat, neve ullum amplius dubium supersit, crediderim hic rescribendum esse,

Strage viri *cumulata ratis* etc.

Neque mirum alicui videri debet, Stragem hic de *uno homine* dici, siquidem *incomparabilis* hic Heros,

Innumerique instar militis *unus erat!*

Quare fingit poeta τερατολόγος, *pondere hujus cadaveris* sive strage *hujus herois tantam hostili rati cladem illatam fuisse, ut, laxatis compagibus hausto mari, ad summos foros repleta tandem demersa sit.* Strages, a *sternendo* dicta, *cladem* notat, *quam vis tempestatis silvis, segeti etc. inferre solet.* Virgil. *Lib.* xii. *Aen. vs.* 452. *de* nimbo, *sata sternente,*

dabit ille ruinas
Arboribus stragemque satis.

Hinc Lucan. *Lib.* v. *vs.* 591. stragem καταχρηστικῶς vocat ipsam *tempestatem:*

Quid tanta strage *paretur,*
Ignoras! Quaevis coeli pelagique tumultu,
Quid praestet Fortuna mihi!

Inde pro *multitudine rerum dejectarum* hac voce uti coeperunt. Sic *veteris pruinae* stragem dixit Valer. Flacc. *Lib.* v. *vs.* 159. et *ingentem* malorum stragem pro *multitudine* dixit Senec. *Thyest.* 929. Hinc et stragem *fatorum* pro *ingenti multitudine* librorum Sibyllinorum *de fatis variarum gentium* posuit Lucanus *Lib.* v. *vs.* 185.

Talis in Euboico vates Cumana recessu,
Indignata suum multis servire furorem
Gentibus, e tanta fatorum strage, *superba*
Excerpsit Romana manu.

strage fatorum, id est, *librorum Sibyllinorum, in antro jacentium, multitudine. Vid. ibi* Scholiasten et Lactant. *Divin. Instit. Lib.* i. *Cap.* vi. Hinc non tantum de *multitudine cadaverum stratorum,* uti passim apud poetas, sed et de *singulis jacentibus cadaveribus* dici coepit. Claudian. *Cons. Prob. et Olyb. vs.* 110.

Crescunt in cumulum strages.

Cadavera nempe *jacentia,* ut recte cepit optime de me meritus magister *cel.* Burmannus, nam *stragem in stragem crescere* nemo dixerit. Sic *de Bell. Gildon. vs.* 59.

Quid referam morbive luem, cumulosque repletos
Stragibus *et* crebras *corrupto sidere* mortes.

Ceterum vel sic Lucanus ineptiarum hic absolvi nequit, qui inani tumore putidissimos *Romanensium historiolarum* scriptores et delirantia gentis suae ingenia longo post se intervallo relinquit. Olim, fateor, Cynaegiri, Atheniensium militis, virtutem, a Justino *Lib.* ii. *Cap.* ix. splendidis adeo oratoriae artis phaleris ornatam, fabulam putavi, quippe ab omni veri similitudine prorsus alienam: ast cum praeclari hujus herois facinore eadem collata si fuerit, vera jam historia videri possit! Iustissimam hac parte in poetam ne-

strum censuram exercuit *cel.* Burmannus *in elegantissima Praefatione*, ubi ingentem hujusmodi nugarum ex eo farraginem profert, eoque, quo merentur, risu et contemtu merito explodit. Sapere his exemplis castae poesios cultores, et infames hos scopulos, ad quos magni poetae aliquando naufragium fecerunt, vitare discant, cum viderint, quam turpiter se prostituant tumida illa ingenia, dum putidas illas τερατολογίας studiose affectant, heroasque suos *talibus* IMAGINIBUS depingunt, *talia* FACINORA, *ejusmodi* denique MORES, *ejusmodi* ORATIONEM iis affingunt, ut famigeratissimi Hispaniarum herois Quichotii stupendam virtutem bellicam, paremque celso ejusdem animo magniloquentiam, suavi non minus quam ridicula audacia, aequare et superare voluisse videantur. His et similibus tamen nugis olim sibi valde placebant inepti poetastri, seque magnificos viros faciebant; neve plausu, quem non meruisse sibi satis conscii erant, destitutos se dolerent, *amicorum, notorum* et *ignotorum* ENCOMIA palam nundinari solebant! Hanc stultam ambitionem lepide non minus quam salse perstringit Persius *Satir.* 1. *vs.* 28. *et seqq.* Utinam ne umquam adeo delirent felicia hujus seculi ingenia! Stetit longo jam tempore (quod dolendum!) prava illa κακοζηλία in vitiis veterum magis quam virtutibus imitandis, de qua merito suo aevo jam questus olim Petronius. Sed neque monitis quidquam proficitur, nec querelis! Hujusmodi enim vervecibus

Cerritum caput haud fuerit
sanabile tota
Anticyra!

Nunc Lyricorum Principi salutem afferamus, gravi vulnere saucio animamque agenti, *Epod.* v. *vs.* 87. ubi vulgo legitur:

Venena magnum fas nefasque non valent
Convertere humanam vicem.

Desperatus locus, et a variis varie tentatus, sed sine successu. Bentlejus post *Lambinum, Turnebum, Torrentium, Rutgersium* aliosque timide ad correctionem accedit, atque hoc modo refingit,

Venena Magica *fas nefasque non valent,*
Non vertere humanas vices:

verum non multum placet sibi hac emendatione, putatque, *frustra operam impendi in hoc loco, qui forte* SPURIUS *et* INTERPOLATUS *sit*, SOLAQUE SPONGIA SANARI *possit!* Absit vero sinistrum hoc omen! Tentemus agedum, an non medicabile hoc ulcus, si forte blanda et facili cura aeger convalescere poeta et cum valetudine in gratiam redire possit. Crediderim, hoc modo haec restituenda,

Venena MAGICA (PRO *nefas!*) SI *non valent*
Avertere humanae vices:
Diris agam vos. Dira detestatio
Nulla expiatur victima!
Quin ubi, perire jussus, exspiravero,
Nocturnus occurram furor
etc.

Hoc sensu: *Quod si (pro nefas!) humanarum poenarum metus vos a malo hoc facinore deterrere, et magica venena vestra mihi avertere nequeant, diris vos devovebo et persequar: quin, si jussa a vobis morte exspirave-*

At postquam ruptis pelagus compagibus hausit,
Ad summos repleta foros, descedit in undas,
Vicinum involvens contorto vertice pontum.
Aequora discedunt mersa diducta carina,
Inque locum puppis cecidit mare. multaque ponto
Praebuit illa dies varii miracula fati.
Ferrea dum puppi rapidos manus inserit uncos,
Affixit Lycidam. mersus foret ille profundo,
Sed prohibent socii, suspensaque crura retentant.

629. *Sed* postq. b. d. 630. Hic et sequens versus inverso ordine in b scripti sunt, additis tamen a sec. manu literis A et B, quae justum ordinem indicent. descen*d*it, b. c. d. 632. descen*d*unt, c. 634. ill*e*, b. d. 636. L*i*cidam, b. d. a*f*ixit, c.

ro, *noctu furialis umbra vobis occurram etc.* PRO NEFAS! Apta indignanti puero interjectio, qui videbat, se mollibus verbis et precibus nihil profecisse *vs.* 84. Dein SI *non valent.* Conditionalis haec conjunctio siquidem desiderari videtur, ut aptus ad DIRAS fiat transitus. *Si humanarum poenarum metus vestris a veneficiis me vindicare nequeant, diris vos devovebo. Vices* hic proprie sunt LEX TALIONIS, *a* NEMESI *sive providentia divina sapienter constituta,* scilicet, *ut, quidquid mali quis immerito aliis fecerit, id ipse vicissim vel simile aliquid ab aliis patiatur;* unde rectissime hoc loco PORPHYRION dicit, ita appellari POENAS, *quae in sceleratos regeruntur.* Hinc dicimus VICEM *alicui*, id est PAR PARI *referre.* Vidit hoc TORRENTIUS et BENTLEIUS, qui hic apposite citaverunt geminum plane poetae nostri locum *Lib.* I. *Od.* XXVIII. *vs.* 30.

Negligis immeritis nociturum
Postmodo te natis fraudem committere; fors et
Debita jura VICESQUE SUPERBAE
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis,
Teque PIACULA NULLA RESOLVENT.

VICES enim SUPERBAE ibi sunt *poenae contemtus, quas vicissim ab alio exspectandas haberet, si naufragi preces contemsisset.* AVERTERE *alicui venena* pro *ab aliquo* elegans et probum. PROPERT. *Lib.* III. *Eleg.* XXIII. *vs.* 9.

QUOD MIHI *non patrii poterant* AVERTERE *amici.*

Avertere vero et *convertere* saepius confusa. Sic LUCAN. *Lib.* V. *vs.* 574.

Desperare viam, VETITOQUE AVERTERE CURSU
Sola salus.

Sic enim ibi legendum docebimus. Vulgo male *vetitos con-*

Scinditur avulsus: nec, sicut vulnere, sanguis
Emicuit lentus: ruptis cadit undique venis,
Discursusque animae diversa in memb·a meantis
Interceptus aquis, nullius vita peremti
Est tanta dimissa via. pars ultima trunci
Tradidit in letum vacuos vitalibus artus,
At tumidus qua pulmo jacet, qua viscera fervent,
Haeserunt ibi fata diu: luctataque multum
Hac cum parte viri vix omnia membra tulerunt.
Dum nimium pugnax unius turba carinae
Incumbit prono lateri, vacuamque relinquit,
Qua caret hoste, ratem: congesto pondere puppis
Versa, cava texit pelagus, nautasque carina:
Brachia nec licuit vasto jactare profundo,

638. sic *cum*, d. 643. Incipit ab hoc versu Cod. Lipsiens. a. Tra*dit*-vac*uis*, sed correcta in Tradidit-vacuos, c. 644. qua, *a* man. sec. in membr. erasa, b. 648. Inc*ubuit*, c. d. relinq*uunt*, et pro varia lectione *vel t*, a. rel*i*quit, b. c. sed in b. man. sec. *n* suprascripsit. 649. *robore*, a. c. sed in a additum est *pondere*, sine signo. 650. *Mersa*, d.

vertere cursus. MAGICA recte hic rescripsit BENTLEJUS.

JEV.

630. — *desedit in undas]* Libri fere omnes DESCENDIT. Lege DESIDIT tempore praesenti; ut supra *accipit*; infra *discedunt.*

634. *Praebuit illa dies]* Meliores codices *ille dies;* ut noster solet, et *v.* 636, pro *Lycidam*, meliores *Lycidan.*

638. — *nec, sicut vulnere, sanguis Emicuit lentus:]* Contrarias res indicant *emicuit* et *lentus:* ut vel ex his Senecae constabit, Oedip. 345.

Utrum citatus *vulnere anguste*
micat,
An lentus *altas irrigat plagas* cruor?

Sed sana fiet sententia, distinctione tantum mutata,

— *nec sicut vulnere, sanguis*
Emicuit: lentus ruptis cadit undique venis.

vel potius, ut ambiguum evitetur:

Emicuit: ruptis lentus cadit undique venis.

651. *Brachia nec licuit vasto jactare profundo, Sed clau-*

Sed clauso periere mari. Tunc unica diri
Conspecta est leti facies, cum forte natantem
Diversae rostris juvenem fixere carinae.
Discessit medium tam vastos pectus ad ictus:
Nec prohibere valent obtritis ossibus artus,
Qua minus aera sonent, eliso ventre, per ora

654. *ad*fixere, d. sic in a quoque inter versus sine signo a man. sec. 655. v*a*stos, correcta *a* ex *o* man. alia, c.

so periere mari.] Nihil confert orationi illud *vasto* praeter sonum inanem: et mox iterum habemus, sed recte et apposite,

— *tam* vastos *pectus ad ictus.*

Repone igitur,

Brachia nec licuit VACUO *jactare profundo.*

Id est, aperto et libero: et vides antitheton,

Sed clauso *periere mari.*

657. — *eliso ventre, per ora Ejectat saniem permistus viscere sanguis.*] Expende haec paulisper: *sanguis*, ait, *ejectat saniem.* Quid vero impediebat, cur ambo non simul exirent, cum uterque liquidus sit? Deinde ait, *sanguis permistus viscere.* Quo quaeso viscere ex tam multis? quin in vivo et sano corpore sanguis omnibus visceribus permistus est. Ex nostris codicibus unus et alter VISCERA. Lege ergo minima mutatione,

— *eliso ventre, per ora*
Ejectat SANIE *permistus* VISCERA *sanguis.*

Recte *sanguis sanie permistus*, tabo, felle, aliis corporis humoribus. recte quoque *ejectat viscera per ora*, liquidus nimirum solida. ut supra v. 590.

Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas,

BENTL.

Locus corruptus. Variant Codd. *Ejectat* Voss. pr. *delectat* Bersmann. dein *mixtus per viscera* in Pulmann. Voss. pr. et duobus Rott. *mixtus post viscera* Reg. et S. Germ. qui et a m. sec. habebat *permixtus viscera sanguis*, uti et legitur in Marpurg. Voss. tert. et edit. Hackii, atque ita quoque in suo invenit *cel.* BENTLEJUS, qui ideo refingit, hoc modo:

Ejectat SANIE *permixtus viscera sanguis.*

sed frustra. *Cruorem expellere hastas vs.* 590. quidem dixit poeta, quod, utut eo loco mirum et ultra fidem veritatis exaggeratum videatur, fieri tamen potest, siquidem, calido sanguine laxato vulnere, hasta erumpentem magna vi cruorem nonnumquam sequi solet, praesertim si non alte infixa sit: sed *sanguinem ejectare viscera* novum plane fuerit atque inauditum, adeoque absurdum. *Sanguis permixtus viscera* edidit Cortius. Graecismus ille merito displicuit BURMANNO,

Ejectat saniem permistus viscere sanguis:

658. *Dejectat*, c. E*i*ectat, sed *i* in membr. erasa, d. mixtus per, a. viscer*a*, a. b.

qui nihil tamen hic tentat. Tacent et reliqui interpretes. Ast, nisi me fallit augurium, facili remedio LUCANO suam mentem manumque restituerimus, si legamus,

eliso ventre per ora
ERUCTAT *saniem* PERMIXTUM
ET VISCERE SANGUEN.

Juvenis ille, concurrentibus rostris fixus, eliso ventre et obtritis ossibus, ore eructat saniem, et sanguinem visceribus mixtum. Nihil verius: nihil naturae rei convenientius dici potuit! Sic VIRGILIUS *Lib.* III. *Aen. vs.* 632. *de* POLYPHEMO ait,

Jacuitque per antrum
IMMERSAM SANIEM ERUCTANS
ET FRUSTA CRUENTO
Per somnum COMMIXTA MERO.

IMMERSAM *saniem* ibi legendum, id est, MEMBRA *sociorum Ulyxis* TABO FLUENTIA, *quae manducaverat*. Vulgo male, *immensam*. IMMERGERE *sc. ventri* est *manducare, devorare.* PHAEDRUS *Lib.* IV. *Fab.* V. *vs.* 10.

Quos immolatos victor avidis dentibus
CAPACIS ALVI MERSIT TARTAREO SPECU.

ubi vid. BURMANN. *Sanguen viscere permixtum* dixit, ut VIRGILIUS *frusta sanguineo mero permixta*, sive *sanguine et mero*. SANGUEN neutro genere ἀρχαϊκῶς, ut LUCRETIUS aliique loqui amant. Si cui forte illud non placeat, is, me non reluctante, rescribat:

ERUCTAT *saniem et* PERMIXTUM SANGUINE VISCUS.

quod proxime ad VIRGILII locutionem accedat. Sic SANGUEN Horatio restitutum ivimus *in Prodrom. pag.* 86.

HORATIO denuo suppetias feramus, eumque levi menda liberatum sistamus *Lib.* II. *Satir.* III. *vs.* 299. ubi vulgo legitur,

Dixerit insanum qui me, totidem audiet, atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.

Quorsum, quaeso, illud *ignoto tergo?* an *in alieno?* Cave credas! Legendum utique fuerit, si quid video,

Respicere IGNARO *discet pendentia tergo.*

CATULLUS *Carm.* XXII. *vs.* 20.

Sed non videmus, manticae quid in tergo est!

Respexit fabulam Aesopi *de impositis homini ab* JOVE *duabus peris* apud PHAEDRUM *Lib.* IV, *Fab.* IX. Ita *ignotus* et *ignarus* confusa vidimus *supra ad vs.* 194.

Idem HORATIUS *Lib.* I. *Epist.* II. *vs.* 34. levi menda laborat, quam nunc quoque eluemus. Ita ibi legitur vulgo:

Ut te ipsum serves, non expergisceris? atqui
Si nolis sanus, curres hydropicus.

BENTLEJUS ex quibusdam libris legit CURES, quia illud *curres* manifesto mendosum. Sed, nisi fallor, dederat nobis HORATIUS hoc modo:

Postquam inhibent remis puppes, ac rostra recedunt,
Disjectum in pelagus perfosso pectore corpus
Vulneribus transmisit aquas. pars maxima turbae
Naufraga, jactatis morti obluctata lacertis,
Puppis ad auxilium sociae concurrit: at illi
Robora cum vetitis prensarent altius ulnis,
Nutaretque ratis populo peritura recepto:

659. remi, a. b. c. sed *mi*, in erasa membr. b. et inter versus *remos*, sine signo, a. re*ducunt*, a. c. 660. Dejectum, a. b. c. d. per*cusso*, c. *corpore*, suprascripto *pectore*, a. 664. *artius*, a. d. *arcius*, b. pensarent, c.

Ut te ipsum serves, non expergisceris? atqui.
Si nolis sanus, QUAERES *hydropicus.*

id est, *hydropicus factus frustra expergisci conaberis.* HYDROPS *enim non raro in* LETHARGUM *degenerat*, ut testantur et experientia et AESCULAPII filii. QUAERERE est *magno studio, et saepe frustra conari.* Sic EPOD. II. *vs.* 70.

Omnem redegit Idibus pecuniam,
QUAERIT *Kalendis ponere.*

et EPOD. XVI. [16.]

Forte (quod expediat!) communiter, aut melior pars
Malis carere QUAERITIS *laboribus.*

atque ita passim.

JEV.

659. *Postquam inhibent remis puppes, ac rostra recedunt,]* Codices nonnulli REMI habent, alii REDUCUNT. Certe aut scribendum est,

Postquam inhibent remi *puppes, et rostra* recedunt.

aut — *Postquam inhibent* remis *puppes, et rostra* reducunt.

Utraque lectio bene se habet: sed prior figuratior est, quia actio non hominibus, sed ipsis instrumentis tribuitur. ut supra 515,

In puppim rediere rates.

660. *Disjectum in pelagus perfosso pectore corpus]* Recedentibus rostris, corpus ab eis interceptum decidit suo pondere in pelagus. Sed cur, obsecro, DISJECTUM *corpus*, quod minime in partes scissum erat, sed pectore tantum perfosso? Repone quod multo major pars codicum habet, DEJECTUM.

664. *Robora cum vetitis prensarent altius ulnis.]* Quanto melius est, quod duo Pulmanni codices exhibent, *prensarent artius? Arcte* prendere et tenere, hoc aliquid est; sed *alte* an secus, nihil ad rem; immo unus tantum erat ad prensandum locus.

Impia turba super medios ferit ense lacertos:
Brachia linquentes Graia pendentia puppe,
A manibus cecidere suis: non amplius undae
Sustinuere graves in summo gurgite truncos.
Jamque omni fusis nudato milite telis,
Invenit arma furor: remum contorsit in hostem
Alter: at hi tortum validis aplustre lacertis
Avulsasque rotant excusso remige sedes.
In pugnam fregere rates. sidentia pessum
Corpora caesa tenent, spoliantque cadavera ferro.
Multi inopes teli, jaculum letale revulsum
Visceribus traxere suis, et vulnera laeva

666. *ferit* man. sec. supra v. *ense* scriptum est, b. 667. puppi, a. 670. omnis, c. d. 671. co*mmi*sit, c. 672. hic, a. b. totum, a. b. d. sed in a *r* posterius addita est. a*m*plustre, c. 673. exp*ul*só, c. d. quod in b, pro varia lectione man. sec.; et in a superne scriptum *pul* sine signo legitur. 677. V*uln*eribus — viscera, a. b. c. d.

672. — *at hi tortum validis aplustre lacertis Avulsasque rotant excusso remige sedes.] Expulso* plerique omnes libri, non *excusso.* Deinde pro *tortum,* quo verbo hic minime opus est, cum una habeamus *rotant*, alii libri *totum.* utrumque placet, *totum simul,* non per partes, quod magnarum virium erat.

677. *Visceribus traxere suis] Vulneribus ill.* HEINSIUS et BURMANNUS; GROTIUS contra, adstipulante OUDENDORPIO, legit,

Jaculum letale revulsum
VISCERIBUS *traxere suis, et* VULNERA *laeva*
Oppressere manu.

Quae sententia mihi verior videtur. *Letale enim jaculum non fuisset, nisi* HAESISSET VISCERIBUS. VISCERA, *quae tangere nequeunt, non opprimunt manu, sed* VULNERA, nisi quis tam ineptum crederet Lucanum, ut letali hoc vulnere viscera ex corpore prolapsa fingere voluerit. INTESTINA *ex vulnere prolapsa* saepe audivi, *viscera* numquam. *Oppresserunt vulnera, ne sanguis effflueret, antequam hostile telum torsissent.* SUPPRIMERE et OCCUPARE *sanguinem* hoc vocant medici. CELSUS *Lib.* V. *Cap.* I. *et Lib.* VIII. *Cap.* IV. Ita *opprimere dolorem patientia* dixit CICERO *Lib.* II. *Tusc. Quaest. Cap.* XIV. Sic *oppressa gaudio vox* apud CLAUDIAN. *Cons. Prob. et Olyb. vs.* 255.

Oppressere manu, validos dum praebeat ictus,
Sanguis et, hostilem cum torserit, exeat, hastam.
Nulla tamen plures hoc edidit aequore clades,
Quam pelago diversa lues. nam pinguibus ignis

679. *d*um tors. d. 680. tā, d.

Obstupuit visu, suspensaque
GAUDIA VOCEM
OPPRESSAM TENUERE *diu.*

MANILIUM denuo resumamus, cumque debilem et saucium foveamus atque curemus. Locus est *Lib.* III. *vs.* 87. ubi haec vulgo legas:

Has autem facies rerum per
signa locatas,
In quibus omnis erit Fortu-
nae condita summa,
Utcumque aut septem stellae
laeduntve juvantve:
Cardinibusve movet divina
potentia mundum:
Sic felix aut triste venit per
singula fatum,
Talis et illius sors est spe-
randa negoti.

Non cohaerent haec, verborum ordine turbato. Ac primo *divina potentia mundum cardinibus* inepte *movere* dicitur. *Quibus*, quaeso, *cardinibus?* nam hoc dictum oportuit. Dein illa, *facies rerum per signa locatas*, non habent, quo referantur. Siquidem referri nequeunt ad *septem stellas*, quae *has facies* nec laedere nec juvare quidquam possunt, neque ad *divinam potentiam*, quae *movet mundum.* Denique in iis, *Sic felix* etc. deest aliquid certe, et notabili haec defectu laborant, cum *ἀπόδοσις* comparationis statim sequatur, *Talis et* etc. Quid multa? Crediderim, a poeta nobis hoc modo relictum esse,

Has autem facies rerum per
signa locatas
(*In quibus omnis erit Fortu-*
nae condita summa,
Utcumque aut septem stellae
laeduntve juvantve)
Cardinibus movet HIS *divina*
potentia MUNDI.
UT *felix aut triste venit per*
singula fatum,
Talis et illius sors est spe-
randa negoti.

Ut sensus auctoris sit: *Divina potentia* MUNDI *movet has rerum facies, per signa locatas*, HIS CARDINIBUS, *sive* SORTIBUS: *et prouti* ATHLA *sive* RES, LABORES, OPERA ARTESQUE HUMANAE (*quae sunt* FACIES RERUM PER SIGNA LOCATAE, *in quibus omnis hominum Fortuna condita est, prouti stellae errantes vel juvant vel nocent*) *laetum aut triste fatum, faustam infaustamve sortem in coelo offendunt* (*ex benigno nempe vel maligno planetarum aspectu*) *ita quoque omnis negotii, sub illis Athlis suscepti, exitus se habebit.* CARDINES hic non sunt *cardines mundi*, de quibus egit *Lib.* II. *vs.* 787. *et seqq.* sed *sortes mobiles et per signa* XII *migrantes*, de quibus proxime egerat *vs.* 75. Eleganter *cardines* vocat has SORTES, *in quibus scilicet* hominum Fortuna vertitur. Hunc autem verum et genuinum poetae sensum esse claret ex altero loco, similiter corrupto, *infra vs.* 208. quem eadem hac opera nunc emendabimus. Vulgo ibi haec legas:

Cardinibus quoniam falsis, qui
cuncta gubernant,

Affixus tedis, et tecto sulfure vivax
Spargitur: at faciles praebere alimenta carinae
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.
Nec flammas superant undae: sparsisque per aequor
Jam ratibus fragmenta ferus sibi vendicat ignis.

682. a*ff*ixos, *f* man. sec. in membr. erasa, b. *i*ecto, d. 683. ac, superne scriptum *vel at* man. sec. b. 685. flamma*m*, c. 686. fer*ox*, *ox* man. sec. in erasa membr. b; in a supra v. *ferus* scriptum est.

Mentitur faciem mundus, nec constat origo,
Flexaque momento variantur sidera templi.

Quid? an CARDINES FALSI *cuncta gubernant?* ἄτοπον hoc, et poeta numquam tam ineptus fuit, ut talia scriberet! Dein *flexa templi sidera* explicationem idoneam non recipiunt. Legendum, uti a poetae manu fluxisse omnes facile critici adstipulaturi sunt,

Cardinibus quoniam falsis, QUEIS *cuncta* SUBERRANT,
Mentitur faciem mundus, nec constat origo,
VERSAQUE *momento variantur sidera templi.*

CUNCTA SUBERRANT, id est, *falsa sunt, in horoscopo falsis cardinibus si utare*, inquit poeta. VERUM CARDINEM seu PROPRIAM SORTEM nativitati si non assignaveris, falsus horoscopus fuerit; MUTANTUR enim *statim et variantur templi sidera.* Nihil verius! Hinc *versaque* rescripsi. *Versus* et *flexus* saepe confusa. *vid. supra* ad *v.* 250. *med. Cardinibus non rite positis*, inquit MANILIUS,

Fundumenta ruunt artis nec consonat ordo.

quibus suberrant, id est, SUB QUIBUS *errant omnia et falsa sunt.* Haec enim vis praepositionis hujus in compositione. Sic *supra* ad *v.* 390. *in veteri Epigrammate* a nobis restitutum fuit,

CYPRIDOS ET *mediis flamma* SUBURIT *aquis.*

cum antea inepte legeretur, *cujus et in.* SUBURIT *mediis aquis*, id est, *urit sub mediis aquis.* CLAUDIAN. *Cons. Prob. et Olyb. vs.* 254.

Indigenas fluvios, ITALIS *quicumque* SUBERRANT
MONTIBUS.

JEV.

682. — *et tecto sulfure vivax Spargitur:]* Quid vero opus, ut in taedis et facibus sulfur sit *tectum?* non astu et insidiis res agebatur, sed vi aperta. Iterum, [Ovid. Met. III, 373.]

Non aliter quam cum summis *circumlita taedis*
Admotam rapiunt vivacia sulfura flammam.

Quid quod in taedis sulfur semper extrorsum erat. Ovidius, [Her. VII, 23.]

Uror ut inducto *caeratae* sulfure *taedae.*

Lege unius literae mutatione,

Hic recipit fluctus, extinguat ut aequore flammas:
Hi, ne mergantur, tabulis ardentibus haerent.
Mille modos inter leti, mors una timori est,
Qua coepere mori. Nec cessat naufraga virtus.
Tela legunt dejecta mari, ratibusque ministrant:
Incertasque manus ictu languente per undas
Exercent. nunc, rara datur si copia ferri,
Utuntur pelago. saevus complectitur hostem
Hostis, et implicitis gaudent subsidere membris,
Mergentesque mori. Pugna fuit unus in illa

687. H*unc*, a. aeq. f*auces*, a. d. et man. sec. in eras. membr. b. 688. H*ii*, ita semper, d. 689. timori, supra scriptum *est*, c. 690. naufrag*a*, *a* man. alia in membr. erasa d. 693. n'*e*, post *e* aliquid deletum est, ' a man. alia, et ad marginem *tunc* man. eadem qua Cod. c. 694. complecti*tur*, *tur* in membr. erasa, man. alia, c.

— *et* TACTO *sulfure vivax.*

687. *Hic recipit fluctus, extinguat ut aequore flammas:]* Codices nostri, Regius et Academicus, FAUCES habent. Quin et pro RECIPIT Pulmanni codex REPETIT, quam lectionem accipimus. *Repetit*, qui tabulam ardentem deserens, mari se iterum committit.

689. — *mors una timori est, Qua coepere mori.]* Curtius IV, 16, 17. *Quippe ubi intravit animos pavor, id solum metuunt, quod primum formidare coeperunt.*

696. *Pugna fuit unus in illa]* Soloecismum commiserit poeta, si ita scripserit. Dicendum enim fuit *in* HAC *pugna.* Sed, cum eandem pugnam hic narret, illud ipsum putidum merito atque ineptum videtur. Rescribendum adeoque patet, ut monui *supra* ad *v.* 182. fin.

TURBA *fuit unus in illa.*

id est, *in illo numero militum Massiliensium.* OVID. *Epist. Heroid.* IV. *vs.* 101.

Nos quoque QUAMPRIMUM TURBA NUMEREMUR IN ILLA.

uti FRANCIUS recte legit pro *jam primum.*

Optimo CATULLO nunc iterum suppetias feramus, corrupto, ut videtur, *Carm.* LXV. *vs.* 65. ubi comam Berenices ita loquentem inducit,

Virginis et saevi contingens namque leonis
Lumina, Callisto justa Lycaonida,

Eximius Phoceus animam servare sub undis,
Scrutarique fretum si quid mersisset arenis,
Et nimis affixos unci convellere morsus,
Adductum quoties non senserat ancora funem.
Hic ubi compressum penitus deduxerat hostem,

699. ad fixos, c. affixos, sed f man. alia in erasa membr. b. 700. Adductum, et pro varia lectione *Ab*, man. sec. b. senser*i*t, a. 701. d*i*duxerat, correcta *i* ex *e*, d.

Vertor in occasum tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.

Sic VULPIUS, praeeunte Vossio ut JUSTA, ultima correpta, dictum sit pro *juxta*, ad similitudinem eorum, quae in CATULLO obvia, ut PUTA, COMMODA, et CONTRA apud AUSONIUM [Praef. 1, 15.]. Non placet mihi iste ἀρχαϊσμός, neque enim bellus adeo aut lepidus videtur: utut enim *puta* recte se habeat ultima correpta, ita de illo *commoda* apud CATULLUM et *contra* apud AUSONIUM pronuntio, MIHI NON LIQUERE. Sed de his alias. Quid porro illud insulsum *dux* hic faciat, divinare nequeo. Neque enim COMA BERENICES *dux Bootae* dici posse videtur. Denique *tardum* cum vocaverit Booten, inepte subjungitur, *illum* VIX SERO *Oceano mergi*. Haec plane ἀσύςατα! Credo legendum,

Virginis et saevi contingens namque leonis
Lumina, Callisto JUNCTA LYCAONIAE,
Vertor in occasum tardum MOX *ante Booten,*
Qui vix SESE *alto* MERGIT IN *Oceano.*

Callisto Lycaoniae, ut sit dandi casus: *juncta Callisto* sive *Ursae majori proxima*, cujus pedes contingit. *Lycaonide* in Cod. fuit, inde *Lycaonida* factum cum esset, *juncta* in *juxta* et *justa* depravatum fuit. Mox, sive *paulo ante Booten. Dux* enim ineptum. Ita *mox* et *dux* confundi vidimus *supra ad vs.* 48. *pag.* 280. *Bootes* vero *sese vix mergere Oceano* dicitur, *quia est in circulo polari. Stellas polo fixas in axe suo verti, neque, ut reliqua sidera, in oceanum Atlanticum cadere adeoque nec occidere, creditum fuit.* Similiter de Boote, *qui cum Cynosura in axe polari vertitur, adeoque* VIX *occidit.* Vide, quae *supra* dixi *ad vs.* 251.

JEV.

697. — *Eximius Phoceus animam servare sub undis]* Cf. Bentl. ad Horat. Carm. 1, 1, 1.

701. *Hic ubi compressum penitus deduxerat hostem,]* COMPRENSUM alii codices, quod sine dubio praeferendum.

BENTL.

Locus hic corruptus. Quorsum enim *compressum hostem* deduxerit, non patet. Quin *compressus hostis* hoc loco implicat, et illud *penitus deducere* mihi ipsa vanitate vanius esse videtur. Certe, undecumque illud *peni-*

Victor et incolumis summas remeabat in undas,
Sed se per vacuos credit, dum surgere fluctus,
Puppibus occurrit, tandemque sub aequore mansit.
Hi super hostiles jecerunt brachia remos,
Et ratium tenuere fugam. Non perdere letum
Maxima cura fuit, multus sua vulnera puppi

702. *ad* und. d.

tus venerit, a mala manu intrusum. *Comprensum* habent multi Codices, quod unice verum. In Turriano *demiserat* legitur. Si quid video, reliquit nobis Lucanus,

> *Hic*, *ubi* COMPRENSUM PEDIBUS DEMERSERAT *hostem*,
> *Victor et incolumis summas remeabat* IN *undas*.

ut callidus urinator, se sub undis demergens, *prehensum pedibus hostem* (qui ita ipsi vicissim nocere non poterat) *demerserit*, eoque exstincto in summas aequoris undas remeaverit. COMPRENSUM PEDIBUS, non *compressum*, quod nauci est. Ita *Lib.* IV. *vs.* 727.

> *Obliquansque caput vanas serpentis in iras*
> *Effusae* TUTO COMPRENDIT GUTTURA MORSU.

demerserat et *demiserat* facile confundi potuere, et saepius confusa. *Vid.* OUDENDORP. *ad Lib.* III. *vs.* 41. IN *undas summas*, *quia supernatabat*. Plus enim hoc notat, quam *ad undas*. *Ad* enim ortum ex compendio scripturae. In Cod. fuit, *rmbt i udas*. *In* erat in decem libris teste BURMANNO, qui tamen *ad* praeferre voluit, quia *tandem occurrit puppibus et sub aequore mansit*, ut ait LUCANUS. Ego vero puto, diversos illos casus diversis temporibus satis distinctos apparere, atque ita *in undas* veram auctoris manum esse.

JEV.

707. — *multus sua vulnera*] *Multus* pro *multi* absolute (singularis pro plurali, ut vult scholiastes) mihi umquam lectum non memini. Ulcus latere recte suspicatus fuit *cel.* BURMANNUS, qui in illa voce nomen proprium occultari putabat, quia Codd. *vultus* habent. Legendum forte,

> *non perdere letum*
> *Maxima cura fuit* MULTIS. HIC PECTORA *puppi*
> *Adfixit moriens*, *et rostris abstulit ictus*.

vel, si proprium nomen hic lateat,

> *non perdere letum*
> *Maxima cura fuit.* TULLUS *sua* PECTORA *puppi*
> *Adfixit moriens* etc.

Vulnera enim ineptum. Ast, ut ingenue fatear, nisi illa, *non perdere letum maxima cura fuit*, adessent, spurios hos quatuor versus pronuntiarem, nam contextum et seriem orationis turbare videntur, et praeterea illud, *abstulit ictus rostris*, iis, quae supra dixit *vs.* 654. *et seqq.* e diametro repugnat. Cogitent critici.

Affixit moriens, et rostris abstulit ictus.
Stantem sublimi Tyrrhenum culmine prorae
Lygdamus excussa Balearis tortor habenae
Glande petens, solido fregit cava tempora plumbo.
Sedibus expulsi, postquam cruor omnia rupit

708. a*tt*ulit, supra scriptum est *abstulit*, a. 709. Tyrrhen. subl. a. Ty*rr*enum, ita semper, b. 710. L*i*damus, c. L*ic*damus, d. excuss*ae*, a. b. c. d. 711. s°lido, *o* in membr. erasa, ad marginem *solido*, c. tempora, correcta *e* a man. sec. b. t*i*mpora, d. 712. expulsi, post *i* aliquid deletum est, in margine *expulsus*, c.

Claudianus denuo me monet, ut sibi succurram, corrupto et lacero *Lib.* ii. *in Rufin. vs.* 450.

Et qui Sidonio velari creditus ostro,
Nudus pascit aves. Jacet en, qui possidet orbem,
Exiguae telluris inops, et pulvere raro
Per partes tegitur, nusquam totiesque sepultus!

Pulvere tegitur pro *sepelitur* capit *cel.* Burmannus, qua significatione frequentem fateor hanc locutionem. Ast hic si ita capiamus, surgit horribile absurdum, quia mox sequitur,

nusquam totiesque sepultus.

Quid enim? *Insepultus, avibus et feris objectus, jacet Rufinus et possidet orbem? Quin* exiguae telluris (*qua tegi possit*) inops *quomodo tegitur pulvere? et quomodo* tectus pulvere, id est, *sepultus, et* nusquam *et* toties sepultus *dici potest?* Haec Sphingis aenigmate longe obscuriora. Corruptus manifesto locus. Gesnerus sensum illorum verborum, *nusquam totiesque sepultus*, vidisse videtur, sed, ubi menda lateret, haud vidit; aliquid etiam humani passus fuit vir doctissimus, dum illud, *velari credidit ostro*, ad funus trahit, cum referri hoc debeat ad dignitatem Imperatoriam, ad quam se evectum et ab Arcadio in honoris consortium adscitum iri inepte somniaverat. *vid. supra vs.* 382. *Ostrum* sive *purpurea vestis insigne regium. Credidit* erat in quatuor Vaticanis Codd. item in Pal. Farn. Pric. et Rott. atque ita legebat Heinsius, pro *credidit se velandum*, adscripto loco Spartiani *in Aelio Vero Cap.* iv. *Accepta potione, qua se existimaret* juvari. *vid. VV. LL.* Dempsterus ex Bongarsianis membranis, teste Burmanno, legit

Qui *se Sidonio* velandum *credidit ostro.*

Qui se, abjecta copula, rectum videtur, uti *vs.* 443. et 448. Delrius *possidet* capiebat pro *possedit*. In Patav. Cod. erat *presserat*. Unice hoc verum et a manu poetae. Quid multa? Legendum puto,

Qui se *Sidonio velari* credidit *ostro,*

Vincula, procumbunt oculi: stat lumine rapto
Attonitus, mortisque illas putat esse tenebras.
At postquam membris sensit constare vigorem,
Vos, ait, o socii, sicut tormenta soletis,
Me quoque mittendis rectum componite telis.
Egere quod superest animae, Tyrrhene, per omnes
Bellorum casus. ingentem militis usum
Hoc habet ex magna defunctum parte cadaver:
Viventis feriere loco. sic fatus in hostem
Coeca tela manu, sed non tamen irrita mittit.
Excipit haec juvenis generosi sanguinis Argus,
Qua jam non medius descendit in ilia venter,

713. procurrunt, a. b. d. *dissiliunt*, c. 715. *At*, in erasa membr. d. 720. defectum, c. 723. *seminis*, a. 724. *ad* ilia, a. *ferrum*, sed in margine *venter* a man. alia, c.

Nudus pascit aves! jacet en, qui PRESSERAT *orbem,*
Exiguae telluris inops, et pulvere CANO
Per partes TERITUR, *nusquam totiesque sepultus!*

PRESSERAT *orbem*, id est, *oppresserat*, *orbi gravis* fuerat. PREMERE de *oneribus ponderosis* proprie. Sic PROPERT. *Lib.* III. *Eleg.* VII, 5.

Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus,
Et PRESSUM *inflexo mox dare terga genu.*

LUCAN. *Lib.* V. *vs.* 756.

positamque procul fortuna mariti
Non TOTA TE MOLE PREMAT.

Sic CLAUDIAN. *de B. Gildon. vs.* 420.

PREMITUR *nec signifer ullo*
Pandere.

Per partes vero TERITUR *pulvere* CANO, sive *hic illic per frusta* IN SICCO ET SORDIDO PULVERE PEDIBUS TERITUR ET CONCULCATUR. *vid. vs.* 431. Ita *curru membra Gigantis* TERIT *Mavors in Gigantom. vs.* 83. CANO *pulvere.* Sic *Lib.* I. *de Rapt. vs.* 185.

CANO *rota* PULVERE *labens*
Sulcatam fecundat humum.
JEV.

713.—*procumbunt oculi:*] Aestuant hic omnes fere interpretes. OUDENDORPIUS legit *prociderunt* vel *prosiliunt*. Doctissimus WITHOF. *in Encaen. Crit. pag.* 49. mutata distinctione legebat,

Adjuvitque suo procumbens pondere ferrum.
Stabat diversa victae jam parte carinae
Infelix Argi genitor, (non ille juventae
Tempore Phocaicis ulli cessurus in armis:

725. Adjuvitque etc. versus man. alia ad marginem c. scriptus est. *pectore*, a. 728. *cessisset*, sed in margine man. alia *cessurus*, c.

Sedibus expulsi, postquam cruor omnia rupit,
Vincula PROTURBANT *oculi.*

Cel. BURMANNUS sibi hic aquam haerere fatetur, neque tamen praeter *τὸ procumbunt* ullum se aptius invenire verbum; ast in eo fallitur, quod *oculos in terram prolapsos* putat. Vulgata sana atque adeo non sollicitanda. *Sedibus expulsi oculi* PROCUMBERE recte dicuntur, id est, *prominere extra suos sedes, ligamentis ruptis, in genas effusi,* ut monui *supra ad vs.* 255. Ita PROCUMBERE *in aequora* est *pronum se inclinare super mare vs.* 616.

Rapturusque suam PROCUMBIT IN AEQUORA *dextram.*

ubi similiter, uti hoc loco, *procurrit* erat in MSS. vide ibi *not.* OUDEND. *et* BURMANNI.

JEV.

728. — *Phocaicis ulli cessurus in armis:] Arma* illa *Phocaica* mihi non valde placent, otiosa plane, adeoque neque a poetae manu. Non enim significare possunt *bella Phocaeorum contra* EXTERNOS *hostes*, de quibus auctor altum agit silentium: multo minus *bella* CIVILIA, utpote ad quae fugienda patriam reliquerant. Vide, quae supra dixi ad *vs.* 338. Restituendum igitur sine dubio,

non ille juventae
Tempore Phocaicis ulli cessurus in ARVIS.

id est, *nulli olim virtute secundus in* CAMPIS *Phocidos.* Saepissime hae voces in MSS. permutatae. *Vide* BURMANN. ad *Lib.* IV. *vs.* 255.

neque enim tibi major in ARVIS
Emathiis fortuna fuit.

et *ad Lib.* IX. *vs.* 848.

CLAUDIANO interim medelam non invidebimus *Lib.* II. *in Rufin. vs.* 462. ubi haec vulgo habentur:

veluti pastoris in ora
Commotae glomerantur apes, qui dulcia raptu
Mella trahit pennasque cient, et spicula tendunt:
Et tenuis saxi per propugnacula cinctae
Rimosam patriam, dejectaque pumicis antra
Defendunt, pronoque favos examine velant.

Trahere mella raptu pro *furari* insolentior merito mihi locutio videtur et sine exemplo. In Vatic. Livineji erat *vehit.* Vere, si quid video. *Pinnasque* Oisel. et Exc. Lucens. sec. *spicula figunt* in schedis Gudianis. *Cunctae* dein pro *cinctae* habent septem libri. Restituenda igitur postliminio vera manus poetae hoc modo,

Victum aevo robur cecidit, fessusque senecta
Exemplum, non miles erat) qui funere viso,

qui dulcia raptu
Mella VEHIT, PINNASQUE *cient et spicula* FIGUNT:
Et tenuis saxi per propugnacula JUNCTAE
Rimosam patriam dilectaque pumicis antra
Defendunt, pronoque favos examine VALLANT.

Vehit mella, id est, *avehit*. Simplex pro composito. Superat hoc captum librariorum. VEHERE de *praeda rapta* frequens poetis. Sic VALER. FLACC. *Lib.* VII. *Arg. vs.* 461.

Qualis erat, cum Chaonio radiantia trunco
Vellera VEXIT *ovans.*

id est, *spoliavit, avexit*. LUCAN. *Lib.* III. *vs.* 164.

Quod Cato longinqua VEXIT *super aequora Cypro.*

SENEC. *Phoeniss. vs.* 578.

An et ipsa palmas vincta post tergum datas
Mater, TRIUMPHI PRAEDA FRATERNI, VEHAR?

Ita *simulato tauro super pontum* VECTA *Europa*, OVID. *Lib.* I. *Amor. Eleg.* III. [23.] et *externis rotis* AVECTA *Hippodamia*, PROPERTIO *Lib.* I. *Eleg.* II. *vs.* 20. Dein FIGUNT *spicula* sive *pinnas et aculeos infigunt*: nam *tendere spicula* de APIBUS plane absurdum. JUNCTAE tandem lego cum HEINSIO, id est, *facto agmine condensatae defendunt antra*. Sic *junctas umbone phalanges* dixit JUVENALIS *Sat.* II. *vs.* 45. ubi legendum puto,

Respice primum,
Et scrutare viros: faciunt NAM *plura! sed illos*
Defendit numerus JUNCTAEQUE UMBONE PHALANGES.
Magna inter molles concordia!

Faciunt NAM *plura* lego. *Excute viros*, NAM certe *plura flagitia faciunt quam mulieres. Sed* ILLI *numero et multitudine tuti sunt.* Inepte enim *hos* et *illos* de iisdem viris dixisse non videtur lepidissimus SATIRICUS. Non tamen damnaverim plane in CLAUDIANO τὸ CUNCTAE, quod multi Codd. habent, quia et locum suum facile tueri posse videtur, ut *omnes pro virili* favos defendere dicantur. Sic enim et VAL. FLACC. *Lib.* I. *Arg. vs.* 215.

fremere, et, legem defendere, CUNCTI
HORTARI!

Sic lego. Vulgo HORTANTUR, summa ἀκυρολογίᾳ. Ut sit, *cuncti fremere et hortari, legem aequoris esse defendendam. Fremere* et *hortari* pro *fremunt* et *hortantur*, more loquendi poetis non tantum sed et historicis et oratoribus optimis usitato. Vulgata enim lectio et sine exemplo est, et nullas veneres habet. *Vallant* optime vindicavit HEINSIUS, id est, *muniunt, sepiunt et quasi* VALLUM *praetendunt.* Confusionem frequentem verborum *vallare* et *velare* docent notae BURMANNI ad hunc locum.

JEV.

750. — *qui funere viso,* — *Pervenit ad puppim*] Quorsum hic *funere?* homine nondum mortuo; praesertim cum in pugna navali, aut nullus sit funeri locus, aut serus. Codex Collegii Caii rectissime:

— *qui* VULNERE *viso.*

BENTL.

Saepe cadens longae senior per transtra carinae
Pervenit ad puppim spirantesque invenit artus.
Non lacrymae cecidere genis, non pectora tundit,

732. spirantisque, a. spirantes sine *que*, c. 733. nec pect. b. tundit, et in margine *tondit*, c.

Latet hic menda. Miror certe, non offendisse hic doctissimos interpretes. Quod enim hic facit illud insulsum emblema *senior?* A manu poetae enim hoc profluxisse non potuit. *Victum robur* AEVO *cecidisse*, *eumque* SENECTA FESSUM *exemplum, non militem, fuisse* dicit; quo igitur jam illud *qui senior?* Praeterea, quid *longa carina* hic nobis opus? anne ideo, ne quis putaret, vel *onerariam*, vel *mercatoriam* etc. fuisse? Nugae! Et quam inepte *funere viso* jam senior saepe cadens ad puppim venit? Vidit hoc recte BENTLEJUS, qui ideo *vulnere* rescribit, siquidem Argus vulneratus quidem, sed nondum mortuus erat, ut patet ex *vs.* 746. Haesit et hoc loco SCHOLIASTES, qui ad illud CADENS scribit, *aut* SENIOR, *aut* NIMIA FESTINATIONE. Non multis ambagibus opus est. Crediderim nobis a poeta relictum esse hoc modo,

qui, VULNERE *viso*,
Saepe cadens SEGNI SENIO, *per transtra carinae*
Pervenit ad puppim.

ut sit sensus: *Viso* VULNERATO *filio, pater per transtra carinae perrexit ire ad puppim, quamvis* LONGAEVA *et* TREPIDANTE SENECTA *saepe caderet.* *lge* *snor* et *sgni sno* vix differunt in MSS. *Segni senio*, nam TARDA *senecta* hinc proprie dicitur. Ita SENIO DEBILI TREMENTEM *atque aevo gravem* dixit *parentem* SENEC. *Med. vs.* 258. Hinc SEGNIS SENILI GELU *stella (oculorum) Phoenicis* eleganter vocatur a CLAUDIANO *Idyll. de Phoen. vs.* 36.

Jam breve decrescit lumen, languetque SENILI
SEGNIS *stella* GELU.

quia defectu caloris nativi LUMEN *oculorum in senibus* FULGOREM *amittere et quasi* SINE IGNE *languere* solet. Corrigendus itaque videtur SCHOLIASTES. CADENS. *aut* SENIO: *aut nimia festinatione.* Recte! *Senes quippe festinantes trepidare solent, ipsaque trepidatione nimia titubant tardique sunt, moventes multum, parum promoventes.* Judicent critici.

CLAUDIANO iterum suppetias opemque feramus, corrupto *in Fescenn. vs.* 10.

Tu cum per altas impiger ilices
Praedo citatum cornipedem regis,
Luduntque ventis instabiles comae,
Telis jacebunt sponte tuis ferae,
Gaudensque sacris vulneribus leo
Admittet hastam morte superbior.
Venus reversum spernat Adonidem,
Damnet reductum Cynthia Virbium.

Desperatus locus. *Impiger praedo de* HONORIO ridiculum, quin et PRAEDO pro *venatore* heic loci haud elegans videtur. *Al-*

Distentis toto riguit sed corpore palmis.

tae ilices nugatoriae. *Reversus Adonis* et *reductus Virbius* aperte mendosa. Freno pro *praedo* recte conjecit Heinsius. Vide *Var. Lectiones*. *Praeda citatum*, pro *incitatum, equum*, quod Gesnerus volebat, pauci, credo, probabunt. Pro *jacebunt* in Exc. Lucens. sec. erat *haerebunt*. *Tegas* et *ludant* est in multis libris. Pro *reductum* erat *revinctum* in Regio Cod. Favente critica mendosum ita restituo locum:

> *Tu* si *per altas* Haemoniae nives
> Freno *citatum cornipedem* regas,
> Ludantque *ventis instabiles comae;*
> *Telis* patebunt *sponte tuis ferae:*
> *Gaudensque sacris vulneribus leo*
> *Admittet hastam morte superbior.*
> *Venus* redemtum *spernat Adonidem:*
> *Damnet* refectum *Cynthia Virbium.*

Videamus singula, ut emendationis sibi constet ratio. *Tu* si lego. Nam in Lovan. Cod. erat *I nunc*, extrita, credo, priore litera pro *Si nunc*, quod forte ab auctoris manu. Haemoniae *nives altas* lego, quod vulgato *per altas impiger ilices* longe antistare nemo negaverit. Horat. *Lib.* I. *Od.* xxxvii, [17.]

> *Remis adurgens, accipiter velut*
> *Molles columbas, aut leporem citus*
> *Venator* in campis nivalis
> Haemoniae.

Immni vs, pro *Imonie* (i. e. *Haemoniae*) *nives* in Cod. fuisse crediderim, quod cum non caperet librarius, lepidum illud *impiger ilices* nobis hinc concinnavit. *Freno* ex tripode quasi conjecit Heinsius. patebunt scripsi, pro *jacebunt*, quod se ipsum damnat. Quomodo enim telis jaceant ferae, venatore equum frenis regente, nemo conceperit. Patebunt *telis*, id est, *sponte se offerent et ingerent telis tuis.* Arguat emendationis veritatem, quod simili modo *leo hastam sponte* admittere dicatur. Ita *dextrae ferienti pectus* patet apud Senec. *Herc. Oet. vs.* 1000. et *locus vulneri* patere *in Med. vs.* 550. et *carinae innumeris casibus* patere dicuntur Lucano *Lib.* v. *vs.* 447. Redemtum porro *Adonidem* rescripsi pro *reversum.* Summo jure. *Redemtum sc. a morte.* Notum illud Virgilii, [Aen. vi, 421.]

> *Si fratrem Pollux alterna morte* redemit.

Mortuus enim erat Adonis, atque abiverat

> *Illuc, unde negant redire quemquam,*

ut suavissimus Catullus [3, 12.] loquitur. Reverti igitur haud poterat. Refectum *Virbium* sive *integritati suae restitutum lacerum Hippolytum.* *Revinctum* enim erat in Cod. Reg. vitiose pro *revectum* sive *refectum*. Reficere est *lapsa et disjecta reparare.* Ita *reficere rates quassas* dixit Horat. *Lib.* I. *Od.* I. [17.] et reficere *templa et aedes labentes Deorum Lib.* III. *Od.* VI. [2.] Ita refectus *arte Haemonia Telephus*, id est, *sanitati restitutus* apud Stat. *Lib.* I. *Silv.* IV. *vs.* 112.

Jev.

734. *Distentis toto riguit]* Placet quod alii codices habent, nis-

Nox subit, atque oculos vastae obduxere tenebrae,
Et miserum cernens agnoscere desinit Argum.
Ille caput labens, et jam languentia colla
Viso patre levat; vox fauces nulla solutas
Prosequitur: tacito tantum petit oscula vultu;
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.
Ut torpore senex caruit, viresque cruentus
Coepit habere dolor, non perdam tempora, dixit,
A saevis permissa Deis, jugulumque senilem
Confodiam. veniam misero concede parenti,
Arge, quod amplexus, extrema quod oscula fugi.
Nondum destituit calidus tua vulnera sanguis,
Semianimisque jaces, et adhuc potes esse superstes.
Sic fatus, quamvis capulum per viscera missi
Polluerat gladii, tamen alta sub aequora tendit
Praecipiti saltu. letum praecedere nati
Festinantem animam morti non credidit uni.

741. cruentus, *us* in membr. erasa man. alia, c. 743. promissa, d. d*ii*s, b. senil*e*, b. 745. f$\overset{u}{i}$gi, a. 748. *mersi*, a. b. c. in a et c *missi* pro varia lectione; *ersi* litterae in membr. erasa, b, manu sec. 749. Pollucr*it*, a. b. c. d. 750. l*oe*tum, ut semper, b.

TENSIS. *Tensus* Noster amat dicere, non *tentus*, fide Prisciani. Sed et sic evitatur ingratus unius literae T concursus, *ten tis to to*.

750. — *letum praecedere nati Festinantem animam morti non credidit uni.*] Non recte dicitur, *animam* cupere praecedere, sed *animum*, solum affectus et rationis potentem. Deinde, si *anima* re vera *festinabat*, cur obsecro non *credidit?* Immo vero homo ipse festinabat mori, ac idcirco morantem haerentemque animam duplici morte expulit. Lege igitur,

— *letum praecedere nati*
FESTINANS, *animum morti non credidit uni.*

Et Bersmanni sane codex *Festinansque* habet.

Inclinant jam fata ducum: nec jam amplius anceps

752. nec ampl. d.

752. *Inclinant jam fata]* Nulla doctissimis criticis mendae suspicio hic subnata fuit. Non vanus tamen me tentat metus, nec temere dubitare mihi videor de vera poetae manu. Dicam, quae sentio, laudis haud minus quam veniae securus, quaesitaeque utilitatis publicae conscius aequo et cordato lectori judicium permittam. *Anceps* ille *belli casus* mihi valde suspectus est, qui notare deberet *dubiam belli aleam*, quae tamen locum suum tueri vix posse videatur, cum *inclinare ducum fata et maximam Massiliensium classis partem captam atque demersam, et paucas naves praecipiti fuga vix navalia tenentes* memorat poeta. Praeterea *jam fata* et *jam amplius* turpissima *ταυτολογίᾳ* laborant. His adde, quod in fragmento Cod. S. Germ. pro *anceps* legitur *ullus*, quod non de nihilo esse videtur, uti mox patebit. Videamus, quid de Lucano sit. *Inclinant fata ducum* ait poeta; ast, quid haec verba significent, altum est apud interpretes silentium. *Fata ducum* de DUCIBUS *Massiliensium* DOMITIO *et* NASIDIENO explicat MICYLLUS, qui proinde *inclinare* eo sensu capere videtur, quo DOMUS INCLINARE et *procumbere* dicitur, *quae ruinam minatur*, quem vel refutaverit SCHOLIASTES, qui recte haec capere videtur, ad haec verba scribens. *Inclinant fata.* POMPEJI, *ut vinceretur;* CAESARIS, *ut vinceret.* Sed prius varias hujus verbi significationes videamus. INCLINARE proprie est *vergere, in aliquam partem propendere. Ita dies inclinat ad vesperam.* CURT. *Lib.* VI. *Cap.* II. et *meridiem inclinare* dicit HORAT. *Lib.* III. *Od.* XXIX. [5.] *In vitium inclinare* PLIN. *Lib.* XIV. *H. N. Cap.* XX. *Animus* et *sententiae* INCLINARE dicuntur *in aliquam partem* LIV. *Lib.* VII. *Cap.* IX. et *Lib.* XXVI. *Cap.* XLVIII. INCLINARE *ad fortunam* pro *felicioribus se jungere Lib.* XXIII. *Cap.* XXXIII. Hinc *active* INCLINARE *malos* pro *demittere.* Idem LIV. *Lib.* XXXVI. *Cap.* XLIV. INCLINARE *faces, sc. ad terram,* dicitur Ceres, Proserpinam quaerens, apud CLAUDIANUM *Lib.* III. *de Rapt. vs.* 442. et *leo inclinare jubas Lib.* II. *in Rufin. vs.* 255. loco corruptissimo, quem sic restituo:

vacuo qualis discedit hiatu
Impatiens TREPIDARE *leo, quem plurima cuspis*
Et PASTORALIS *pepulerunt* SIGNA *catervae,*
Inclinatque jubas, demissaque lumina velat,
Et PAVIDAS *moesto rimatur murmure silvas.*

Impatiens TREPIDARE, id est, *nescius timere*, *et dolens*, *quod cedere debeat.* Vulgatum *remeare* frigidum videtur, nam *vacuo, sine praeda, hiatu discedere leonem* dixit. SIGNA *catervae pastoralis* sunt *agmina pastorum telis armatorum. Ignis* nihil ad Bacchum! Non enim hic *leonem igni et ferro venantur*, ut ex LUCRETIO voluit CLAVERIUS, sed *hastis* et *venabulis ab ovili pellunt* pastores. Expressit summum magistrum CLAUDIANUS, qui *Lib.* IX. *Aen. vs.* 792. ait,

Ceu saevum turba leonem

Belli casus erat: Graiae pars maxima classis

Cum telis premit infestis; at territus ille,
Asper, acerba tuens, retro redit, et neque TERGA
IRA DARE *aut* VIRTUS PATITUR, *nec tendere contra*
Ille quidem, hoc cupiens, potis est per tela virosque.

Impatiens trepidare explicat illud Maronis, *quem neque ira aut virtus terga dare patitur.* PAVIDAS tandem *silvas* rescripsi, *quae metuunt iratum leonem. tpdas* et *pvdas* hic facile confusa, quia litera *t* ex conjunctione *Et* huic voci adhaeserat. Sed in viam redeamus! *Gargara inclinant silvas* sive *demittunt Lib.* I. *de Rapt. vs.* 206. et *modestia regale culmen populo,* VI. *Cons. Hon. vs.* 64. et *natura canitiem radiis* INCLINARE dicitur. *Lib.* II. *de pr. Cons. Stil. vs.* 442. ubi legendum puto:

Accurrit natura potens, SENIOQUE VERENDAM
Canitiem inclinat radiis.

vel *seniique superbam.* Prius tamen malim. *Seniorque superbis vel superbus* vulgo, quod ridiculum. *Seniorem* enim *naturam* quis audivit umquam? *Inclinare pateram* est *invergere Lib.* I. *de pr. Cons. Stil. vs.* 62. *Inclinare oculos* est *claudere.* PROPERT. *Lib.* IV. *Eleg.* VII. *vs.* 45.

At mihi non OCULOS *quisquam* INCLINAVIT HIANTES.

et *boves inclinant genua arenis,* id est, *genibus procumbunt,* OVID. *Lib.* XI. *Met. vs.* 355. *Inclinare culpam in aliquem* est *transferre.* LIV. *Lib.* V. *Cap.* VIII. et *inclinata a pauperibus in ditiores onera Lib.* I. *Cap.* XLII. et *inclinare maritos* sensu nequiore JUVENAL. *Sat.* IV. *vs.* 26. et X. *vs.* 223. *Inclinare se ad Stoicos* CIC. *de Fin. Lib.* III. *Cap.* III. *Inclinari timore Lib.* III. *ad Att. Ep.* III. *Milites inclinant se in fugam,* et *acies* INCLINARE, id est, *fugere* dicitur LIV. *Lib.* I. *Cap.* XII. et VII. *Cap.* XXIII. Hinc *inclinatae vires* idem LIV. *Lib.* IX. *Cap.* XII. *Inclinata Respublica* CIC. *in Brut. Cap.* XVIII. *Fortuna inclinata,* quae *excitatae* sive *surgenti* opponitur, *Lib.* II. *ad Fam. Ep.* XXVI. *Inclinatae mammae* PROPERT. *Lib.* II. *Eleg.* XII. *vs.* 21.

Necdum INCLINATAE *prohibent te ludere* MAMMAE.

id est *pendentes* et *flaccidae,* quas HORAT. *Epod.* VIII. *vs.* 7. *putres* vocat, quaeque *duris, stantibus* et *castigatis* opponuntur. Ast vero omnes hae significationes nihil ad Lucanum! Propius ad hujus loci explicationem faciat, quod dicit CAESAR *Lib.* I. *B. Civ. Cap.* 52. *et tam paucis diebus magna erat facta rerum commutatio, et se* FORTUNA INCLINAVERAT, quod planius dein explicat, subjungens, *ut* NOSTRI *magna rerum necessariarum inopia conflictarentur;* ILLI *omnibus abundarent rebus* SUPERIORESQUE HABERENTUR. FORTUNA SE INCLINAVERAT, id est, *inclinatione voluntatis sive favoris in hostes propendere coeperat,* ut loquitur CIC. *Lib.* II. *de Orat. Cap.* XXIX. Eodem plane modo, quo apud CAESAREM fortuna, apud LUCANUM jam FATA *inclinare* dicuntur. INCLINANT *fata* scilicet, *quando non amplius* DUBIUM *inter diversas partes* FAVOREM *retinent, aut huc illuc* NUTANT, ut loquitur *Lib.* II. *vs.* 651. *(vid. Prodrom. pag.* 248. ubi *dubia* et *nutantia fata* vindicavimus, et de quibus *Lib.* IV. *initio* latius agendum erit) *sed tandem pro alterutra parte*

Mergitur: ast aliae mutato remige puppes

plenum favorem aperte declarant, eique victoriam tribuunt. Elegantissima haec metaphora desumta est a LANCIBUS, *quae dubio pondere huc illuc nutant, donec, injecto* MOMENTO, *aequilibrium amittunt et in alterutram partem tandem plene propendent et vergunt. vid. quae supra ad vs.* 337. de MOMENTO diximus. *Librata igitur in* LANCE FORTUNAE *fata Caesaris praeponderabunt fatis Pompeji, adeoque fata favorem suum aperte inclinant in Caesarem, eique victoriam tribuunt.* Similiter SENECA *Phoeniss. vs.* 385. *de* JOCASTA, *utrosque filios diligente, misero tamen exsuli magis favente,* ait:

> *Sed utrosque qnamvis diligam affectu pari,*
> *Quo caussa melior, sorsque deterior trahit,*
> INCLINAT ANIMUS, SEMPER INFIRMO FAVENS.

Vera igitur haec si fuerint, ut quilibet videre potest, et fata plenam hic Caesari victoriam tribuunt, quo, quaeso, jam nobis *ancipitem belli casum?* Librariorum inscitiae loci hujus corruptela imputanda venit, qui cum in Cod. offendissent *B̄li csus*, illud scribendi compendium *casus* notare putantes, *τὸ ullus*, quod fragmentum Cod. S. Germ. nobis repraesentat, (veram sine dubio poetae manum) in *anceps* mutarunt, ut ita *anceps belli casus* INCLINATIS, sive *victis* (ut putabant pro infelici suo captu) *ducum Pompejanorum* FATIS opponeretur. Quare arrepta istius Codicis lectione, reponendum suspicor:

> *Inclinant* HIC *fata ducum, nec jam amplius* ULLUS
> BELLO CURSUS *erat.*

ut sensus sit: Hic, id est, *hoc momento temporis, fata ducum, quae, durante proelio, in lance Fortunae dubia victoria nutaverant, se jam aperte discernunt, et Fortuna, quae dubium diu inter partes favorem tenuerat, plenum pro Caesare favorem declarat, eumque victorem facit,* FINISQUE PROELIO NAVALI IMPOSITUS FUIT. Classe Massiliensium partim demersa, reliquisque navibus in fugam versis, NULLUS *amplius* BELLO CURSUS *erat,* sive *non amplius erat pugna, sed plena victoria.* CURSUS proprie datur *rebus durantibus et aliquamdiu perseverantibus, quae, quando incipiunt,* CURSUM ACCIPERE *et* INCHOARE; *quando celeriter progrediuntur,* CURSUM RAPERE; *quando perdurant,* IN CURSU PERGERE, CURSUM CONTINUARE; *quando moram et impedimentum accipiunt,* CURSUM COERCERE, CURSUS SUI DAMNUM SENTIRE; *quando esse sive perseverare cessant,* NULLUM *amplius* CURSUM HABERE, CURSUM ABRUMPERE *et* AMITTERE recte dicuntur. Sic *Lib.* VII. *vs.* 544.

> FATIS DATUS EST *pro Caesare* CURSUS.

et *Lib.* III. *vs.* 501.

> RAPIENS INCENDIA *ventus*
> *Per Romana tulit* CELERI *munimina* CURSU.

Ita PERGERE dicitur *fluvius*, id est, *cursum* CONTINUARE CLAUDIANO *Lib.* II. *pr. Cons. Stil. vs.* 187. et *praecipitem belli* CURSUM TENUISSE dicitur *Massilia* LUCANO *supra vs.* 391. Sic *Lib.* V. *vs.* 335.

> *Caesaris an* CURSUS VESTRA *sentire putatis*
> *Damnum posse* FUGA?

Victores vexere suos: navalia paucae

755. *nexere*, c.

Ita puto legendum pro vulgato *vestrae fugae. An putatis, vos illa, quam mihi intentatis et minitamini, fuga cursum meum retardaturos; cursui fatorum et fortunae meae damnum daturos?* Suadet hoc comparatio, quam subjungit statim,

veluti si cuncta minentur
Flumina, quos miscent pelago, subducere fontes;
Non magis ablatis umquam decresceret aequor,
Quam nunc crescit aquis.

Non igitur *damnum fugae*, *sed militum* FUGA *damnum* SUI *non sentire* dicitur CURSUS *fortunae Caesaris.* Sic *finito anni cursu cardo coeli* IN NOVOS CURSUS REVOLVI eleganter dicitur CLAUDIANO *Lib.* II. *de pr. Cons. Stil. vs.* 475.

INQUE NOVOS *iterum* REVOLUTO CARDINE CURSUS,
Scribunt aetheriis Stilichonem sidera fastis.

Sic *medios gyros sive cursus* ABRUMPERE dicitur *equus*, *qui in medio cursu moribundus labitur:* atque eodem modo hic, victis Massiliensibus, *nullus amplius bello navali cursus erat*, sive proelium finitum erat. Sic FURORI *Lib.* I. *vs.* 255. TELIS *Lib.* III. *vs.* 468. INCENDIIS *Lib.* III. *vs.* 502. FATIS *Lib.* VII. *vs.* 544. FLUMINIBUS *Lib.* IV. *vs.* 21 *et* 114. *Lib.* VI. *vs.* 347. quin et VENTURIS *cursum* dat poeta *Lib.* VI. *vs.* 591.

Quaeque suo VENTURA *potes* DEVERTERE CURSU.

Ita *vitae*, *honoribus*, *gloriae*, *voci*, *omnibus* denique *rebus* CURSUM tribuunt CICERO, OVIDIUS, HORATIUS aliique aureae aetatis scriptores. Mox vero dubito, an legendum sit,

navalia paucae
ANCIPITI *tenuere fuga.*

ANCIPITI FUGA, id est, *dubia* et *periculosa*, *ut aegre evaserint.* Patet hoc ex verbo TENUERE: nam *praecipiti cursu navalia* PETERE melius dicantur quam TENERE. Librarii *ancipitem fugam* forte in *praecipitem* mutavere, quia ANCEPS ille *belli casus* hic praecesserat; versu 752. enim *praecipitem saltum* dixit. Solito prolixiores hic fuimus, ut CURSUM BELLI *aliarumque rerum*, *et* INCLINANTIA *ducum* FATA vindicaremus. Taedium morae si compensaverit utilitas, operae pretium, et nulla querelae hic caussa fuerit.

CLAUDIANO denuo suppetias feramus, gravi vulnere languenti *Lib.* II. *in Eutrop. vs.* 8. ubi vulgo haec leguntur:

Quid juvat errorem mersa jam puppe fateri?
Quid lacrimae delicta levant? Stant omina vestri
Consulis, immotis haesere piacula fatis.
Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes
Detersum maculas! veteri post obruta morbo
Corpora, Paeonias nequicquam admoveris herbas.

Non cohaeret sensus, quod recte vidit doctissimus GESNERUS, qui in his,

Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes
Detersum maculas,

subintelligi vult *statim Kalendis*

Praecipiti tenuere fuga. Quis in urbe parentum

Januariis, vel *statim*, *postquam designatus fuit flagitiosus consul*, sed duriorem hanc ellipsin ipse agnoscit: vel fingit, *primum librum in* EUTROPIUM *scriptum editumque fuisse, cum primum in Italia et in aula Honorii innotuisset, Constantinopolitanum Consulem factum esse Eutropium, ut illa verba* NON AUGURE FALSO *vs.* 2. *ad ipsum pertineant poetam, qui glorietur, se ea praedixisse mala* etc. Mentem poetae vir doctissimus, mendam tamen non vidit. Nulla hic vel ellipsios vel incerta temporis, quo scripti hi libri fuerint, fictione, sed medela et emendatione opus, uti mox patebit. Quid enim, cedo, est illud, quod dicit poeta, *Stant omina vestri Consulis? ubi*, quaeso, *stant illa omina?* et quid denique significabunt illa, *immotis haesere piacula fatis?* anne, uti optimus GESNERUS explicat, *durant et haerent fatis immotis tamquam macula? cur* et *quomodo* IMMOTIS FATIS? nam quomodo FATA *his piaculis maculentur*, prorsus videre nequeo. Tacent reliqui interpretes, neque dubitare quidquam aut sentire videntur. *Veri consulis* habent Cod. Florent. Ed. Parm. et Exc. Laeti. Ne longis te ambagibus morer, erudite lector, en tibi ipsissimam poetae manum:

Quid juvat errorem, mersa jam puppe, fateri?
Quid lacrimae delicta levant? SIMUL *omina* DIRI
Consulis, INVITISQUE *haesere piacula* FASTIS,
Tunc decuit sentire nefas! tunc ire recentes
Detersum maculas! etc.

SIMUL scripsi pro vulgato *stant*. SIMUL, id est, *simul ac, quam primum Consul factus fuit dirus Eutropius, et nomen illud piaculare invitis fastis inscriptum legebatur; tunc decuit sentire nefas.* HORAT. *Lib.* II. *Od.* XVI. [2.]

SIMUL *atra nubes*
Condidit lunam.

et *Lib.* I. *Epist.* X. *vs.* 8.

Quid quaeris? vivo et regno, SIMUL *ista reliqui,*
Quae vos ad coelum fertis rumole secundo.

atque ita passim. Ut jam suus poetae constet sensus absque ellipsi. *sml.* et *stnt*, item *dri* et *vri* in MSS. antiqua sive Longobardica scriptura ductibus litterarum proxime conveniunt, unde facilis confusio. DIRI, id est, *devoti, detestandi Consulis.* Dein INVITIS FASTIS *haeserunt piacula et omina*, sive *invitos fastos maculabat*, *invitis fastis inscriptum erat piaculare et ominosum Eutropii nomen.* INVITIS *fastis, id est, nolentibus sibi inscribi, nomen hoc invisum respuentibus. Fata* illa *immota* nihil ad Bacchum! Sic *invito vultu prorumpunt flumina lacrimarum Lib.* III. *de Rapt. vs.* 128. LUCAN. *Lib.* VI. *vs.* 606.

Si fata minora moveres,
Pronum erat, o juvenis, quos velles, inquit, in actus
INVITOS *praebere* DEOS.

Fatis et *fastis* saepe confusa. *Vid.* BURMANN. *ad* CLAUDIAN. VI. *Cons. Honor. vs.* 68.

MANILIO denuo medicam manum applicemus, corrupto et lacero *Lib.* III. *vs.* 625. ubi haec leguntur:

Cancer ad aestivae fulget fastigia zonae,
Extenditque diem summum, parilique recessu

Destruit; at quanto fraudantur tempore luces,
In tantum noctes auget: stat summa per omne.
Tunc Cererem fragili properant destringere culmo,
Grajus et in patrias denudat membra palaestras,
Et tepidum pelagus siccatis languet in undis.

Corruptus locus et plane desperatus. Nam *diem summum* pro *longissimo* sine exemplo mihi dici videtur; nusquam certe mihi lectum memini. Praeterea, licet Latine id dici posset, quomodo CANCER *longissimum diem* EXTENDERE sive *longiorem facere*, et *parili recessu* DESTRUERE dici possit, plane ignoro. *Summus dies* proinde merito mihi semper suspectus fuit. *Stat summa per omne* vel *per omnes* aperte mendosum, quod vel ipsa BENTLEJI et STOEBERI explicatio arguat. *Grajus cum patria palaestra* a summo critico male intrusus hic videtur; nihil enim ad diem longissimum facit, adeoque nec quidquam ad Bacchum! *Campus* est in scriptis et editis libris. SICCATAE vero vel JACTATAE *pelagi undae* prorsus ridiculae sunt. STOEBERUS legit *distinguere vel destringere Cererem culmis* CAMPOS, id est, *per campos*, et dum DISTRINGUNT *membra in varias palaestras* (quod, veluti ex praecedente versu repetitum, merito damnatum fuerat summo BENTLEJO) contra criticum illum tuetur, docens nos horribile secretum, quod sine dubio alias latuisset, nempe „DISTRINGERE *vel* DESTRINGERE MEMBRA *eleganter dictum pro* OLEO PERFUSA DETERGERE. *Nam* DESTRINGERE OLEARUM *veluti proprium esse, quod probet Ovidius, vel quisquis, bonae tamen notae, auctor Elegiae Nux inscriptae vs.* 135.

Sic licet hoc, OLEAS DESTRINGITE, *caedite messes.*"

Haec STOEBERUS hoc loco, quae fateor adeo sublimia, ut meum non tantum captum, sed et omnem humanam intelligentiam superare videantur. Quid multa? Severa critica dictat rescribendum esse, hoc modo,

Cancer ad aestivae fulget fastigia zonae,
Extenditque diem MUNDO, *parilique recessu*
Destruit: et, quanto FRAUDANTUR *tempore luces,*
In tantum noctes AUGESCUNT SEMPER IN HORAS.
Tunc Cererem fragili properant destringere culmo,
CORPORIS *et* DURA *denudant membra palaestra,*
Et tepidum pelagus PACATIS *languet in undis.*

Videamus singula. *Cancer diem* MUNDO EXTENDIT *et* DESTRUIT *parili recessu*, inquit poeta. Rectissime! Sole enim Cancrum ingrediente dies crescunt quotidie usque ad XV gradum, *diemque tunc longissimum sol facit mundo;* dein parili recessu dies decrescunt et noctes semper augentur pro ratione decrementi lucis diurnae. EXTENDIT igitur *diem* MUNDO et *parili recessu* DESTRUIT CANCER. FRAUDANTUR *tempore luces* et *augescunt noctes* SEMPER IN HORAS rescripsi. CANCER inepte *luces tempore fraudare* dicitur. SEMPER IN HORAS, id est, *quotidie, singulis diebus.* VIRGIL. Ecl. X. *vs.* 73.

Pierides, vos haec facietis maxima Gallo,
Gallo, cujus amor tantum mihi CRESCIT IN HORAS.

nam illud *stat summa per omne* Latinum non est. Mox CORPORIS *membra denudant* DURA *palaestra*, HOMINES scilicet, ut patet ex praecedenti *properant destringere Cererem culmo.* CORPORIS *membra:* nam *campus* ex compendio scripturae ortum. *Cpris*

Fletus erat! quantus matrum per littora planctus!
Conjux saepe sui, confusis vultibus unda,
Credidit ora viri, Romanum amplexa cadaver:
Accensisque rogis miseri de corpore trunco
Certavere patres. at Brutus in aequore victor,
Primus Caesareis pelagi decus addidit armis.

757. quant*i*, b. d. 758. conju*n*x, ita semper, a. 762. decus, *ecus* man. sec. in membr. erasa, b. *Explicit liber tertius incipit quartus*, a *Exp. tert. lib. Lucani. Inc. quart.* c. *Inc. Lib. quart.* d.

in Cod. fuerat. Dein PACATIS *undis*, id est, *tranquillis*, et *placidis*, quod *tepido* et *fervidis solis radiis* LANGUENTI *aequori* optime convenit. *Ictis* et *pcts* facile confunduntur. JEV.

757. — *quantus matrum per littora planctus!*] Suavius est, quod et meliores et plures habent codices,

QUANTI *matrum per littora planctus!*

762. *Primus Caesareis pelagi decus*] Nemo hunc locum umquam suspectavit. Mendosus tamen. Quid enim? Brutus *primus* victor navali certamine! Quis igitur secundus? *Pelagi decus* plane mendosum. *Victoriam* enim *navalem* significare non potest, siquidem hoc sine exemplo est: et si vel posset significare, quaenam haec ineptae orationis stribligo? *Brutus victor in aequore* sive *pelago decus* PELAGI *addidit armis Caesareis.* Non libet diu argutari in re manifesta. Dedit nobis poeta,

at Brutus in aequore victor
PRIMUM *Caesareis* BELLI *decus addidit armis.*

PRIMUM BELLI DECUS, id est, *primam navalis proelii* (nam hoc claret, quia *victor in aequore* dicitur) *gloriam, sive* VICTORIAM. VAL. FLACC. *Lib.* V. *vs.* 540.

Nec DECUS OBLATI *dimiseris advena* BELLI.

et quemadmodum apud SENECAM *Herc. Oet. vs.* 1504. HERCULES *coelo* DECUS *contulisse*, ita hic BRUTUS *primum* BELLI DECUS sive *primam belli navalis gloriam armis Caesareis* ADDIDISSE eleganter dicitur: nam BELLUM pro *proelio navali* frequens LUCANO. Sic supra *vs.* 524.

Servatum BELLO *jacuit mare.*

et *vs.* 560.

jam consere BELLUM.
Phocaicis medias rostris oppone carinas.

et *vs.* 566.

tecto stetit aequore BELLUM,

atque addita voce *navali vs.* 569.

NAVALI *plurima* BELLO
Ensis agit.

PROPERT. *Lib.* III. *Eleg.* III. *vs.* 7.

Ite, agite, expertae BELLO
date lintea prorae.

JEV.

Sumtibus Gerh. Fleischeri bibliopolae Lipsiensis hi quoque libri prodierunt:

Apollonii Rhodii Argonautica. Ex recens. et cum notis R. F. P. Brunckii. Edit. nova auct. et correctior. Accedunt Scholia graec. ex Cod. biblioth. Parisinae nunc primum evulgata. 2 Vol. 8 maj. 1810 et 1812.
Charta impress. 6 thlr.
Charta script. 7 thlr. 12 gr.

Aristophanis Comoedia Plutus. Adiecta sunt scholia vetusta. Recognovit ad veteres membranas, variis lect. ac notis instruxit et Scholiastas locupletavit Tiber. Hemsterhuis. Edit. nova emend. et append. notarum aucta. 8 mai. 1811.
Charta impress. 3 thlr. 8 gr.
Charta script. 4 thlr. 16 gr.

Aristotelis ars poëtica, cum commentariis God. Hermanni. 8 maj. 1802.
Charta impress. 1 thlr. 12 gr.
Charta script. 1 thlr. 20 gr.

Ciceronis, M. T., de Officiis libri tres. Recensuit et Scholiis Iacobi Facciolati suisque animadversionibus instruxit A. G. Gernhard. 8 mai. 1811.
Charta impress. 2 thlr. 4 gr.
Charta script. 2 thlr. 12 gr.

Euripidis Tragoediae, edit. R. Porson. Tom. I. Editio in Germania altera correctior et auctior indicibusque locupletiss. instructa. 8 mai. 1807.
Charta impress. 2 thlr. 12 gr.

— Hercules furens. Recensuit God. Hermannus 8. 1810. 12 gr.

— Supplices. Recensuit God. Hermannus. 8. 1812. 12 gr.

— Tragoediae. Ad optim. librorum fidem recens. et brev. notis instrux. Aug. Seidler. Vol. I. Troades. Vol. II. Electra. Vol. III. Iphigenia in Tauris. 8. 1812—1813. 2 thlr.

Gerhardii, E., Lectiones Apollonianae. 8 maj. 1816. 1 thlr. 8 gr.

Gronovii, I. Fr., in S. Papinii Statii Silvarum libr. V. Diatribe. Nova editio ab ipso auctore curata. Accedunt Emerici Crucei Antidiatribe. Gronovii Elenchus Antidiatribes et Crucei Muscarium. Edidit et annotationes adiecit Ferd. Handius. 2 Vol. 8 mai. 1812.
Charta impress. 5 thlr.
Charta script. 6 thlr.

Hermanni, G., Observationes criticae in quosdam locos Aeschyli et Euripidis. 8 mai. 1798. 18 gr.

— de emendanda ratione Graecae Grammaticae Libri I. et II. Vol. I. Accedunt Herodiani aliorumque libelli nunc primum editi. 8 mai. 1801.
Charta impress. 2 thlr.
Charta script. 2 thlr. 8 gr.

Poppo, E. F., Observationes criticae in Thucydidem. 8 mai. 1815. 1 thlr. 16 gr.

Sophoclis Tragoediae septem ac deperditarum fragmenta. Emendavit, varietatem lectionis, scholia notasque tum aliorum tum suas adiecit C. G. A. Erfurdt. Accedit Lexicon Sophocleum et Index verborum locupletissimus. Vol. I—VI. 8 mai. 1802—1811.

Charta impress. 14 thlr. 16 gr.
Charta script. 17 thlr. 20 gr.

— Tragoediae. Ad optimorum librorum fidem iterum recensuit et brevibus notis instruxit C. G. A. Erfurdt. Vol. I—IV. 8. 1808—1819. 2 thlr. 20 gr.

Anonymi Oeconomica, quae vulgo Aristotelis falso ferebantur. E libris scriptis et versione antiqua emend. et enarravit I. G. Schneider, Saxo. 8. 1815. 12 gr.

Plauti, M. Acci, Trinummus, recensuit et praefatus est God. Hermannus. 8 mai. 1800. 12 gr.

Plutarchi Agesilaus et Xenophontis Encomium Agesilai. In scholarum usum edidit, notis et indice instruxit D. C. G. Baumgarten-Crusius. 8 mai. 1812. 16 gr.

Persius, Aulus Flaccus. Übersetzt u. mit Anmerk. begl. v. Franz Passow. 1r Bd. gr. 8. 1809. 2 thlr.

— Textum recensuit F. Passow. 8 mai. 1809. 6 gr.

Musäos. Urschrift, Uebersetzung, Einleitung und kritische Anmerkungen von Fr. Passow. 8. 1810. 1 thlr.

Johannes Secundus Küsse. Aus d. Lat. übers. mit beigedrucktem Original von Fr. Passow. gr. 8. 1807. 10 gr.

Seidler, Aug., de Versibus dochmiacis Tragicorum graecorum. 2 Vol. 8 mai. 1811 et 1812. 2 thlr. 8 gr.

Ruhnkenii, David, Lud. Casp. Valckenaerii et aliorum ad Ioh. Aug. Ernesti Epistolae. Accedunt D. Ruhnkenii Observationes in Callimachum, L. C. Valckenaerii Adnotationes in Thomae Mag. Eclogas et Ioh. Aug. Ernesti Acroasis inedita. Ex Autographis edidit Ioh. Aug. Henr. Tittmann. 8 mai. 1812. 1 thlr. 8 gr.

Plüschke, M. J. G., das lateinische Verbum nach einer noch wenig bekannten, vollständigen, ganz naturgemässen und sehr fasslichen Ordnung der Temporum ausgearbeitet und in 14 Tabellen für den Elementarunterricht in der latein. Sprache systematisch dargestellt. Fol. 1814. 16 gr.

Ciceronis, M. Tullii, Opera omnia, deperditorumque librorum fragmenta. Textum accurate recognovit, potiorem lectionis diversitatem adnotavit, indices rerum et verborum copiosissimos adiecit Chr. Godofr. Schütz. Vol. I—XIX. P. I. 8. 1814—1819. 19 thlr. 8 gr.

— Oratio Philippica secunda, übersetzt und mit einem nach Handschriften berichtigten Texte von M. G. G. Wernsdorf. gr. 8. 1815. 20 gr.

Valckenaerii, Lud. Casp., Opuscula philologica, critica, oratoria, nunc primum coniunctim edita. Accedunt indices. T. I. et II. 8 mai. 1808 et 1809.

Charta impress. 3 thlr. 8 gr.
Charta script. 4 thlr.

Aeschylos Agamemnon metrisch übersetzt von Wilh. v. Humboldt. 4. 1816. 1 thlr.

Suetonii, C. Tranq., Opera, textu ad praestantissimas editiones recognito, continuo commentario illustravit, clavem Suetonianam adiecit Detlev. Carol. Guil. Baumgarten-Crusius. Vol. I—III. 8 mai. 1816—1818.

Charta impress. 9 thlr. 12 gr.
Charta script. 11 thlr.

Propertii, Sex. Aurelii, Carmina emendavit ad codicum fidem et annotavit Carolus Lachmannus. 8 mai. 1816. 2 thlr. 8 gr.

Nicandri Colophonii Theriaca, id est de bestiarum venenis eorumque remediis carmen, cum Scholiis graecis auctioribus, Eutecnii metaphrasi graeca, editoris latina et carminum perditorum fragmentis, ad librorum scriptorum fidem recensuit, emendavit et brevi annotatione illustravit I. G. Schneider, Saxo. 8 mai. 1816.

Charta impress. 3 thlr.
Charta script. 3 thlr. 16 gr.

Tibulli, Albii, Carmina ex recensione et cum animadversionibus Immanuelis G. Huschkii. Accedit Specimen Editionis Venetae A. MCCCCLXXII. aeri incisum. 2 Tomi. 8 mai. 1819. 5 thlr.

Tibulli, Albii, Elegia decima libri primi. Annotationem adiecit G. Klindworth. 4. 1818. 12 gr.

Juvenalis, Dec. Jun., Satyren im Versmaasse des Originals und mit erklärenden Anmerkungen von Otto v. Haugwitz. 8. 1818. 2 thlr.

Gnomici poetae graeci. Ad optimorum exemplarium fidem emendavit R. F. P. Brunck. Editio nova correcta notisque et indicibus aucta. 8. 1817. 1 thlr. 16 gr.

Hermanni, God., Elementa doctrinae metricae. 8 mai. 1816. 3 thlr. 12 gr.

— Epitome doctrinae metricae. In usum scholarum. 8 mai. 1818. 1 thlr. 16 gr.

Ciceronis, M. T., Cato maior seu de senectute, et Paradoxa, recensuit et scholiis Iac. Facciolati suisque animadversionibus instruxit A. G. Gernhard. 8 mai. 1818.

Charta impress. 1 thlr. 16 gr.
Charta script. 2 thlr.

Arcadius de accentibus. Nunc primum edidit Edm. Henr. Barker. Accedit Appendix. 8 mai. 1819. 2 thlr.

Hermann, Gottfr., über das Wesen und die Behandlung der Mythologie, ein Brief an Hrn. Hofrath Creuzer. 8. 1819. 20 gr.

Griechische

Grammatik

zum

Gebrauch für Anfänger

von

Dr. Friedrich Thiersch.

Zweite vermehrte und verbesserte Auflage. gr. 8. Leipzig, bei Gerhard Fleischer. 1819. Preis 18 Groschen.

Unmittelbar nach der neuen Bearbeitung der grössern Grammatik von Fried. Thiersch übergiebt die Verlagshandlung eine neue Auflage der kleinen griechischen Grammatik desselben Verfassers zum Gebrauch für Anfänger. Die Schulmänner, welche sich dieses Lehrbuchs beim Unterricht bedienen, werden finden, dass es die ganze in der grössern Grammatik ausführlich entwikkelte Theorie des Verfassers in einfacher Uebersicht, und ohne einen dem ersten Unterricht wesentlichen Punkt zu übergehen, enthält und selbst als Hülfsbuch für die erste Beschäftigung mit dem Homer berechnet ist. Sie ist bei der neuen Bearbeitung in demselben Maasse gewachsen, wie die grössere, und die Verlagshandlung darf hoffen, dass auch die zweckmässige äussere Einrichtung und der correcte Druck dieses, den Unterricht im Griechischen wesentlich erleichternden und fördernden Lehrbuchs, den Beifall der Lehrer gewinnen wird.

Praxis formarum grammaticarum sermonis latini,

oder

leichte Uebungsstücke zum Uebersetzen, sowohl aus dem Lateinischen ins Deutsche, als auch aus dem Deutschen ins Lateinische, in mehr als drittehalbtausend kurzen Sätzen u. s. w.

von

J. G. Plüschke,

des. Prof. an der Universität und Lehrer an der Bürgerschule.

Leipzig, bei Gerhard Fleischer.

9½ Bogen. 6 Gr.

Ein Buch, welches wegen seiner vielseitigen Anwendbarkeit, als lateinisches Lesebuch für die Anfänger und als Leitfaden zu den ersten Versuchen in sogenannten Exercitiis und Speciminibus, und

überhaupt wegen seines mannigfaltigen, nach einer strengen Stufenfolge geordneten Stoffes zu allerley mündlichen und schriftlichen Uebungen, nicht weniger wegen des höchst billigen Preises und schönen Druckes zur allgemeinen Verbreitung geeignet und besonders bestimmt ist, in die Stelle des sonst so beliebten Speccius zu treten.

Von demselben Verfasser erschien etwas früher:

Das lateinische Verbum,

nach einer noch wenig bekannten, vollständigen, ganz naturgemässen und sehr fasslichen Ordnung der Temporum u. s. w.

In vierzehn Tabellen. Fol. 16 Gr.

Da diese lateinischen Conjugationstabellen sich des Beifalls mehrerer kritischen Blätter zu erfreuen gehabt haben, so machen sie keine ungerechten Ansprüche auf die Aufmerksamkeit der Schulmänner, und können theils eingebunden von einzelnen Schülern, theils auf Pappe gezogen in ganzen Classen benutzt werden.

Um die möglichste Gemeinnützigkeit dieses Werkchens zu bezwecken, hat der Verleger, auf das Ansuchen mehrerer Schulvorsteher, den Preis desselben von 1 Thlr. auf 16 Gr. herabgesetzt, wofür es durch alle Buchhandlungen, von jetzt an, zu erhalten ist.

